JAN 21 1921

143008
M81
Ser E

MONVMENTA GERMANIAE HISTORICA

INDE AB ANNO CHRISTI QVINGENTESIMO
VSQVE AD ANNVM MILLESIMVM
ET QVINGENTESIMVM

EDIDIT

SOCIETAS APERIENDIS FONTIBVS
RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI

EPISTOLARVM TOMI VI PARS PRIOR

KAROLINI AEVI IV

BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
MCMII

Titel und Register folgen mit der zweiten Hälfte dieses Bandes.

MONVMENTA

GERMANIAE

HISTORICA

INDE AB ANNO CHRISTI QVINGENTESIMO
VSQVE AD ANNVM MILLESIMVM
ET QVINGENTESIMVM

EDIDIT

SOCIETAS APERIENDIS FONTIBVS
RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI

EPISTOLARVM TOMVS VI

KAROLINI AEVI IV.

BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
MCMXXV

EPISTOLAE

KAROLINI AEVI

TOMVS IV

EDIDIT SOCIETAS APERIENDIS FONTIBVS

RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI

BEROLINI

APVD WEIDMANNOS

MCMXXV

Aulae Vimariensis officina typographica

Das beifolgende Cartonblatt bittet man in dem vorhergehenden Bande statt der dort befindlichen Seiten 385—386 nachträglich einzufügen.

Die Fortsetzung dieses Heftes, die Briefe der Päpste Nicolaus I und Adrian II umfassend, wird so bald wie möglich nachfolgen.

P. 1sqq. Eis, quae A. Levillain, in A. Giry magistri defuncti opera nixus, de Lupi vita epistolisque in tomo LXII p. 445—509 bibliothecae 'de l'école des chartes' (a. 1901) docte disseruit, ad editionem nostram parandam uti non licuit, cum, ea iam absoluta, prodierint.

„ *172 v. 9 legas* inpugnantes *pro* impugn.

„ „ *v. 36* occidentalibus *in cod. corr. ex* oriental.

P. 173 v. 28 Graecia *legas pro* Grecia.

„ *174 v. 50* diaconus *legas pro* diaconi.

„ *175 v. 1* ordinatur *legas pro* ordinantur.

„ „ *v. 8* paenitus *est in codice.*

„ *206 v. 16 legas* contra corruptelasque *pro* contraque corruptelas

„ *236 v. 12 corrigas* quia ut in *pro* quia aut in

Aulae Vimariensis officina typographica

Cont.
Harr.
7-27-25
sub.

Epistolarum tomus sextus, Karolini aevi quartus, nunc demum completus proponitur, postquam pars prior complectens paginas 1—256 Ernesto Dümmler curante anno 1902, partis alterius fasciculus I continens paginas 257—690 a me editus anno 1912 prodiit. Inter ea, quae huic volumini insunt, ex priore parte Lupi abbatis Ferrariensis epistolae, ex altera Nicolai I. papae epistolae inprimis notabiles sunt, illae praecipue eis, qui studiis litterarum illius temporis operam dant, insignem usum offerentes, hae ad historiam non minus Romanorum pontificum quam rerum Franciae gravissimae. Aptius quidem, opinor, fuisset, si uni tomo Monumentorum epistolae Lupi, Hincmari Remensis, Anastasii bibliothecarii, variorum, alteri autem non solum Nicolai I. et Hadriani II., sed etiam Iohannis VIII., quae iam primum fasciculum tomi septimi Epistolarum efficiunt, attributae essent, quia scilicet diremptione scriptorum pontificum Romanorum evitata talis dispositio meliorem conexionem maioremque commoditatem lectoribus praebuisset; sed sic quoque lacuna tandem aliquando inter sextum et septimum Epistolarum tomum expleta hoc opus gratum fore spero.

Dabam Berolini
Martio mense 1925.

Ernestus Perels.

HOC VOLVMINE CONTINENTVR

	Pagg.
Praefatio auctore Ernesto Perels	V
Lupi abbatis Ferrariensis epistolae ed. Ernestus Dümmler	1—126
Epistolae variorum inde a saeculo nono medio usque ad mortem Karoli II. (Calvi) imperatoris collectae ed. E. Dümmler	127—206
Epistolae ad divortium Lotharii II. regis pertinentes ed. E. Dümmler	207—240
Epistolae Colonienses ed. E. Dümmler	241—256
Nicolai I. papae epistolae ed. E. Perels	257—690
Hadriani II. papae epistolae ed. E. Perels	691—765
Indices, composuerunt W. Finsterwalder et E. Perels	766—805
Index nominum	766—781
Index rerum et verborum	782—798
Index initiorum	799—802
Index personarum, quae epistolas scripserunt	803
Index personarum, quibus epistolae scriptae sunt	804—805
Addenda et corrigenda	806—811

3.

Hrabanus Fuldensis magister Haistulfo Moguntiacensi archiepiscopo tres libros rogatu fratrum Fuldensium de ecclesiasticis ordinibus atque institutionibus compositos offert. 819

819.

Codd. Parisinus 1938 s. IX. fol. 172' (P 1); Parisinus 2441 s. XI. fol. 1 (P 2), utrumque contulit K. Hampe; Monacensis (quondam S. Emmerammi) 14210 s. IX. f. 2—3' (M); Guelferbytan. inter Helmstad. 32 s. XI. in. fol. 117' (H), cont. Werminghoff; Trevirensis civit. 592 (quondam S. Maximini) s. IX. ex., cont. Keuffer (T); Erfordianus bibl. Amplonianae A 64 s. X., cont. C. Beyer (E)[a]. Extat etiam in codd. Londin. Harleiano 101 fol. 94, Abrincatensi 114 fol. 1 s. XII.

Edd. Opp. ed. Colvenerius VI p. 1; Bibl. patr. Paris. (a. 1654) X, 559; Migne, Patrol. CVII, col. 265—296; Rabani Mauri De institut. clericor. libri tres ed. Knöpfler p. 1—4.

DOMINO REVERENTISSIMO AC RELIGIOSISSIMO[b] HAISTULFO[c] ARCHIEPISCOPO[1] HRABANUS[d] MINIMUS SERVORUM DEI SERVUS[e] AETERNAM[f] IN CHRISTO OPTAT SALUTEM.

Cum te, sancte[g] pater, pro merito summae pietatis plurimi venerentur[h] et omnibus fidelibus causa magnae fidei et sanae doctrinae honorabilis atque amabilis exsistas, congruum esse iudicavi, ut[i] ego, in quem plurimum tuorum beneficiorum contulisti, aliquod[k] munusculum, licet non condignum[l], tamen ut credo non ingratum, tuae venerationi deferrem[m], nihil verens de pretio, quia animus in bonitate dives magis aestimat devotionem offerentis quam donum. Et hac fiducia[n] ausus sum partem laboris mei, quam[o] in studio sacrae lectionis elaboravi, tibi, quem[p] benignissimum et[q] aequissimum esse scio, vice[r] muneris dirigere, ut a te qualiscumque sit, reciperetur ac tuo sacro[s] iudicio probaretur atque ad purum examinaretur.

Quaestionibus[t] ergo diversis fratrum nostrorum, et maxime eorum, qui sacris ordinibus pollebant, respondere conpellebar, qui me de officio suo et variis observationibus, quae in aecclesia[u] Dei decentissime observantur, saepissime[v] interrogabant[2]. Et aliquibus eorum tunc dictis, aliquibus vero scriptis, prout oportunitas loci ac temporis erat, secundum auctoritatem et stilum maiorum ad interrogata respondi, sed non in hoc satis eis facere potui, qui me instantissime postulabant, immo cogebant, ut omnia haec in unum volumen congererem[w], ut haberent quo aliquo modo inquisitionibus suis satisfacerent, et in uno codice simul scriptum repperirent, quod antea non simul, sed speciatim singuli, prout interrogabant. in foliis scripta habuerant.

Quibus consensi et quod rogabant feci quantum potui. Nam de hoc tres libros edidi. Quorum primus de aecclesiasticis ordinibus et de veste sacerdotali continet. Item de IIII carismatibus aecclesiae, id est baptismo[x] et chrismate[y], corpore et sanguine Domini et de officio missae secundum morem Romanae aecclesiae. Secundus autem liber continet de officio canonicarum horarum et de ieiunio, confessione ac poenitentia, de legitimis quoque ieiuniis et festivitatibus variis, de lectionibus et cantu aecclesiastico[z],

---

3. [a]) *Lemma:* Incipit prologus *P 1, M,* sequentis operis *add. P 2;* Incipit prefatio Hrabani episcopi Mogonciacensis aeclesiae *H.* [b]) relegios. *M.* [c]) Histulfo *P 2.* [d]) Rabanus *P 2, H; corr. man. coaeva ex* Hrab. *P 1.* [e]) *om. P 2, M, H.* [f]) et. *corr.* ex aet. *P 1.* [g]) sanctę *P 1. 2, E,* sanctae *T.* [h]) venerantur *H.* [i]) et *M.* [k]) aliquot *T.* [l]) indignum *P 2,* cogidignum *H.* [m]) defferrem *corr. in* deferrem *P 2.* [n]) fidutia *P 2, T, E.* [o]) quem *M.* [p]) *om. T.* [q]) atque *E.* [r]) vicem *E.* [s]) *om. T, E.* [t]) Quest. *P 1, M;* Quaest. — instit. deb. *(p. 386 v. 9) om. H, T, E.* [u]) aeclesia *M (passim).* [v]) sępissimae *M.* [w]) conrerem *P 2.* [x]) babtismo *M.* [y]) crismate *M,* chrismatę *P 2.* [z]) eccles. *corr. ex* aeccl. *P 1.*

1) *813—825, cf. Ruodolf. Miracula sanctor. Fuld. c. 15, SS. XV, 340:* Post haec scripsit ad Heistolfum archiepiscopum de institutione clericorum libros III, in quibus de ecclesiasticis ordinibus et officiis diversis, quae in ecclesia geruntur, ratio demonstratur et ordo discendi ac modus docendi verbi Dei declaratur. *De tempore, in quo hoc opus confecit cf. versus qui infra p. 386 secuntur.* 2) *Cf.* prohemium ad fratres Fuldensis monasterii *(Poet. Carol. II, 163) v. 13:* Nam quia poscistis haec vobis reddere scriptis, | Exhibui parvis haec tribus ipse libris.

819 de fide catholica et e contrario de variis heresibus. Tertius vero liber edocet, quomodo omnia quae in divinis libris scripta sunt, investiganda atque discenda sunt, necnon et ea quae in gentilium studiis et artibus aecclesiastico viro scrutari utilia sunt. Novissime[a] vero liber ipse exponit, quomodo oporteat[b] eos, qui docendi officium gerunt, diversos auditores diversis allocutionibus ammonere[c], et in doctrina aecclesiastica[d] fideliter erudire. Et quia[e] haec omnia quae diximus, ad clericorum officium maxime[f] pertinent, qui locum regiminis in aecclesia tenent et de universis legitimis Dei populum[g] instruere debent, placuit ipsos libros 'de institutione[h] clericorum' nuncupari, id est cum qua se vel sibi subditos ad servitium divinum instituere[i] debent.

Proinde obsecro te, sancte pater, ut[k] oblatum tibi opus suscipias ac pie[l] relegens diligenter illud examines, et ita quae in eo rationabiliter inveneris dictata, ei hoc tribuas, a quo est omnis ratio creata. Si qua vero inconsiderate repperieris[m] prolata tuo studio cito[n] reddas illa[o] emendata. Et sic credo legentibus erunt utilia. Tuo enim magisterio semper me libens subdam, a quo recordor me accepisse dignitatem aecclesiasticam[1].

Confido tamen omnipotentis Dei gratiae, quod[p] fidem et sensum catholicum in omnibus tenerem, nec per me quasi ex me ea protuli, sed auctoritati innitens maiorum, per omnia illorum vestigia sum secutus. Cyprianum dico atque[q] Hilarium[r], Ambrosium, Hieronimum, Augustinum[s], Gregorium, Iohannem[t], Damasum[u], Cassiodorum[t] atque Isidorum[v] et ceteros[w] nonnullos, quorum dicta alicubi in ipso opere, ita ut ab eis scripta sunt, pro convenientia posui, alicubi quoque[x] eorum sensum meis[y] verbis[z] propter brevitatem operis strictim enuntiavi. Interdum vero, ubi necesse fuit, secundum exemplar eorum quaedam sensu meo protuli. In omnibus tamen[a], ni fallor, catholicam[b] imitatus[c] sum[d] veritatem, a qua, si Dominus adiuvaverit, non patior ullo modo[e] divelli; quam et te prae omnibus habere atque amare confido. Et ideo tua suffragia supplex peto, ut ipsa veritas omnium creatrix atque[f] gubernatrix, licet non meis meritis, tamen propter tuam sacratissimam orationem me in se sine ullo devio erroris in aeternum conservare dignetur.

Beatitudinem tuam opto semper bene[d] valere in omnibus, sancte[g] pater, memorem[h] nostri.

Haec tibi, sancte pater, devote munera trado,
Quae tu dignanter qualiacumque cape.
Tu decus es nostrum, doctor, summusque sacerdos,
Dux sacer et princeps, lux, via, pastor, honor.
Nam quia tu templum dedicasti martyris almi[2]
Per servum donum hoc martyr et ipse dedit.
Nam est nonus et decimus octingentesimus annus.
Ex quo salvator venit in arva pius.
Qui te perfectum tribuat faciatque beatum,
Inserat et laetum coetibus angelicis.

---

a) novissimę *P 1. 2.* b) oportet *M.* c) admonere *P 2.* d) eccles. *corr. ex* aeccl. *P 1.* e) quod *M,* quę *P 1.* f) maximę *P 2.* g) dei *add. M, P 2, del. P 1.* h) istitut. *P 2.* i) instruere *ed.* k) et *P 2.* l) piae *E.* m) repper. *uno* p *deleto H.* n) cicius *H,* citius *M, E.* o) illi *P 2.* p) quia *T, E.* q) adque *H.* r) Hylarium *P 1, 2.* s) Agustinum *P 1.* t) *om. P 2.* u) Damasium i *del. H.* v) Isiodor. *corr. in* Isid. *M,* Ysid. *E,* Hisid. *T.* w) *om. P 2,* caet. *M, corr. in* cet. *P 1.* x) *om. H, E.* y) eis *E.* z) *om. T, E.* a) tunc *E, om. T.* b) catholica *H.* c) immitatus *P 1.* d) *om. H, T, E.* e) ullumodo *P 1.* f) creaturarum et *H, E.* g) sanctae *P 1. 2, E, T.* h) memor *E.*

1) *Cf. supra p. 381 n. 1.* 2) *Bonifatii a. 819. Kal. Nov. cf. denotationem dedicationis et Candidi vitam Aeigili I c. 15 (SS. XV, 230), II c. 17 (Poet. Carol. II, 109. 205).*

I.

LUPI ABBATIS FERRARIENSIS EPISTOLAE.

Lupus, cui Servati cognomen in libris nonnullis[1], *non a se ipso, additur, natus est Karolo Magno imperante*[2] *in Francia occidentali, patre Antelmo Baiuvaro, matre Frotilde Franca Vastinensi*[3]. *Fratres habuit Heriboldum atque Abbonem, qui, Angelelmo avunculo eorum in hac dignitate praecedente, alter post alterum episcopatui Autissiodorensi praefuerunt. Postquam Lupus in monasterio Ferrariensi ad dioecesim Senonensem pertinente, quod et Bethlehem vocabatur, iam sub Adalberto abbate*[4], *Alcvini discipulo, satis instructus erat, a successore eius Aldrico (postea archiepiscopo Senonensi), quem nutritorem suum vocat, trans Rhenum ad Hrabanum, Fuldensem abbatem clarissimum, a. c. 828. missus est, ut ab eo in sancta scriptura interpretanda erudiretur*[5]. *Si enim Fuldae, ut probabile videtur*[6], *Godescalci monachi amicitia usus est, Lupum iam ante annum 829. eo pervenisse inde sequitur. Qui cum per complures annos in monasterio illo* non parum multis amabilis *moraretur, Hrabanus hortatu eius, iam diaconi dignitatem adepti, collectaneum in Pauli epistolas ex patribus compilavit, quod ei post reditum in patriam*

---

1) *In codice Parisino 12292 s. IX. fol. 82 legitur:* Incipit libellus Lupi Servati de praedestinatione ad Carolum regem, *in Valentianensi 293 s. IX. fol. 148:* Collectarium Servati Lupi de tribus quaestionibus, *in Aurelianensi 191 p. 200* Scriptum Servati Lupi ad papam Nicolaum, *in cod. Lugdun. Batav. Voss. lat. 8° 37 s. X—XI. f. 142'* libellus Servati Lupi episcopi de tribus quęstionibus *(Steinmeyer Ahd. Gl. IV, 481). Eandem nominis formam Iac. Sirmond quoque ex duobus codicibus deperditis tuetur. Apud Sigebertum Gemblacensem (de SS. ecclesiast. c. 93) scribitur* Lupus Servatus. 2) *De anno nativitatis eius (c. 805) recte iudicavit Le Vavasseur (Bibl. de l'éc. des ch. I, 97).* 3) *Ex epistolae 37. ad Heriboldum episcopum datae verbis* communis frater *et* naturae memores quae nos artissimo necessitudinis vinculo nexuit *Baluzius iam Heriboldum et Lupum fratres fuisse collegit. Unde cf. Gesta episcopor. Autisiodor. c. 36 (SS. XIII, 397):* Heribaldus episcopus ex patre Antelmo Baioario, matre Frotilde Vastinensi sedit annos XXXIII, *praecessit ei ex c. 35 (p. 396) avunculus* Angelelmus episcopus natione Baioarius, ex patre Obtelmo et matre Teogarde, *secutus est eum (c. 37, p. 398)* Abbo ex monacho episcopus, supradicti Heribaldi pontificis germanus. *Fortasse haec familia Baioarica post Tassilonis casum in occidentem translata est.* 4) *Cfr. epist. 29, ubi de abbatibus anterioribus agitur.* 5) *Ibidem et in epist. 1 et 41 agit de Aldrico, quem nutritorem suum nominat (non nutricem i. e. amme, ut voluit Sprotte Biogr. des Abtes Serv. Lupus p. 21 n. 31; p. 27 n. 1).* 6) *Assentior Traubio ita disserenti (Poet. Carol. III, 708 n. 3): 'Quando Lupus Ferrariis Fuldam missus sit, incertum est; nam in prima quidem ad Einhardum epistula narrat se eo* delegatum esse ab Aldrico sancto metropolitano episcopo — *sedit autem Aldricus ab a. 829. ad a. 836 —, sed scribit ea verba anno demum 836, ut episcopi titulum apte apposuerit, etiamsi Aldrici tempus etiam tum abbatis recolat. Potest igitur Lupus Godescalcum Fuldae de facie cognovisse' (quippe qui a. 829. inde ablatus est).*

dedicavit[1]. *Lupus ipse magistri sui interpretationem libri Numerorum cum Gerolfo presbytero correxit*[2], *Buno abbate Hersfeldensi rogante S. Wigberti abbatis Friteslariensis primi vitam a. 836. enarravit*[3] *nec veri dissimile videtur*[4] *eum codicem amplissimum quoque legum Salicae, Ribuariae, Langobardorum, Alamannorum, Baioariorum capitularibus nonnullis adiectis pro Eberhardo duce Foroiuliensi, Hrabani amico, tunc scripsisse et picturis versibusque exornasse*[5]. *Quamquam ipse linguae theodiscae usum nactus non est, commercium tamen litterarum cum viris Germaniae doctis habuit, in primis cum Einhardo abbate Seligenstadensi, quem multum admiratur, Probo presbytero Moguntino aliis. Marcwardus Prumiensis abbas, quondam et ipse monachus Ferrariensis et propinquus*[6], *monachique eius Eigil et Ansbaldus, qui Marcwardum in abbatia regenda subsecuti sunt, Lupo iam antea amici erant, unde Marcwardo postea nepotem aliosque duos iuvenes educandos cum duobus paedagogis commisit*[7].

Anno 836. exeunte Ferrarias reversus[8] *Lupus, favore Ludowici Pii imperatoris atque Iudith uxoris eius magna spe elatus*[9], *sub Odone abbate in studia litterarum ac negotia monasterii strenue incubuit, Waldonis monachi S. Maximini rogatu vitam S. Maximini*[10] *Trevirensis a. 839. stilo emendato composuit. Ludowico Pio defuncto spe demum potitus est, cum Karolus rex, qui doctrinam eius magni faciebat, a. 841. Odone abbate, qui Lothario imperatori adhaeserat, remoto Lupum monasterio praefecit*[11], *qui*

---

1) *V. EE. V, 429—430:* rogante Lupo monacho atque tunc diacono. *Dedicatur hic commentarius* fratri et commilitoni Lupo Christi ministro. 2) *EE. V, 397, cf. Traubium in Rhein. Museum für Philol. N. F. XLVII, 558.* 3) *SS. XV, 37—43. Annum dicit in prologo, qui infra sequetur.* 4) *Cf. Ioh. Merkel (Archiv XI, 587 a. 1858), qui primo Lupum nostrum auctorem codicis iam deperditi fuisse coniecit, ex quo Mutinensis descriptus est, cfr. etiam P. Clemen, Die Porträtdarstellungen Karls des Gr. Aachen 1890 S. 78 sqq.* 5) *Repeto hic versus ex editione Merkeliana LL. III, p. 3—4 n. 13:*

Carmen heroicum de totius speculatione huius praeclari voluminis.

Hunc heros librum legum conscribere fecit
Evrardus, prudens prudentibus omnia vexit.
Quisquis amat cunctas legum cognoscere causas,
Arbiter et clarus vult omnibus ipse videri,
Hunc avidus cupiens oculis a[ni]moque requirat.
Depictos Salicos Francos in fronte videbit,
Post legem quorum conscriptam cernet et ipsam.
Cognoscet libro Ribuenses iamque sequenti,
Consequitur quorum lex crimina multa perartans.
Effigies Langobardorum tercius ornat,
Collectam legem cernes mirabile visu.
Post pictos multos Alamannos ipse videbis
Et legem quorum cernes iam iamque sequentem.
Ast Baioaria lex quintum tenet ipsa libellum.
Iam pulchras poteris si velis forte videre
Effigies, lector, Francorum, scema per ęvum.
En Carolus cum Pippino quam fulget in vultu,
En Hludowicus cesar quamque Hlotharius heros,
Ipsorum quantum et leges per cuncta tonantes
Nunc fulgent, fulgebunt, quod Deus addat, et ultra.

Carmen eleycum cui supra.

Hos tibi versiculos, prudens Evrarde, benivolos
Descripsi paucis infimus ecce Lupus.
Si Deus eternus vitae superadderit annos,
Tunc maiora reor dignius ipse canam.
Te pater atque patris proles, te spiritus almus
Protegat, exaltet, salvet, honoret, amet.

I. v. 5 amoque *cod.* 8 tamque *c. (cf. v. 10. 13).* 9 lex lex *c.* 10 Effigies iam *c., corr. Tr.* 13 cernens *corr.* cernes *c.* 15 Quam . . videri *c., corr. Tr.* 17 *an* in actu *legendum? Tr.*
II. v. 1 benivolos *c.* 3 *pro* superaddiderit. 4 Nunc *c., corr. P. de W.*

6) *Cf. infra epist. 55 ad Marcwardum datam:* quoniam de loco nostro sitis, a quo vos corpore dumtaxat ecclesiastica utilitas abduxerit; *ep. 91.* 7) *Cf. infra epist. 60. 70. 91.* 8) *post Aldrici archiepiscopi mortem, qua die 10. Octobris mensis a. 836. defunctus est.* 9) *Cf. ep. 6.* 10) *SS. rer. Merovingic. III, 73—82 ed. Krusch. De tempore cf. ibid. c. 25 p. 82:* usque ad hunc annum, quo scribimus, hoc est ab incarnatione Domini octingentesimum tricesimum nonum *etc.* 11) *Lupum anno 842. abbatem factum esse ante communis erat opinio, quam A. Giry (Études d'histoire dédiés à Monod p. 116) iam die 10. Maii mensis a. 841. Lupum abbatem a Karolo rege praeceptum pro monasterio Ferrariensi recepisse demonstraret, v. Morin l'histoire du Gastinois III, 176—177. Unde cum ex epistola (21) ad Ionam epi-*

paulo post et a monachis ipsis legitime electus antecessorem aliquamdiu reluctantem ex monasterio expulit. Sed in hoc periculoso ac turbato rei publicae statu monasterium a 72 fratribus habitatum magna laborabat penuria, cum cella S. Iudoci in litore maris sita, quam Ludowicus Pius ei donaverat[1], *primo a Lothario imperatore*[2], *tum a Karolo rege, qui eam Odulfo comiti potenti ad usum fructum tradiderat*[3], *a monachis abalienaretur. Frustra per plures annos Lupus, indefessus rerum monasterii propugnator, modo ipse regem adiit, modo Ludowicum abbatem, Hincmarum archiepiscopum, Ebroinum episcopum aliosque viros, qui apud Karolum multum valebant, ut pro se intervenirent, donec post Odulfi, ut videtur, mortem cellam diu desideratam atque a Normannis ad nihilum redactam tandem recuperaret*[4]. *Abbatis S. Amandi vero dignitatem, quae a. 847. ei oblata est, recusavit*[5]. *Presbyteri quoque gradum, nescimus quando, adeptus est*[6].

Ab exercitatione belli alienus (cf. ep. 78) et litteris tantum deditus Lupus in expeditione infelice contra Britannos a. 844. facta captivus ducebatur, sed mox liberatus est. Eodem anno cum Prudentio episcopo legatione regis functus Burgundiae monasteria visitavit (ep. 32). Romam quoque Leone IV papa ecclesiam regente, nescimus ex qua causa, profectus est[7]. *Controversias theologicas, quae ecclesiam tunc agitarunt et pacem eius turbarunt, non multum adamasse videtur, sed et Hincmaro amico eum interroganti de praedestinatione breviter exposuit*[8] *et Karolo regi iussu eius de eadem re epistolam scripsit librumque ampliorem eiusdem argumenti, cui de tribus quaestionibus inscribitur, a. 849. stilo claro ac perspicuo usus, collectaneo auctoritatum addito. Godescalco monacho ipsi rogatu eius Augustini locum de Deo post resurrectionem videndo interpretatus est (ep. 30)*[9]. *In quaestione illa nodosa de praedestinatione solvenda ad Godescalci opinionem magis propensus tam moderatum se exhibuit, ut neque adversarios eius offenderet neque omnes Godescalci conclusiones probaret.*

Ob elocutionis latinae elegantiam[10] *et puritatem, qua inter omnes temporis sui scriptores excellebat, et Wenilo archiepiscopus et Irmintrudis regina interdum munus condendarum epistolarum ei commiserunt*[11] *et synodorum quoque acta componere iussus est, ut Vernensis a. 844., Turonensis a. 851. (ep. 84), Murittensis (ep. 115) incerto anno habitarum. Aliis tantum interfuit*[12]. *Maxime tamen ei cordi erat codices auctorum classicorum latinorum*

---

scopum data constet eum die 22. Novembris m. a monachis electum esse, hoc anno 840. accidisse collegit. At cum Lupus in epistola (40) a. 842. ad Hrabanum data, in qua electionem suam commemorat, non de alio quam de modo praeterito anno agere potest, sequitur, ut Lupus, iam Maio mense a. 841. a rege quidem abbas creatus, anno demum dimidio post, belli turbis id fortasse impedientibus, a fratribus electus sit.

1) *Ludowici praeceptum saepius commemoratum deperiit. Contulerat, Karoli charta teste,* villam S. Iudoci sitam in pago Pontiu super fluvium Quantiam in loco qui dicitur Schaderias .. ut in .. regimine rectorum coenobii Ferrariensis perpetuo consistens utilitatibus monachorum ita deserviret, ut quicquid residuum esset hospitalitati, quae peregrinis illic solemniter exhibetur, in usus fratrum assidue caderent. 2) *Cf. epist. 11 sine abbatis nomine scriptam.* 3) *inde ab anno 841., cf. Karoli praeceptum anno 843. exeunte datum (Lupi opp. ed. Baluzius p. 512):* De cella quoque S. Iudoci, quam b. mem. pater noster Hludovicus serenissimus augustus contulit praefato monasterio, et nos quadam necessitate Odulfo comiti dedimus *etc. In priore charta cellam sine condicione Lupo confirmaverat.* 4) *Annus huius restitutionis non traditur: a. 847. ineunte nondum evenerat.* 5) *Cf. epist. 18 et quae ibidem exposui.* 6) *Cf. Synod. Suession. a. 853., Act. II (Mansi Coll. concil. XIV, 985):* Et revelatum est volumen illud synodo coram principe glorioso Carolo a Lupo venerabili presbytero et abbate in monasterio sancti Petri quod Bethlehem vel Ferrarias dicitur. 7) *Si ea quae Lupus in initio libri de tribus quaestionib. p. 207 scribit:* cum .... comperissem primum in Italia, deinde in Gallia si non concuti fidem, turbari certe *etc. ad iter Italicum respiciunt, id ante annum 849. se fecisse oporteret, sed de auditis quoque ita loqui potest.* 8) *Cf. Schrörs, Hinkmar v. Reims p. 109.* 9) *Cf. quae Traube exposuit, Poet. Carol. III, 715 n. 1.* 10) *De clausula in Lupi epistolis rhythmica v. Guil. Meyer Spirensem, Gött. Gel. Anz. a. 1893 p. 22.* 11) *Cf. epp. 81. 99. 101. 106. 130. Reginae nomine scriptae sunt epp. 89. 95.* 12) *Cf. de his synodis Sprotte, Biogr. des Abtes Lupus p. 67—77. Lupus subscripsit a. 843. Germaniaci, Mansi XIV, 796; composuit a. 844. canones concilii Vernensis, Capitul. reg. Francor. II, 383—387; subscripsit conciliis Suessionensi a. 853. Mansi XIV, 982. 985. 990, cf. Hincmar. de praedestin., Opp. ed.*

undecunque potuit colligere vel commodare atque accuratius describendos curare, ita ut bibliothecam eorum tam amplissimam quam correctissimam sibi compararet[1]. *Codicem Valerii Maximi nunc Bernensem 366 aliis subsidiis adiutus arte vere critica scienter correxit*[2]. *Libellum de generibus metrorum in Boetii de consolatione philosophiae libris discipulus eius quidam edidit*[3]. *Unde cum viris illis, qui inde a saeculo XIV. litterae Graecae Latinaeque ut resurgerent effecerunt, arta necessitudine coniunctus est, quamvis ipse Graecae linguae ignarus fuerit*[4]. *Ex discipulis, quos Lupus Ferrariis docuit, novimus Fridelonem, Adonem et inprimis Heiricum grammaticum ac poetam postea versatissimum*[5]. *Periculis Normannicis undique circumdatus, communi patriae calamitate afflictus, morbo denique affectus clausit Lupus vitam suam laboriosam non multo post annum 861., sed in his tristissimis temporibus mortis eius neque annus neque dies memoriae proditi sunt. De vita scriptisque Lupi egerunt post editores diebus nostris Sprotte et Marckwald non sine fructu.*

Perpauca tantum de Lupo sciremus, nisi magna epistolarum eius pars nobis servata esset, atque hae omnes quidem quattuor exceptis codice unico nunc Parisino 2858, quondam Ferrariensi, saeculi IX. Post Papirium Massonum qui a. 1588. epistolas illas, multis mendis conspersas primo edidit[6], *Andreas Duchesnius*[7] *codicem iterum nactus contulit et quamplurimos errores sustulit, non tamen omnes. Anno 1664. Nicolaus Coquelinius doctor et socius Sorbonicus librum Stephano Baluzio utendum dedit, qui editiones ab eo adeo discrepare vidit, ut quin denuo illae epistolae recudendae essent non dubitaret. Neque eas solum, sed omnia Lupi opera bis a. 1664. et 1710. publicavit*[8] *ac more suo commentario docto adornavit, codice interea in bibliothecam Colbertinam, postea in regiam illato. Epistolam 73. mutilam et partem epistolae 74. ex editione principe repetere ei opus erat, folio antea iam laeso, nunc penitus exciso*[9]. *Altera lacuna post epistolam 115. quam finis epistolae mutilae sequitur iam Massoni tempore extiterat. Omnes epistolarum Lupinarum inde a Massono editores codicis ordinem in impressis retinuerunt, anno demum 1888. Desdevises du Dezert, cum in bibliotheca scholae Parisinae 'des hautes études' ad novam post Baluzium editionem parandam aggrederetur, epistolas secundum temporum rationem in meliorem ordinem redigere conatus est*[10]. *Sed quamquam librum manuscriptum iterum*

Sirmond I, 323; Bonogilensi a. 855. Mansi XV, 24. 28; apud Saponarias a. 859. Capitul. reg. Franc. II, 450; Pistis a. 862. Mansi XIV, 634.

1) *Cf. de his Lupi studiis Traube, Sitzungsber. der Münchner Akad. 1891 p. 389—391. 402—404; Abhandl. der bayer. Akad. III Cl. XXI, 679. 727 (ubi de Lupi schola agitur); Rhein. Museum N. F. XLVII, 558; Manitius (Rhein. Mus. N. F. XLVIII, 313—320); Marckwald Beitr. zu Serv. Lup. p. 63—67; E. Norden, antike Kunstprosa, Leipz. 1898 p. 698—703.* 2) *V. Schnetz, Ein Kritiker des Valerius Maximus im 9. Jahrh. (Neuburg 1901).* 3) *Boetii Consol. philos. ed. Peiper p. XXIIII—XXIX; Rossbach De Senecae recensione p. 75.* 4) *Cf. ep. 5 ad Einhardum et 30 ad Godescalcum datas.* 5) *Cf. Traube Rhein. Museum l. l., Abhandl. der k. bayer. Akad. der Wissensch. XIX, 370—373; Heirici versus (Poet. Carol. III, 427) v. 9:* Hic praeceptorum sunt ludicra pulchra duorum, | Quis ego praesulibus ingenium colui. | His Lupus, his Haimo ludebant ordine grato, | Cum quid ludendum tempus et hora daret. | Humanis alter, divinis calluit alter: | Excellet titulis clarus uterque suis *etc.* 6) *Liber rarus, cui inscribitur: Lupi apud Ferrariam monasterium Senonum in Gallia clarissimi abbatis qui Carolo Calvo vixit epistolarum liber nunc primum in lucem aeditus Papirii Massoni beneficio atque opera. Ad antistites et clerum Galliae. Parisiis, apud Marcum Orry, via Iacobaea, sub insigni Leonis salientis, 1588. Hanc editionem repetierunt bibliothecae patrum Coloniensis (a. 1618) t. IX, 826—860 et Parisiensis (a. 1624).* 7) *Historiae Francorum SS. II, 726—788 (Paris 1640).* 8) *Beati Servati Lupi presb. et abbatis Ferrariensis O. S. B. opera Steph. Baluzius Tutelensis in unum collegit etc. editio secunda . . aucta atque emendata, Antwerpiae ap. Gleditsch 1710. Baluzii editio prior repetitur in Bibliotheca maxima patr. Lugdun. XV, 1—143 (Lugd. 1677), posterior ap. Migne Patrol. CXIX, 423—610 neglegenter et mendose ut solet.* 9) *Ad epist. 73 adnotat B. p. 405: Heic destituti sumus auctoritate codicis manuscripti.* 10) *Lettres de Servat Loup, par G. Desdevises du Dezert, Paris Vieweg 1888 (= 77e fascicule de la Bibliothèque de l'école des hautes études), cf. Ach. Le Vavasseur in Biblioth. de l'éc. des ch. L, 97—101, qui iuste reprehendit (p. 100 n. 2) editorem non Baluzium ipsum adhibuisse, sed 'une réimpression posterieure' i. e. Mignii Patrologiam, unde complura menda irrepserunt; A. Giry, Études d'hist. déd. à Monod p. 113. 114.*

non sine fructu contulerit, neque textus eius mendis typographi hic illic depravatus Baluziano praeferendus est neque in epistolis omnibus temporum notis destitutis digerendis rectum vel probabile semper assequi potuit. Unde post operam eius quamvis non frustra locatam codex denuo conferendus erat, id quod S. G. de Vries, bibliothecarius Lugdunensis Batavorum, quam diligentissime peregit, atque ego in epistolis ordinandis, quamquam invitus ac mecum discors, ob temporum dubitationem ad codicis seriem redii. Qui etsi a Lupi ipsius discipulo, Heirico forsan, ut Traube coniecit[1]*, ex foliis singulis sparsisque post mortem eius collectus sit, is qui eum scripsit epistolas quidem duas vel etiam complures, quae inter se cohaerebant, interdum non unam ab altera seiunxit*[2]*, sed ceterum et temporum et argumenti cura foede neglecta multa turbavit*[3]*. Ne illae quidem epistolae, quas Lupus abbatis dignitatem nondum adeptus ex parte sub Odonis nomine scripsit*[4]*, ceteris antecedunt. Nomina propria a librario plerumque abbreviantur, ita ut ea tuto supplere non semper liceat.*

Codex Parisinus 2858 (Colbert. 5222, Reg. 4356 5 B) membranaceus constat 71 foliis ac duabus partibus in saeculo demum XVII. consutis, quarum altera fol. 64—71 saec. XI. scripta est[5]*. Prior pars, cui inscribitur manu saeculi X.* Incipiunt epistole beati Lupi abbatis Ferrariensis, *tribus circiter manibus saec. IX. scripta constat 7 quaternionibus signatis, folio 36. exciso. Librarius aequalis totum librum correxit marginibusque notas ex parte tironianas addidit, quae non magni momenti verba textus singula repetunt vel adnotant. Quas notas de Vries primum legit, ita ut etiam in editione nostra reperiri possint. Codicis Parisini apographon saec. XVI—XVII. Petri Danielis et Iacobi Bongarsii iussu confectum est codex Bernensis 141 chartaceus, neglegenter ac mendose scriptus, ita ut nullum fere fructum inde carpere liceat. Rettulit de eo diligenter a se collato E. Marckwald (Beitr. zu Servatus Lupus p. 8—9. 69—96)*[6]*.*

Praeter epistolarum seriem codice Parisino servatam extant ab ea separatae epistolae duae argumenti dogmatici, utraque in codice Valentianensi, quondam Elnonensi, 293 (283 ap. Mangeart) s. IX. fol. 144'—147', quem contulit A. Werminghoff[7]*. Codex Virdunensis, qui eas et ipse praebuit a Iac. Sirmondo adhibitus, deperiisse videtur*[8]*. Altera autem harum epistolarum ad Karolum Calvum data extat etiam sola in codicibus Parisinis 12292 (S. Germani a Pratis 852) fol. 82—83' s. IX.*[9] *et 18556 (Bouhier 149) f. 29' s. X.*[10]*, quos K. Hampe contulit. Ante Sirmondum, quem Baluzius ducem secutus est, edidit has epistolas cum libro de tribus quaestionibus bis ex codice S. Amandi solo Donatus Candidus a. 1648. et 1650. Litteras sub Wenilonis nomine ad Nicolaum I papam datas debemus codici Aurelianensi 191 (168) p. 200 s. XI—XII.*[11]*, ex quo V. cl. Cuissard*

---

1) *Neues Archiv XVII, 404 n. 2.* 2) *Exempli gratia epp. 1—5, 6 et 7, 13 et 14, 23—26, 42—45, 61 et 62 etc.* 3) *Separavit e. g. epp. 20. 34. 36 ad Altvinum monachum ante annum 841. datas quae coniungendae erant. Ad idem tempus pertinet epistola 41 Immoni missa, quae multo post sequitur. Epp. 13 et 14, 61 et 62 scribit Lupus cella S. Iudoci recepta, quam in epp. 71 et 83 iterum iterumque a rege postulat. Ex exhortationibus Karolo regi missis epp. 64 et 93 probabiliter epistolae 45 antecedunt. Epistola 12 ad Pardulum episcopum data non ante annum 847. scribi potuit etc. Non recte igitur A. Giry (Étud. d'hist. déd. à Monod p. 115) contendit: les lettres de même date sont généralement réunies.* 4) *Epp. 24—26. 28, abbas iam factus scripsit Lupus epp. 9. 10. 12—19. 21. 27(?).* 5) *Cf. de hoc codice Marckwald p. 10—12, Desdevises p. 5—6, ubi accuratius de altera consuta codicis parte agitur.* 6) *Addidit etiam ibidem p. 96—98 Danielis adnotationes ad Massoni editionem principem, cuius exemplar in bibliotheca Bernensi asservatur.* 7) *V. Bethmann, Archiv VIII, 439—440; Catal. gén. des départ. XXV, 321. Sackur codicem ipsum non invenerat, sed apographon ab Antonio Grimberto saeculo XVII. medio confectum in codice 238 (nunc 248) contulit, v. Neues Arch. XV, 442. Codicem Elnonensem adhibuit Sirmond, Opp. var. II, 914.* 8) *Sirmond commemorat l. l. exemplar Virdunense utriusque epistolae, quod frustra quaesivi.* 9) *Pertz, Arch. VIII, 292; Delisle, Biblioth. de l'éc. des chartes 6 sér. III (= t. 28) p. 358.* 10) *Hoc codice usus est etiam Sirmond, cui 'I. Bouherus Senator Divionensis' copiam eius fecit, cf. Arch. VIII, 286, Biblioth. de l'éc. des ch. XXXI, 562, Marckwald l. l. p. 17.* 11) *Ex eodem tunc Floriacensi codice edidit hanc epistolam iam Sirmond l. l., cf. Catal. gén. des départ. XII, 90.*

bibliothecarius eas descripsit. Nec praefationes, quas Lupus vitis SS. Wigberti et Maximini a se compositis addidit, cum epistolarum speciem prae se ferant, praetermittere voluimus, de quibus post Holder-Eggeri et Kruschii curas[1] *nihil adiciendum est, nisi quod ad prologum S. Maximini duo codices Berolinenses etiamnunc adhibiti sunt, Phillippicus 1839 f. 250 s. XIII. et quondam Cheltenhamensis 16372 s. IX., quos contulit Hampe.*

Summo huius editionis usui L. Traube socius noster omnes eius plagulas benigne recensendas suscepit.

Numeri		Numeri		Numeri		Numeri		Numeri	
Desdevisiani	nostri vel codicis	Desdevisiani	nostri	Desdevisiani	nostri	Desdevisiani	nostri	Desdevisiani	nostri
1	1	27	16	53	50	79	78	105	95
2	2	28	37	54	49	80	77	106	19
3	3	29	87	55	55	81	79	107	118
4	4	30	88	56	57	82	68	108	18
5	5	31	63	57	58	83	67	109	101
6	41	32	90	58	56	84	66	110	102
7	20	33	91	59	51	85	84	111	103
8	36	34	86	60	48	86	76	112	106
9	8	35	92	61	47	87	96	113	107
10	34	36	9	62	46	88	addit. 4	114	29
11	35	37	65	63	52	89	addit. 3	115	82
12	6	38	80	64	54	90	115	116	98
13	7	39	81	65	17	91	75	117	99
14	28	40	15	66	59	92	73	118	119
15	26	41	64	67	60	93	74	119	100
16	11	42	31	68	70	94	113	120	130
17	23	43	32	69	69	95	114	121	116
18	25	44	33	70	72	96	85	122	124
19	24	45	104	71	89	97	97	123	120
20	10	46	71	72	12	98	111	124	117
21	40	47	42	73	30	99	112	125	122
22	21	48	83	74	93	100	110	126	123
23	27	49	43	75	61	101	94	127	125
24	38	50	44	76	62	102	105	128	127
25	22	51	45	77	13	103	109	129	121
26	39	52	53	78	14	104	108	130	126

Berolini anno 1900.

Ernestus Duemmler.

---

1) *SS. XV, 36—43; SS. rer. Merovingic. III, 71—82.*

1.

Lupus monachus Einhardi abbatis Seligenstadensis, quem ob vitam Karoli imperatoris eleganter scriptam admodum admiratur, amicitiam exoptat, se a pueritia studiis humanioribus deditum ab Aldrico Senonensi archiepiscopo in Fuldam monasterium ad Hrabanum abbatem missum esse refert eumque petit, ut libris commodatis, Ciceronis inprimis, sibi opem ferat. c. 830—836.

c. 830—836

Edd. Einhardi opp. ed. Teulet II, 155—159. Desdevises 1.

*CARISSIMO[a] VIRO EINHARDO LUPUS SALUTEM[b]. *f. 1'.

Diu cunctatus sum, desiderantissime hominum, auderem necne excellentie tuae[c] scribere. Et cum me ab hoc officio aliae rationabiles causae, tunc etiam ea maxime deterrebat quod posse id contingere videbatur, ut, dum vestram cuperem amicitiam comparare, offensam incurrerem: scilicet[d] quod et praepropero[e] et inusitato prorsus ordine ab ipsae[f] familiaritatis munere inchoaverim, qui nec primordia notitiae contigissem. Ita vehementer aestuanti facilis et modesta et quae sane philosophum[g] deceat animi vestri natura tantae rei obtinendae spem tribuit. Verum ut[1] aliquid rationis afferre videar, taceo quidem secularium litterarum de amicitia sententias, ne, quoniam eis adprime incubuistis, Oratianum illud doctissimorum ore tritum merito accipiam: In silvam ne ligna feras[2]. Deus certe noster nedum aliquam aspernandi amicos occasionem relinqueret, diligendos[h] omnino inimicos praescripsit. Itaque patienter, quaeso, et benigne advertite animum, dum altius meas repeto cogitationes, ut nosse possitis, quam hoc non perperam nec iuvenili moliar levitate. cf. Matth. 5, 44.

Amor litterarum ab ipso fere initio pueritiae mihi est innatus, nec earum, ut nunc a plerisque vocantur, superstitiosa vel[i] . . . otia fastidivi[k]. Et nisi intercessisset inopia praeceptorum et longo situ collapsa priorum studia pene interissent, largiente Deo meae aviditati satisfacere forsitan potuissem. Siquidem vestra memoria per famosissimum imperatorem K[arolum], cui litterae eo usque deferre[l] debent, ut aeternam ei parent memoriam, coepta revocari, aliquantum quidem extulere caput satisque constitit veritate subnixum praeclarum Ciceronis[m] dictum[3]: Honos alit artes, et accenduntur omnes ad studia gloriae; nunc oneri sunt qui aliquid discere affectant. Et velut in edito sitos loco studiosos quosque imperiti vulgo suspectantes[n], si quid in eis culpae deprehenderunt, id non humano vitio, sed qualitati disciplinarum assignant: ita, dum alii dignam sapientiae palmam non capiunt alii famam verentur indignam, a tam praeclaro opere destiterunt. Mihi satis apparet propter se ipsam appetenda

---

1. a) *sine lemmate.* b) L. s. *P.* c) vestrae *edd.* d) scilicet *altero* sci *superscr. P.* e) p̄popero *P.* f) ipsa *man. rec. corr. in* ipso *P,* ipsae *coni. Tr.* g) philosophiam *P, corr. Tr.* h) in dil. *P.* i) vel *in ras. man. 2, om. edd.,* supervacua *suppl. Tr.* k) fastidius *P,* fastidio sunt *Bal.,* fastidivi *Desdev.* l) gloriam *suppl. Tr.* m) cic̄ *P.* n) aspectantes *P, corr. Tr.*

1) *Hic et in sequentibus Heiricus (Prolog. in Mirac. S. Germani, Acta SS. Iul. VII, 267) multa ex Lupo mutuatus est, cf. Traubium, Poet. aevi Carol. III, 439 ad vers. 46.* 2) *Sat. I, 10, 34; in proverbium abiit cf. Lup. de trib. quaestionib. (Opp. ed. Baluze p. 256 ex Hieron. adv. Pelag. III c. 19, Opp. II, 791):* Unde supersedendum huic labori censeo, ne mihi dicatur illud Horatii, In silvam ne ligna feras; *Alcvini epistolae (EE. IV, 71. 187); Hincmari opp. ed. Sirmond II, 135. 477.* 3) *Cic. Tuscul. L. I, 2 § 4, cf. Augustin. de civit. Dei V c. 13 (Opp. VII, 130; ed. Hoffmann p. 240).*

c. 830—836 sapientia[1]. Cui indagandae a sancto metropolitano episcopo Aldrico[a 2] delegatus, doctorem grammaticae sortitus sum, praeceptaque ab eo artis accepi. Sic, quoniam a grammatica ad rhetoricam et deinceps ordine ad ceteras liberales disciplinas transire hoc tempore fabula tantum est, cum deinde auctorum voluminibus spatiari aliquantulum coepissem, et dictatus nostra aetate confecti displicerent, propterea quod ab illa Tul-
*f. 2. liana ceterorumque gravitate, quam insignes quoque *christianae religionis viri aemulati sunt, oberrarent, venit in manus meas opus vestrum, quo memorati imperatoris clarissima gesta (liceat mihi absque suspicione adulationis dicere) clarissime litteris allegastis. Ibi eligantiam sensuum, ibi raritatem coniunctionum[b], quam in auctoribus notaveram, ibi denique non longissimis perhiodis impeditas et implicitas, at[c] modicis absolutas spatiis sententias inveniens amplexus sum. Quare, cum et ante propter opinionem vestram, quam sapiente viro dignam imbiberam, tum praecipue propter expertam mihi illius libri facundiam, desideravi deinceps aliquam nancisci oportunitatem, ut vos praesentes alloqui possem; ut quemadmodum vos meae parvitati vestra tum probitas tum sapientia fecerat claros, ita me vestrae sublimitati meus et erga vos amor et erga disciplinas studium commendaret. Neque vero[b] id optare desistam, quamdiu ipse incolumis in hac vita vos esse cognovero. Quod posse contingere hoc magis in spem ducor, quo ex Gallia huc in Transrhenanam concedens regionem vobis vicinior factus sum. Nam a praefato episcopo ad venerabilem Rhabanum[3] directus sum, uti ab eo ingressum caperem divinarum scripturarum. Ergo cum ad vos iturum hinc eius nuntium comperissem, primo quasdam verborum obscuritates, a vobis uti elucidarentur, mittendas proposui; deinde praestare visum est, ut etiam hanc epistolam dirigere debuissem; quae si a vobis dignanter accepta fuerit, exoptabili me affectum munere gratulabor.

Sed semel pudoris transgressus limitem, etiam hoc postulo, ut quosdam librorum vestrorum mihi hic posito[4] commodetis. Quamquam multo sit minus libros quam amicitiam flagitare. Sunt autem hi: Tullii de rhetorica liber; quem quidem habeo, sed in plerisque mendosum. Quare cum codice isthic reperto illum contuli; et quem certiorem putabam, mendosiorem inveni. Item eiusdem auctoris de Rhetorica tres libri in disputatione ac dialogo de Oratore. Quos vos habere arbitror, propterea quod in brevi voluminum vestrorum post commemorationem libri ad Herennium, interpositis quibusdam aliis, scriptum repperi: Ciceronis de Rhetorica[5]. Item: Explanatio in libros Ciceronis. Praeterea: Agellii[d] noctium Atticarum[6]. Sunt et alii plures in praedicto brevi: quos, si Deus apud vos mihi gratiam dederit, istis remissis accipiens describendos mihi, dum hic sum[4], avidissime curare cupio.

Exonerate, quaeso, verecundiam meam, quae supplico facientes; meque rimantem amaras litterarum radices, earum iam iocundissimis explete[e] fructibus[7], illo vestro facundissimo eloquio incitate. Quae si meruero, tantorum beneficiorum gratia, quoad vixero, semper mihi habebitur. Nam quae vos eorum merito sit remuneratio secutura, non opus est dicere. Plurima scribenda mihi alia mens suggessit; sed vestrum inge-

---

a) ald. *P.* b) *iterum not. tiron. in marg.* c) ad *corr. ex* at *P*, ac *edd.* d) . *post* A *addidit man. recentior.* e) expleti *P.*

1) *Hunc locum laudat Heiricus Lupi discipulus, cf. Traubium, Neues Archiv XVII, 404, XVIII, 98.* 2) *Aldricus abbas Ferrariensis Ieremiam, qui anno 828. exeunte (7. Dec.) obiit, in archiepiscopatu Senonensi secutus sexagesimo primo vitae suae anno VI Id. Oct. mortuus est, i. e. anno 836, cum anno 775. natus esset, cf. Vitam Aldrici c. 1 et 19 (Mabillon Acta SS. IV, 1, 568. 573).* 3) *abbatem Fuldensem a. 822—842.* 4) *Fuldae.* 5) *immo libros de inventione, cf. Haellingk, Commentat. in honor. G. Studemund, Argentor. 1889 p. 349.* 6) *De alio A. Gellii codice saec. IX. fortasse Senonensi v. Neues Archiv XIII, 355. 649.* 7) *Hieron. in Ierem. l. I c. 1 v. 4 (Opp. IV, 840):* Unde et vetus illa sententia est: Literarum radices amaras, fructus dulces, *cf. Alcvini Grammat., Opp. ed. Frobenius II, 267.*

nium meis ineptiis ultra remorari non debui, quod scio vel exterioribus occupatum 836
utilitatibus, vel circa intimas et abditas philosophiae rationes intentum.

2.

Lupus monachus Einhardum abbatem Seligenstadensem de obitu Immae coniugis carissimae consolari temptat. *836.*

Edd. Bouquet, Recueil VI, 402; Einhardi opp. ed. Teulet II, 159. Desdev. 2.

DESIDERANTISSIMO[a] PRAECEPTORI EINHARDO LUPUS[b].

Molestissimo nuntio de excessu venerabilis vestrae coniugis[1] consternatus, plus quam umquam vobis nunc optarem adesse, ut vestram maestitiam vel mea compassione levarem, vel concepto sensu ex divinis eloquiis assiduo sermone solarer. Verum donec id Deus praestet esse possibile, suggero ut memores humanae condicionis, quam merito peccati contraximus, modice[c] sapienterque feratis quod accidit. Neque enim huic infortunio cedere debetis, qui blandimenta laetioris fortunae forti semper animo devicistis. Invocato itaque Deo, nunc illas tolerantiae vires expromite, ad quas carissimum quemlibet casu simili deprehensum probabiliter vocaretis. Opto vos valere feliciter.

3.

Einhardus abbas Seligenstadensis luctum de coniugis morte insperata inconsolabilem fore fassus Lupo monacho de litteris ab eo acceptis gratias agit. *836.*

Edd. Einhardi opp. ed. Teulet II, 134—140. Desd. 3.

EINHARDUS[a] LUPO SUO SALUTEM.

Omnia mihi studia omnesque curas tam ad meas quam amicorum causas pertinentes exemit et excussit dolor, quem ex morte olim fidissimae coniugis, iam nunc carissimae sororis ac sociae[2], gravissimum cepi. Nec finiri posse videtur, quoniam extinctionis illius qualitatem adeo tenaciter memoria retinet, ut inde penitus non possit avelli. Huc accedit, quod ipsum dolorem identidem[b] accumulat et vulnus semel acceptum exulcerat, quod vota scilicet nostra nihil valere permissa sunt, ac spes, quas in martyrum[3] meritis atque interventione collocavimus, expectationem nostram ex asse frustratae sunt[c]. Inde evenit, ut solantium verba, quae aliorum mestitiae mederi solent, plagam cordis nostri recrudescere potius faciant[d] atque rescindant, cum me aequanimiter ferre iubent infortunii molestias, quas ipsi non sentiunt, atque in eo censent mihi gratulandum, in quo nullum gaudii vel laetitiae valent demonstrare vestigium. Quis est enim mortalium, cui mens constet quique sanum sapiat, qui sortem suam non defleat et qui se infelicem ac miserrimum non iudicet, cum in afflictione positus eum, quem votis suis fautorem fore crediderat, aversum atque inexorabilem experitur? Haecine talia tibi videntur, ut suspiria, ut lacrimas homuncioni tantillo commovere, ut ipsum ad gemitum et planctum concitare, ut etiam in desperationis barathrum deicere potuissent? Et utique deiecissent, nisi[e] divinae miserationis ope suffultus, quid in huiusmodi causis aut casibus maiores ac meliores nostri tenendum servandumque

---

2. a) *Lemma:* Ad eundem. b) L. *P passim.* c) *iterum not. tiron. in marg.*

3. a) *sine lemmate.* b) *not. tiron. in marg. repetitur.* c) frustrata est *P, corr. Tr.* d) faciunt *corr. in* -ciant *P.* e) devotionis *post* nisi *deletum est.*

1) *Immae quae obiit a. 836.* 2) *Cf. Bernharii epistolam ad Einhardum datam (EE. V, 111):* Imma soror dilectissima his esto adiutrix. 3) *SS. Petri et Marcellini, quorum reliquias Seligenstadi colebat.*

836 sanxissent, ad inquirendum subito me convertissem. Erant ad manum doctores egregii, nedum non spernendi, verum omnimodis audiendi atque sequendi: gloriosus videlicet martyr Ciprianus, et illustrissimi[a] sacrarum divinarum litterarum expositores Augustinus atque Ieronimus; quorum sententiis ac saluberrimis persuasionibus animatus depressum gravi merore cor sursum levare conatus sum, coepique mecum sedulo reputare, quid super excessu carissimae contubernalis sentire deberem, cuius mortalitatem magis quam vitam videbam esse finitam[1]. Temptavi etiam, si possem a memetipso exigere, ut id ratione apud me fieret, quod longa dies solet efficere: scilicet ut vulnus, quod animo nostro nondum sperata morte repentinus casus inflixit, cicatricem ducere ac spontaneae consolationis medicamento sanescere inciperet. Sed vulneris magnitudo facilitati resistit; et licet saluberrima sint quae a memoratis doctoribus ad mitigandum gravem dolorem velut a peritissimis[b] idemque[c] mitissimis medicis offeruntur[d], plaga, quae adhuc sanguinem trahit, sanandi maturitatem nondum admittit.

Hic fortasse miraris ac dicis ex huiusmodi occasione natum dolorem tam longum ac diuturnum esse non debuisse; quasi in dolentis sit potestate, quando id finiatur quod ille, quando inciperet, neque in potestate habuit, neque praescivit. Metiri tamen posse videtur doloris ac meroris magnitudo sive diuturnitas de eorum quae acciderunt damnorum quantitate: quae ego cum cotidie in omni actione, in omni negotio, in tota domus ac familiae administratione, in cunctis quae vel ad divinum vel humanum officium pertinent disponendis atque ordinandis immaniter sentiam[e], qui[f] fieri potest, ut vulnus, quod tot ac tanta incommoda intulit, cum crebro tangitur, non recrudescat potius et renovetur, quam sanescat aut solidetur? Arbitror enim, nec vereor, quod haec opinio falsum me habeat, hunc dolorem atque anxietatem, quae mihi de carissimae contubernalis occasione exorta est, perenniter mecum perseveraturam, donec id ipsum temporis spatium, quod Deus mihi ad hanc miseram ac temporalem vitam concedere voluerit, debito sibi termino finiatur: quam tamen proficuam potius mihi quam noxiam hactenus experior, cum animum ad laeta et prospera festinantem velut quibusdam frenis atque habenis remoratur ac retinet, mentemque ad revocationem[g] mortis revocet, quam ad spem et amorem longaevitatis otium[h] atque oblivio senectutis illexerat. Video mihi non multum superesse temporis ad vivendum, licet quantum id esse debeat mihi penitus ignoretur. Sed hoc certissimum teneo, et recens natum cito posse mori, et senem diu non posse vivere[2]. Ac proinde longe utilius ac beatius fore censeo ipsam
Matth. 5, 5. temporis incerti brevitatem cum luctu[i] quam laetitia ducere, quia, si secundum dominicam vocem beati[k] ac felices erunt, qui nunc lamentantur et lugent, e contrario infelices ac[l] miseri fient[m], qui dies suos in iugi et continua laetitia finire non metuunt.

Gratias ago atque habeo[n] caritati tuae, quod me per litteras tuas consolari dignatus es; neque enim maius aut certius tuae erga me dilectionis indicium dare potuisti, quam aegro atque iacenti manum exhortationis porrigendo, monendoque ut surgerem, quem mente prostratum ac merore depressum ignorare non poteras. Bene vale, carissime ac desiderantissime fili.

---

a) illustrussimi *corr. in* -issimi *P.* b) apertissimis *P, corr. Bal.* c) *rectius* isdemque *Tr.* d) offerunt *P, corr. Bal.* e) sententiam *P, corr. Bal.* f) qui *iterum not. tiron. in marg.* g) *an* recordationem? *Tr.* h) odium *P, corr. Tr.* i) luctum *P.* k) evangelicum exemplum *in marg. not. tiron.* l) *ras. ante* ac. m) fiunt *corr. in* fient. n) ago et habeo *in marg. not. tiron.*

1) *Imitatum ex Plinio in epistola 1 libri II, ubi de Virginii Rufi morte sic loquitur:* Si tamen fas est aut flere, aut omnino mortem vocare, qua tanti viri mortalitas magis finita quam vita est. *BAL.*

2) *Haec verba infra in epistola episcoporum ad Nomenoium ducem data (84) repeti Baluzius monet, qui ad hunc locum Hieronymi epistolam ad Principiam datam laudat (ep. 127 § 2, Opp. I, 945), ubi leguntur:* Illoque mandante posse et senes diu vivere et iuvenes cito mori, eleganter lusit: iuvenis quidem potest cito mori, sed senex diu vivere non potest.

4.

Lupus monachus Einhardum abbatem Seligenstadensem de amissa coniuge acriter dolentem copiose consolatus, propter libellum de adoranda cruce ab eo sibi dedicatum gratias agit, medioque mense Maio eum in reversione sua apud sanctos martyres visitaturum esse spondet. 836. 836

Edd. Einhardi opp. ed. Teulet II, 160—169. Desd. 4.

Epistolam[a] vestrae dignationis calamitatem, quae dudum vobis contigit[1], graviter querentem haudquaquam mediocriter commota mente perlegi, confectumque vestrum animum tam diuturni meroris anxietate vehementer indolui. Et quamvis, qui me longe praestent, amicorum solacia temptaverint hunc tantum levare dolorem, nec tamen ob eam rem profecerint, ut litteris vestris satis eminet, quod ipsi casus vestri considerationem non satis ad se admiserunt, eo usque, ut eorum quidam super excessu gratissimae quondam uxoris gratulandum monerent, quod, ut opinor, nihil ad consolationem pertinet, non tam[b] aetatis levitate vel ingenii, quod exiguum sentio, confidentia, quam proni erga vos amoris magnitudine haec rursum, qualiacumque sint, in vestri solacium non sum veritus cudere. Siquidem conscius mihi sum, intimum me nobilissimae illius feminae morte cum vestra, tum etiam ipsius vice traxisse dolorem; quem atrociter exasperantem vestrae litterae, fateor, recrudescere coegerunt. Unde nequaquam desperaverim, quod aliis necdum sit datum, mihi, ut aliquod solacium vobis persuadere possim, a Domino reservatum: vilibus plerumque remedium quaeritur, quod pretiosissimis et artis vigilantissima compositis diligentia frustra diu temptatum est.

Itaque firmamentum iusti, ut vobis videtur, doloris vestri duas in partes epistola[c] mihi reddenda divisistis. Earum prima, quae et vel[d] maxima, illa est, quod vota vestra et spes, quam in sanctorum martyrum intercessione locaveratis, vos velut irrita fefellerunt. Altera, quae proxime primam accedit, quod sinister ille casus quantum vobis importaverit incommodi, cotidianis metiri negotiis cogimini, dum vos onus domesticarum divinarumque rerum, quod illius memorabilis feminae fida societas leve fecerat, vestris ex toto impositum ac relictum cervicibus obruit. Revera valida utraque res, et quae praeter sapientem, qui adversa quoque modice ferre didicerit, facile quemlibet sua mole possit[e] opprimere.

Ac primam[f] quidem quam proposui partem conabor non subvertere ac penitus auferre (quod prorsus impossibile perfectis etiam oratoribus, si essent, video, multo magis mihi), sed tenuare imbecillemque inspectu rationis efficere. Certe hinc movemini, certe hinc afficimini, quod vos cassa vota frustrata sint, ac spes in martyribus, immo in Deo, sita illuserit. Quasi vero id vobis omnimodis constet quod tantopere poposcistis vestrae uxorisque saluti conducere. Quod sane si vobis satis exploratum fuisset, acrioris iustique doloris ingens esse videbatur fomes, dum vos non quasi filium corriperet, sed veluti in adversarium divina censura desaevisset. Attamen sic quoque non desperationis barathrum subeundum, sed divinitas[g] infensa precibus assiduis ac summissa fuerat flectenda[h] patientia. Nunc autem cum Deus omnes homines salvos velit fieri, ac in nomine ipsius, qui salvator dicitur, nemo postulet nisi qui propriae saluti proficua flagitarit, cumque vos in nomine salvatoris plena fide petieritis, quis non opinetur non exauditos quidem vos ad temporale votum, exauditos autem ad per- cf. 1. Tim. 2, 4.

---

4. a) *Lemma:* Ad Einhardum, h *supersc.* b) *ras. post* tam. c) s *poster. add. manu 2,* epistola *corr. Tr.* d) *iter. in marg. not. tiron.* e) *ras. duarum litterar. post* possit. f) primo *P, corr. Tr.* g) divinatas *corr. in* -itas. h) plectenda *corr. in* flect.

1) *Immae obitum.*

836 petuam salutem? Ego plane firmissime crediderim et vobis et uxori eius etiam immaturo excessu consultum. Quaeritis quemadmodum? Nempe quod coniuges ex duobus corporibus in unam redacti compagem, licet concordissime vixerint, non una leto[a] resolvuntur et, quantum ad usitatum naturae pertinet ordinem, necesse est unum alteri superesse. Hinc iam vestra prudentia intellegit, quando sententia in hominem divinitus
Gen. 3, 19. emissa: 'Terra es, et in terram ibis' differri aliquantulum potest, in perpetuum autem vitari non potest, fidis optandum coniugibus, cum uter eorum remansurus sit, eum fore superstitem, qui sit et ad calamitatem ferendam robustior et ad iusta de more christiano curanda magis idoneus. Non enim sexu differentia virtutis, sed animo capienda est. Alioqui non video, religiosi coniuges quemadmodum sibi sincero amore devincti sint. Cum haec ita se habere indubitata ratio persuadeat, planum igitur est verisimile esse non illi feminae venerabili solum, sed etiam vobis a Deo magnum quiddam praestitum, dum quod vobis eligendum fuerat ipse ultro ingesserit, quamquam occulto, minime tamen iniusto iudicio[1]. Certe illa etsi ex vestro consortio multa didicerat, ita ut non sui sexus modo, verum etiam turbam virorum sua insigni prudentia, gravitate atque honestate, quae res magnam vitae humanae tribuunt dignitatem, longe superaret, ac corpore femina, animo in virum profecerat, ad sapientiae vestrae fastigium numquam penitus aspirasset, numquam tantum robur semperque [sui][b] similem, quam in vobis singulariter omnes mirantur, constantiam ullis umquam profectibus aequavisset. Numquam, si supervixisset, tantum vestrae, quantum vos et illius et vestrae perpetuae saluti procurare potuisset. Ac per hoc, quoniam, dum in hoc fragili versamur corpore, omni[c] perturbatione ita vacare non possumus, quin aliquando aliqua aegritudinis molestia quatiamur, quod posse sapienti contingere philosophi putaverunt, hoc vobis evenire optem, ut casus adversos, ut primo aspectu apparet, quibus vulgo inculta mortalium multitudo subruitur, vestrae mentis sapientia sensim emolliat, immo divinae voluntati vestram contemperet. Deinde, quia vitae huius obscurissimas tenebras sermo divinus
Ps. 118, 105. irradiat iuxta illud: 'Lucerna pedibus[d] meis verbum tuum, et lumen semitis meis', quomodo ipse formet eandem vitam, penitus intuendum est. Nimirum in dominica oratione
Matth. 6, 10. cotidie dicimus: 'Fiat voluntas tua', scilicet non nostra, quae ignara rerum sibi salubrium falli consuescit, sed tua, quae, utpote Dei, futura praenoscit. Salvator quoque noster pas-
Matth. 26, 39. sione impendente[c] cum dixisset: 'Pater, si fieri potest[e], transeat a me calix iste', assumpti hominis infirmitatem, immo membrorum suorum, propter quae ad has preces descenderat, imbecillitatem sic divina virtute consolidat: 'Verumtamen non sicut ego volo[f], sed sicut tu', scilicet[g] fallere fallique nescius magister, quia Deus suo nos exemplo instituit, ut, cum adversa urgerent, sic ea depellere precibus conaremur, ut in his etiam contra nostrum votum eius fieri voluntatem salubriter amplecteremur. Recolite, quaeso, Paulum, cuius
2. Cor. 12, 2. tanta erat eminentia, ut in tertium raptus caelum audierit arcana verba sanctae Trini-
ib. 4. tatis, quae non licet homini loqui, ter Dominum orasse, quo a se angelum Satanae, a
ib. 7. 8. quo tribulabatur, submoveret, nec optinuisse quod voluit, sed quod profuit. Revocate in
2. Reg. 18, 33. memoriam David, quatenus se pro impetranda filio vita macerarit. Et certe cum tantus esset propheta, ne responsum quidem divinum tam immani confectus merore promeruit.
Rom. 15, 4. Quaecumque autem scripta sunt, ad[h] nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus. Ergo perpendite, qualiter David, cassam precum suarum expertus instantiam, consolationem ratione perceperit ac iustitiae Dei

---

a) *in* leto *littera* o *ante* e *erasa est.* b) sui *add. Tr.* c) *iter. in marg. not. tiron.* d) exemplum psalmistae *in marg. not. tir.* p. m. u. t. et l. s. m. *P.* e) p. t. a. [m.] c. iste *P*; *in marg. not. tir.* evangelicum. f) u. s. s. tu *P.* g) exemplum de virtute salvatoris *in marg. not. tir.* h) a. n. d. s. sunt u. per p. et c. s. sp. hab *P.*

1) *Cf. de trib. quaestion. libr. p. 225:* occulto iudicio Dei, quamquam rectissimo.

subiectus humiliter adquieverit. Non estis tam fundatae fortitudinis. Quod praefato 836
dictum est apostolo, vobis responsum accipite: 'Sufficit tibi gratia[a] mea: nam virtus in 2. Cor. 12, 9.
infirmitate perficitur'. Siquidem et ipse merorem spretae orationis, si quis ei subortus fuerat, hoc admonitus oraculo aliud oportere, deposuit. Huiusmodi praeceptis et exemplis sacrae scripturae campus exuberat: quae, quoniam, ut insignis ait poeta[1]: Non canimus surdis, epistolarisque coartat angustia, praeteriens, vobis consideranda relinquo. Suffecerit haec tantum tetigisse, quae sola recepta vulneris huius tumorem, quantum mea fert opinio, mulcere atque lenire largiente Domino poterunt. Quamquam mihi multa volventi aliud etiam occurrat, quod hoc Dei iudicium clementiae quam iracundiae videri possit certissimum documentum. Nam quia flagellat omnem filium[b] Hebr. 12, 9.
quem recipit, affectum vestrum in uxoris amore forsitan subdivisum non passus, putari potest ad se solum amandum revocavisse ac, si quid eius corpori intemperanter diligendo plus iusto a vobis indultum fuerat, eiusdem corporis subtractione punisse, cumque per prophetam[c] loquatur: 'Non consurget duplex tribulatio' (quod LXX interpretum sic Nah. 1, 9.
expressit translatio[2]: Non iudicat Deus bis in idipsum) hic emendare dignatus esse[d] quod ut homo excessistis (nemo enim mundus a sorde), ne quid gravius in vos quandoque decerneret. Quare Dei amplecti debetis immensam pietatem, qui vos sua dignos iudicaverit correctione, quam offensam metuere disciplinae illius verbera sustinentes. 'Fili[e], inquit Salomon, noli deficere a disciplina Domini, et[f] ne fatigeris, cum ab eo Prov. 3, 11. 12.
argueris. Quem enim Dominus diligit, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi.' cf. Hebr. 12, 5.
Denique quorum isthic peccata non visitat, quosque florere pro voto permittit, in hos post mortem eiusdem ira desaevit. De talibus in psalterio legimus: 'In labore hominum non[g] Ps. 72, 5.
sunt, et cum hominibus non flagellabuntur'. Et in Iob: 'Ducunt in bonis dies[h] suos, Iob 21, 13.
et in puncto ad inferna descendunt'. Praeterea hoc mihi subicit mens, voluisse Deum rebus ipsis vos experiri, quam sit infelix, qui in perpetuum abiungatur ab ipso, in quo est perpetua et vera delectatio, si tam immaniter afficiat licet fidissimi atque carissimi, tamen hominis, momentanea separatio. Cum haec verisimilia esse videantur, abolete, quaeso, quantum potestis, de quo sermo habetur, merorem, et cum Iob dicite: 'Do- Iob 1, 21.
minus dedit, Dominus[i] abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum: sit nomen Domini benedictum'. Et cum apostolo in Dei spatiamini laudibus dicentes: 'Benedictus Deus 2. Cor. 1, 3. 4.
et pater[k] domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra'.

Restat pars altera suscepti negotii: quae stringenda breviter est, ne forte plura dicens sim oneri, qui gestiam esse solacio. Hinc instaurari, immo perseverare doloris vulnus asseruistis, quod duplicatus cotidie dispositionis labor, quid boni perdideritis admoneat ac propterea nec finiri posse videatur. Id esse verissimum ipse concesserim; illudque, quod inter alia posuistis, non posse pro voluntate hominem dolori finem imponere, quem nec praesciat nec imminentem queat effugere, vehementer approbo, satisque catholice dictum intueor. Non est enim in potestate hominis via eius, sed a cf. Prov. 20, 24.
Domino gressus hominum diriguntur, et humani libertas arbitrii eget omnimodo auxilio gratiae Dei; sed plane quae facta sunt infecta esse non possunt, nec dolor revocare valet semel praeterita, nec est in homine unde a seipso petat auxilium. Quocirca deprehensi quibuslibet angustiis, quo verius nos sentimus fragiles, hoc oportet celerius ad divinae miserationis subsidium velut ad portum tutissimum confugiamus. Eliganter-

---

a) g. m. n. v. i. i. perf. *P.* b) fil. q. rcp. *P.* c) exemplum profeticum *in marg. not. tir.* d) esse *P*, est *edd. falso.* e) exempla *in marg. not. tir.* f) n. f. c. a. e. a. q. ++ d. d. c. et q. p. i. f. cpł sibi *P.* g) n. s. et c. h. n. fł *P.* h) d. s. et i. p. a. *P.* i) d. a. s. d. pl. i. f. s. n. d. *P.* k) p. d. n. i. x. pat. m. et d. t. consol. q. c. n. i. o. t. nostra *P.*

1) *Verg. Ecl. X, 8.* 2) *Cf. Hieronymi comment. in Naum, Opp. VI, 542.*

836 que illud dictum est[1]: Necesse[a] est adesse divinum, ubi humanum cessat auxilium. Nec
Matth. 11, 28. longus, dummodo conemur, terendus est labor. Nam qui ad se hoc modo vocat: 'Venite ad me qui laboratis', nitentes adiuvat, ad se pervenientes informat, in se permanentes procul dubio coronat. Quare quod dixistis memoratum dolorem quoad viveretis mansurum vobiscum, expressit hoc a vobis, sentio, concreta longo usu magnitudo amoris; sed in ea vos obstinatione animum relinquere, quantum audeo, dehorter; siquidem et illi, cuius causa emersit, nihil[b] immoderatum proderit et vobis multum, nisi deponatur, officiet[2]. Quinimmo totum vos curandum sanandumque Deo permittite, cui est perfacile, quod nostra natura difficillimum iudicat. Nam quis speravit in Domino et deceptus est? Obsecro, totum cor vestrum ad rogandum Deum effundite: praestare vult,
Ioh. 16, 24. qui, se ut rogent[c], admonuit: 'Petite et accipietis'. Petite, ut ipse vobis affectum inspiret rogandi et effectum ipse tribuat impetrandi. Dicite, quod clarissimus idemque suavissimus auctor Augustinus[d 3]: Da quod iubes, et iube quod vis. Siquidem sua nos Deus gratia, ut velle ac posse aliquid boni queamus, et praevenit et subsequetur. Quod evidenter
Ps. 58, 12. in psalmis didicimus, ubi scriptum est: 'Deus meus, misericordia eius praeveniet me'.
ib. 22, 6. Itemque 'Et misericordia tua subsequetur me omnibus[e] diebus vitae meae'. Adquiescite
ib. 54, 23. Spiritui sancto per David monenti: 'Iacta in Domino curam[f] tuam, et ipse te enutriet';
ib. 31, 7. ac Deo fiducialiter dicite: 'Tu es refugium meum a tribulatione quae[g] circumdedit me'. Et
Phil. 4, 13. cum apostolo iam exultantes in Dei laudibus ingeminare poteritis: 'Omnia possum in eo
2. Cor. 7, 10. qui[h] me confortat'. Tristitia enim seculi mortem operatur, haud dubium quin spiritualem, sed et corporalem, ut optime nostis, saepe consciscit[i]. Quamobrem aerumnis vitiorum quibus premimur contristemur, et ab eorum falsa dulcedine quanta possumus amaritudine separari nitamur, ac huius incolatum vitae, in qua sine querela non vivitur, modeste feramus. Ceterum, veniam a Deo expectantes, in eo plena fide laetemur.
Matth. 5, 5. Denique illud quod in evangelio promittitur: 'Beati[k] qui lugent, quoniam ipsi[l] consolabuntur', non de his, qui lugent de amissione carorum vel temporalium commodorum, verum de illis, qui merent, initio seiuncti a mortifera vitiorum delectatione, donec virtutibus sancti Spiritus gratia consolationem recipiant, vel de his, qui propter sua proximorumve[m] peccata salubriter affliguntur, propterque illius felicis vitae dilationem[n], cui votis omnibus suspiramus, rectissime intellegitur. Proinde[i] petentes quondam uxori refrigerium sempiternum, quae mortem, ut credimus, non incurrit, sed exuit, vobis patientiam et in bonis actibus perseverantiam atque profectum postulate a domino Deo nostro, et dicto citius consolationem vestro infundet[o] pectori; ita ut audiatis apostolum cohor-
Phil. 5, 4. tantem: 'Gaudete in Domino semper[p]; iterum dico, gaudete'. Ego sane, quia dignati estis vestros aestus mecum communicare, attentius et pro illa et pro vobis supplicare conabor. Credo, quamvis non meo merito, vestra tamen Deum humilitate placandum, qui absque respectu vestrae magnitudinis cum mea parvitate conferre tam seria non horruistis. Ostendi, ut potui, et humana ratiocinatione et divinis auctoritatibus non vos exauditos[4]

---

a) exemplum *in marg. not. tir.* b) nichil *P.* c) rogetur *P, corr. Tr.* d) Augustini hortatio *in marg. not. tir.* e) o. d. v. meę *P.* f) c. t. et i. te en. *P.* g) q. c. me *P.* h) q. m. c. *P.* i) *iter. in marg. not. tir.* k) expositio evangelicae sententiae *in marg. not. tir.* l) i *P.* m) ve *rasurae supersc.* n) dilectionem *corr. in* dilationem *P.* o) *ras. post* infundet. p) s. i. d. g. *P.*

1) *Cf. Einharti epist. 31 (EE. V, 125):* iuxta verba Filonis imploretur divinum, quando humanum cessat auxilium; *Dialog. de statu sanctae eccl. (Hincmari opuscula et epistolae ed. Cordesius p. 658):* Sicut Philo, maximus legatorum a Iudaeis Gaio directorum, dicit: Necesse est adesse divinum, ubi humanum cessat auxilium; *Gildae Sap. de excidio Britanniae c. 20 (Chronica minora ed. Mommsen III, 36):* secundum illud Philonis: necesse est adesse divinum *etc. Hic locus non ex Philone ipso haustus est, sed ex Rufini versione Eusebii, Histor. eccles. l. II c. 5 ed. Cacciari I, 68, ubi Philo his verbis Iudaeos consolatur, ut Holder-Egger me docuit.* 2) *Cf. Poet. Carol. III, 373 ad vers. 41.* 3) *Confess. l. X c. 29 § 40, Opp. I, 184; ed. Knöll p. 256.* 4) *Cf. supra p. 12 v. 1.*

ad votum patienter ferendum, dolorisque vulnus, quod inremediabile videbatur, quem- 836
admodum mitigari posset. Vestrae prudentiae ac solitae dignationis erit, quae pia intentione non docendi, sed commemorandi causa profusa sunt, aeque pia mente lectitare et, si qua in his capi possit utilitas, pro iure amicitiae vestra deputare.

Libellum de adoranda cruce[1], meo iudicio utilissimum, quem meo nomini dedicastis, ut par[a] fuit amplexus sum. Atque utinam morem mihi gerentes sic omnia, quaecumque ab initio enodanda vobis misi vel hoc anno reliqui[2], aperire non gravaremini! Profecto non mihi solum, sed multis vester hic labor prodesset. Tamen et pro hoc, quod nunc mihi nec opinanti misistis, et pro aliis, quibus a vobis institutus iam antea sum, maximas agens habensque[b] gratias, quid Deus vestrae indulgentissimae dignetur inspirare pietati, sollicitus praestolabor.

Medio Maio vita comite hinc recedere[3] decrevi. Quo tempore, Deo volente, sicut vobis, si recordamini, dixi, ad vos venturus sum, et aliquot apud vos dies facturus, ut et libros vestros vobis restituam, et quae indiguero discam, fruarque aliquamdiu vestro suavissimo alloquio, atque informer mihi gratissimo vestrae gravitatis et honestatis exemplo. Nam me hoc tempore discessurum inanis vobis fama mentita est. Quod etsi, quod[c] penitus nolo, contingeret, sic quoque ad vos sine dubio properarem. Tantus enim mihi vestri amor incumbit, ut nullatenus vobis insalutatis, sanctorumque martyrum neglecto patrocinio, ad patriam remearem. Cupio te mei memorem bene valere in Domino, prosperisque pollere successibus, domine desiderantissime pater et de me optime per omnia merite.

5.

Lupus monachus pro Imma Einhardi coniuge defuncta preces cotidie se facturum esse pollicitus post Nonas Iun. ad eum se venturum promittit, quaestiones ex Boethii arithmetica haustas necnon grammaticas ei proponit; uncialium litterarum formam a Bertcaudo descriptam desiderat, de libris nondum redditis se excusat. 836.

Edd. Einhardi opp. ed. Teulet II, 169—173. Desd. 5.

FIDISSIMO[a] PATRI EINHARDO LUPUS SALUTEM.

Memoriam vos habere mei quam gratum habeam, nequaquam facile dictu est, praesertim cum eminentiae vestrae sublimitas eo usque se submiserit, ut ultroneae salutationis munus hac vice[b] meruerim, quamvis optaverim vestris refici litteris, quantumque iam aestus rei notae deferbuerit discere, atque si vobis hinc a parvitate mea quidquam persuaderi potuerit. Ego certe, quemadmodum pollicitus sum, et pro illius carissimae sempiterno[c] refrigerio specialiter ac cotidie Dominum supplico, et quod vobis vel in praesenti vel futura vita conducibile credo, vigilanti perseverantia postulare non desino. Proficiamne aliquid, vos forsitan sentiatis. Haudquaquam tamen dubitaverim harum fructum petitionum in divina miseratione reponere, ac licet serum, quantum ad voti spectat impatientiam, maturum tamen propter illius iustitiae pondus sine dubio praestolari. Obsecro autem, legite libri sancti Augustini[4] de civitate Dei XXI^mi^, titulum XXVII^um^, et videte, si non his, quae scripsi, paria de eadem calamitate vir ille

---

a) *iter. in marg. not. tir.* b) agens et habens *in marg. not. tir.* c) *ras. ante* penitus.

5. a) *Lemma:* Ad eundem. b) ac vitę *P,* hac vice *corr. Bal.* c) sempiterno *ex* -na *vel* -ne *corr.*

1) *Cfr. EE. V, 147—149.* 2) *Ut Lupus Einhardum tunc iam visitarerit, his verbis efficitur. enim Lupus Ludowico imperatori praesentatus est et Aldricum archiepiscopum se absente vita excessisse doluit. Cum autem Aprili mense a. 837. cometa appareret (cf. ep. 20), Lupus a Transrhenanis regionibus iam in Galliam reversus erat.* 3) *scil. Fulda, redux in Galliam. Hunc reditum a. 836. accidisse probatur epistolis 6 et 41: anno 836.* 4) *De civit. Dei l. XXI c. 27 (Opp. VII, 650—654).*

836 divini ingenii senserit; quae plane numquam ante legeram: sed cum postea ea percurrissem, admodum miratus sum mea tam similia sensu fuisse, ut ab his colorem traxisse penitus viderentur.

Ceterum profectionis in patriam, ac per hoc ad vos, tempus aliquantulum producere coactus sum. Namque venerabili viro Marcwardo[1], per quem mea reversio administranda est, cum in Italiam legatus mitteretur ac me prius ad suum colloquium ut amicissimum evocavisset, [et][a] mihi constitit, ut hinc die, qua significaveram vobis, recedens sanctitatem vestram petere debuissem. Verum illustris abbas Rhabanus postmodum regressus a palatio[2], foret necne per id temporis isthic propter legationem[b] sibi commissam, ad liquidum scire non potuit; atque ob eam rem hortatus est, ut reditum meum ad Non. Iun. differrem, quando sollemnitas[c] sancti Bonifacii se abesse minime sineret, nisi forte ipsi quoque imperialis iussionis et ea quam gravissima praeiudicaret auctoritas. Itaque cum suam post regressionem Marcwardus ex me quaesitum quando potissimum reverti vellem misisset, memoratae rei causa equos huc adducendos ut pridie Non. Iun. curaret petii, quo Christo propitio VIII. Id. eiusdem mensis iter ad vos possem arripere: quod ille, si vita comes fuerit, indubitanter implebit. Quare certum diem quidem, quo ad vos venturus sim, exprimere non audeo; sed intra eam ebdomadam, quae Non. Iun. coeperit[3], omnino me venturum, Deo volente, confirmo. Atque utinam exoneratum omni curarum molestia vestrum reperire tunc merear animum, ut non vacet modo pro solita dignatione quecumque amicalia videbuntur mecum conserere, verum etiam, ubi vel meum vel aliorum me deficit, vestrum assit consultum ingenium; cui quantum assurgam, quantumque deferam, quantum denique eo me vel adiutum vel adiuvandum credam, ut adulationis morsum effugiam, nolo amplius dicere; Deus viderit, cuius idipsum gratia procuravit.

Interim haec, quae subieci, paterna, qua me semper fovetis, pietate considerare dignamini, ut ea praevisa facilius mihi expediatis. In priori libro Arithmeticae Boetius quarto capitulo sic ponit[4]: Quod autem dictum est: secundum duorum generum contrarias passiones, huiusmodi est, ab eo loco usque ad haec verba, quae paucis interiectis subiciuntur, spatio est maxima, parvissima quantitate, minus mihi quam velim clarum est. In eodem libro, XXXIo[d] capitulo, negat[5] esse difficile diligentibus, praeter quas ipse expresserit partes, multiplicis superpartientis secundum monstratum a se modum ceteras repperiri[e]. Quod si per vos plene, quod paulo praemisit superius intellexero, ubi ait[6], Vocabunturque hi secundum proprias partes duplex superbipartiens et sequentia, nimirum mihi non erit difficile. Idem auctor eximius secundo eiusdem operis libro, itemque secundo capite, et ut ait, inquit[7], Nichomachus inmusitaton[f], sive, ut alibi repperi, enmusitaton teorema proficiens[g]; quae verba Graeca quam habeant proprietatem, nescio si recte receperim. In eodem libro, cap. XXV°, ab eo loco ubi scriptum est[8]: Omnis quoque cibus qui ex tetragonorum superficie improfunditatem corporis crevit, usque ad eum, angulus vero octo, quorum singulus sub tribus eiusmodi continetur, quales priores[h] fuere tetragoni, unde cibus ipse productus est, ut verbo ipsius loquar: figuram rei subtilis non assequor[9], et ut per vos eius intellectum

---

a) et *add. Tr.* b) legationi *corr. in* -em *P.* c) sollemnitas sancti Bonifacii *in marg. not. tir.* d) *immo* XXIo. e) repperiri *uno* p *del. P.* f) *in marg. man. rec.:* puto leg. *θαυμαστὸν* vel *θαυμαστέον.* g) *Manus rec. add.* etc. h) priorē *P.*

1) *Marcwardus, abbas Prumiensis 829—853, propinquus fuit Lupi (cf. ep. 91). De legatione eius Italica aliunde nihil notum est, cf. Simson, Jahrb. des fränk. Reiches unter Ludw. dem Fr. II, 146 n. 2. Marcwardus obiit die 29. Mai. mens. a. 853, cf. Epitaph. eius apud Brower et Masen, Metropol. eccl. Trevericae ed. de Stramberg I, 464 et Necrol. Romarici montis, N. Arch. XIX, 70.* 2) *Hrabanus fortasse colloquio Maio mense ab imperatore in Theodonis villa habito adfuit, cf. Mühlbacher Reg. ed. 2 p. 389.* 3) *a. 836. festum S. Bonifatii in diem Lunae incidit.* 4) *ed. Friedlein p. 14.* 5) *ed. Friedlein p. 65.* 6) *Ibid.* 7) *Ibid. p. 80.* 8) *Ibid. p. 112—113.* 9) *Ibid. p. 4:* an rerum subtilium fugas exercitata mentis velocitas comprehendat.

capiam, vehementer indigeo. In Victorii quoque calculum[1] praevia Dei gratia vestra- 836
que doctrina ingredi cupio.

Quin etiam in eiusmodi dictionibus, ut est 'aratrum'[a], 'salubris', et similia, quae non modo positione[b], sed etiam natura paenultimam videntur habere productam, magna haesitatio est, in qua me adhuc laborare profiteor, utrumnam naturae serviendum sit; utrum[c] paenultima, ut est, longa pronuntietur, an propter illud quod Donatus[2] ait: Si penultima positione longa fuerit, ipsa acuetur, ut Catullus[d]; ita tamen si positione longa, non ex muta et liquida[e] fuerit, nam mutabit accentum (ut[f] fáretra) in natura simul et tali positione productis, communis syllaba naturae praeiudicet et accentus in antepaenultimam transferatur. Namque nihil in auctoribus solidum adhuc repperire potui, unde uter eorum sensus aut astrui aut abdicari mihi posse videatur. Erit igitur vestrae prudentiae hanc ambiguitatem dirimere et utrum[g] eorum aliquo documento fortissimo roborare. Siquidem ad dificultatem, quod certam hinc nullius repperio regulam, accedit etiam hoc, quod in metro eiusmodi, ut est 'aratrum', semper productam invenio paenultimam, cum, si in naturaliter quoque longis communis syllaba valeat, manifestum sit 'aratra' nominativo[h], accusativo[i] et vocativo pluralibus per dactilum poni potuisse.

Sunt et alia complura interroganda, quae notata teneo, quaeque commodius, si Deus vosque permiseritis, praesens disquiram. Et obsecro per quam mihi pietatem gratuito semper exibuistis, ut quoad veniam ad vos, quae necessaria mihi scitis nec[k] unde discam nisi ex vobis restare, ex abditis vestrae memoriae diligentius eruere ac mihi iure caritatis et amicitiae ultro aperire dignemini; ut semina in me vestri figentes ingenii, frugem illius ad plurimos transmittatis.

Praeterea scriptor regius Bertcaudus[3] dicitur antiquarum litterarum, dumtaxat earum quae maximae sunt et unciales[l] a quibusdam vocari existimantur, habere mensuram descriptam. Itaque si poenes vos est, mittite mihi eam per hunc, quaeso, pictorem, cum redierit, scedula tamen diligentissime sigillo munita.

Agellium[m] misissem, nisi rursus illum abbas[4] retinuisset, questus necdum sibi eum esse descriptum. Scripturum se tamen vobis dixit, quod praefatum librum vi mihi extorserit. Verum et illum et omnes caeteros, quibus vestra liberalitate fruor, per me, si Deus vult, vobis ipse restituam.

Abdita in lege et maxime Graeca nomina, et alia ex Servio item Graeca, quae initio vobis direxi, saltem nunc utinam ne gravemini explanare.

Valeas, clarissime praeceptor et pater dulcissime, prosperisque perpetuo successibus polleas.

6.

Lupus monachus in Galliam reversus apud Reginb. de litteris consolatoriis perditis se excusat; ab imperatore (Ludowico) ac regina (Iudith) anno praeterito se benigne exceptum mox promotum iri sperat; librum se missurum esse spondet nomenque Adalgaudi amici huic epistolae addit. *837 die 22. Sept. mens.*

Edd. Bouquet, Recueil VI, 403; Desd. 12.

---

a) aratrum et similia *in marg. not. tir.* b) positionis *P.* c) ut *corr. in* utrum *P.* d) Catulus *P.* e) liquida l *in ras. P.* f) ut *ex* ot *corr.* g) uter *in marg. not. tir.* h) nominativum *corr. in* -vo. i) accusativum *corr. in* -vo. k) me *P, corr. Tr.* l) de litteris uncialibus *in marg. not. tir.* m) *punctum post* A *add. man. rec.*

1) *De quo v. Auctt. antt. IX, 669 sqq.* 2) *Ars grammatica. De tonis (Grammat. lat ed. Keil IV, 371).* 'Lupus male intellexit Donati verba, quae sunt de tonis, melius Remigius Autissiodor. (Anecd. Helvet. ed. Hagen p. 229), qui Lupi epistolam respexisse potest.' *Tr.* 3) *Cf. Wattenbach Schriftwesen ed. 3 p. 269, Traube, Sitzungsber. der phil.-hist. Cl. der Münchner Akad. 1891 p. 428.* 4) *Hrabanus, Fuldensis abbas. Cf. supra p. 8 v. 33.*

837 die 22. Sept. mens.

CARISSIMO[a] ET DESIDERANTISSIMO REGINB ....[1] LUPUS ET A[DALGAUDUS][2] AETERNAM SALUTEM.

Graviter in me Lupum litterae tuae invectae sunt, quod videlicet omni germanitate[3] atque natura eousque mentem exuerim, ut infelicitatem tuam saltem consolatoriis apicibus fastidissem lenire, quando alterius subsidii conferundi[b] nulla copia provenisset. Unde collegi litteras meas nequaquam tibi redditas, quas per Marcwardum abbatem[4] a Transrhenanis partibus ante hoc ferme triennium direxi, nec tamen illius incuria.[r] Namque ipse, cum te minime invenisset, gentili nostro Bodoni[5], quem nobis fidum credebat, monstratas litteras tibi tradendas reliquit: quod ille si complevisset, cognovisses me fraterna pietate, non tua modo penitus miseratum incommoda, sed etiam reciperandae fortunae iam tum consilium agitasse.

Verum omittamus ista, quibus aut fraus aut neglegentia detraxit effectum: praesentia magis urgent. Hilarioris fortunae faciem tibi[c] aliquantulum aperiri[d] utcumque gratulamur. Nec eius indulgentia te abuti volumus, sed omnem illius fructum in tua tuorumque utilitate collocare. Id quemammodum facere debeas, melius intelleges, si tibi quae nostra sunt innotescant[e]. Superiore anno[6], annitentibus amicis, in praesentiam imperatoris deductus sum, et ab eo atque regina benigne omnino exceptus: et nunc, hoc est X. Kal. Octobrium, indictione I., ad palatium, regina, quae plurimum valet, evocante, promoveo, multique existimant fore, ut cito mihi gradus dignitatis aliquis conferatur. Quod si divina exuberante gratia evenerit, non dubites ilico te arcessendum, ut una permissu imperatoris degentes, communium studiorum exercitatione iucundissima perfruamur. Sin autem spes nostras eventus eluserit, rescribe, an velis me per amicos [petere][f], ut ab imperatore locus quidem tibi reddatur in monasterio tuo, apud[g] me autem studendi gratia, quatenus uterque nostrum voluerit, conferatur. Cum haec ita se habeant, hortor, ne divinae scripturae nulla tibi fuerit cura, cuius et usus frequens est et cognitio salutaris. Atque illud quaeso praecipue ut in mente habeas, firmaque semper memoria complectaris: 'Memento creatoris tui in diebus iuventutis tuae', et sequentia. Eccli. 12, 1.

Librum quem flagitasti misissem, nisi lator defuisset idoneus. Verum et illum et omnes quotquot divinitus[h] accepero tecum, si vita comes fuerit, communicare desidero, tuaque non minus quam mea commoda indesinenter curabo, siquidem puerilia iam deposui. Tenet animum causarum amor utilium, ad[i] quae deprehendenda plurimum me adiuvari optime de nobis meriti Adalg[audi][k] germani nostri confiteor instantia, cuius nomine huius etiam epistolae vestibulum illustravi. Bene vale[l].

7.

Lupus monachus Reginb. de studiis suis haesitantem Kalendis Iulii ad se invitat.

Edd. Desd. 13. *c. 838—839 ante Iul. mens.*

---

6. a) *Lemma:* Ad Reginb; b) conferundi *corr. in* -rendi *P manu rec.* c) *ras. post* tibi. d) -ri *in ras.* e) innotescat *P.* f) petere *suppl. Tr.* g) appud *uno* p *eraso.* h) *ras. ante* divinitus. i) at *corr. in* ad. k) adalg, *P.* l) bene vale *additur notis tironianis.*

1) *Hic Reginb. a notissimo Reginberto bibliothecario Augiensi, quem Traube (Regul. S. Bened. p. 727) quoque in animo habuit, distinguendus est, cum Lupus ei a. 834. a Transrhenanis partibus i. e. ex Germania scripserit. In regno Lotharii eum vixisse ex epistola 104. conicio, ideoque per Marcwardum Lupi litterae ad eum datae erant. Nomen quod scribitur Reginb. Reginbaldus quoque vel aliud quid sonare potuit.* 2) *Hunc A. vel Adalg. eundem Adalgaudum (canonicum fortasse Turonensem) esse puto, cui Lupus epistolam 8. scripsit, cum de altero nihil constet.* 3) *Haec vox non de parentela cum Sprottio (Biogr. des Abtes Lupus p. 13. 188) intellegenda est, sed tantum de amicitia vel de fraternitate monachili.* 4) *Prumiensem, Lupi propinquum, ut supra p. 16 v. 6.* 5) *Bodo Lupi gentilis ex Francia occidentali oriundus sit oportet, qua re cum Bodone Alamanno, qui ad iudaismum se vertit, eum confundere non licet.* 6) *i. e. anno 836. exeunte. Ludowicum Pium imperatorem et Iudith dicit.*

Aequumne[a] fuisse putas, cum te mearum rerum fidissimum fecissem custodem, si me tuarum exortem diu manere patereris[b]? Ceterum quanta me tui cura possideat, nedum tu, nemo dubitaverit, si sospitatem nobis et quam animo praecipio facultatem Deus suffecerit. Namque quod scripsi non eo te modo, quo disposueras, apud me nunc posse studere[1], cum ad me veneris et nostra, quae litteris comprehendi non possunt, cognoveris, tua comprobabit prudentia. Quamquam, si nulla mei status [mutatio][c] provenerit, satius est, ut apud me sis et in Virgiliana lectione, ut optime potes, proficias — abundabis[d] enim otio, meaque prona in te diligentia —, quam temet ipso utens magistro non tam fructuose quam laboriose proficias. Deo enim largiente et possum et adesse tibi incredibiliter cupio. Feci autem litteras ad Aud .... et Ebr ....[2] de tua reversione, quam visitationis adumbravi[e] vocabulo. Verum deliberatio nostra, postquam veneris, manendum redeundumne tibi sit, facile inveniet. Praesentiam tamen tuam Kal. Iulii absque ulla retractatione mihi exhibe[3], quam differri maximum non sinit quod impendet negotium. Bene vale. c. 838—839 ante Iul. mens.

8.

Lupus monachus Adalgaudum amicum de quaestionibus ad rem metricam et grammaticam pertinentibus docet, de Macrobio, Boethii commento, Tusculanorum libro addit, aliquem librum recepisse refert. *837—841.*

Edd. Desd. 9.

SINGULARITER[a] UNICEQUE DILECTO ADALGAUDO[b] LUPUS[4] IN DOMINO SALUTEM.

Obsecutus voluntati tuae, quamquam gravate, litteras has ipse formavi: quae si breviores quam voluisses, ut erunt, fuerint, tibi debebis imputare, quia me inextricabiliter implicitum duo uno tempore eodemque angustissimo munera extorsisti. Sed, ne diu te morer, in talibus intellegendum reor, quod Priscianus ait[5], in aliis vero rarissime, non absolute quibuslibet verbis, sed unde illi sermo erat, anomalis. Namque, quod alia paenultimam primae vel secundae personae producant, Servius auctor est[6], qui in eo versu, ubi Virgilius[7] sistolen fecit his verbis:

Egerimus nosti et nimium meminisse necesse est,

ri inquit, metri necessitate corripuit. Item Iuvencus[8]: Ne sanctum canibus dederitis, neve velitis, licet quidam praeteritum perfectum subiunctivi et futurum differre scribant. 'Rarissime' autem id fieri in aliis anomalis, propter 'voluerimus, ritis', 'ederimus, ritis', et si qua sunt cetera huiusmodi, ut mea fert opinio, expressit, quorum paenultimas incunctanter producimus. Doceberis per e paenultimam dicendum ipse Priscianus astruit[9], qui sicut in activo, sic etiam in passivo praesentis temporis declinationem dicit docere aliorum temporum declinationem absque perfecto et his quae ex eo nascuntur, quae fit, inquit, secundum unamquamque ex tribus coniugationibus. Ergo sicut praesens tertiae coniugationis passivum ab activo fit, interposita ri, i tamen, ut ipse vigilanter admonuit, in e mu-

---

7. a) *Lemma:* Ad eundem. b) paterer *P, corr. Tr.* c) mutatio *add. Traube, Regula S. Bened. p. 727.* d) *corr. ex* abundabit. e) *iterum in marg. not. tir.*

8. a) *Lemma:* Ad Adalg. Adalḡ, Adalgardum *suppl. Bal. minus recte, ut videtur.* b) Adlgdo.

1) *Nescio an hic de eodem itinere agat, cuius pericula infra in ep. 104 a Reginb(erto) vitari vult.* 2) *Sprotte (Biogr. des Abtes Serv. Lupus p. 183), quem Desdevises p. 77 sequitur, hoc nomen recte* Ebroinum *mihi supplevisse videtur, sed Aud. cum Ardvico non confundendus est.* 3) *Annum fortasse 838. dicit.* 4) *Has litteras scripsit Lupus post reditum suum, sed antequam abbatis dignitatem adeptus est.* 5) *Instit. de nom. et pronom. et verbo (Opp. ed. Hertz II = Grammat. lat. ed. Keil III, 451 c. 43).* 6) *ed. Thilo II, 74, cf. Anecdota Helvet. ed. Hagen p. 179.* 7) *Aen. VI, 514.* 8) *Histor. evang. I, 664.* 9) *L. l. p. 454 c. 63.*

post a. 841 tata, hoc est, legeris, non legiris, eodem[a] modo, quia docebo servat declinationem tertiae coniugationis docebaris[b], i activi convertit in e. Multa ex hac et priore quaestione dici posse intellego. Sed epistolaris brevitas ea me reticere compellit.

Habeo vero tibi plurimas gratias, quod in Macrobio corrigendo fraternum adhibuisti laborem. Quamquam librum, cuius mihi ex eodem[c] folium direxisti, praeoptarem videre. Est enim revera venerabilis et exactissimae diligentiae. Nec minus tibi gratulor pro commento Boetii. Nescio tamen adhuc, an totum hic[d] contineatur, aut si tuum sit, aut si cum alio id contuleris. Hinc autem te castigatum in perpetuum velim, ut nihil mihi umquam aut scribas aut dicas ambiguum, quod tamen ipse compertum habeas, et in morem oraculorum Apollinis sententiam tuam aliqua obliquitate confundas. Siquidem neque utrum liber Tusculanarum nobis esset scriptus, neque quid Agio[1] ageret, neque quos libros inveneris, neque, quod me satis sollicitat, utrum hoc secessu emolumentum sis aliquod assecutus, expressisti.

Ceterum exercitus et alii more tuo agunt; nec his novi aliquid accidit, nisi quod interventu Bofonii et Frosm. et librum recepit et in societatem obnitentibus omnibus est admissus[2]. Bene vale.

9.

Lupus abbas Ferrariensis Leotaldo de inimicis suis postea se relaturum esse promittit; cum Guichardo ut caute agat suadet. *post a. 841.*

Edd. Desd. 36.

LUPUS[a] ABBAS[3] DILECTO SUO LEOT. SALUTEM.

Molimina hostium nostrorum, quae litteris nostris ex integro cognoscere concupisti, tam numero[sa][b], tam callida tamque tumentia extiterunt, ut, si plene exponerentur, libri magnitudinem vindicarent. Unde factum est, ut hac vice scriptori parcerem, tibi autem et quibusque benivolis beneficii divini[c] seriem non quidem denegarem, sed in aliud tempus commodius, ut credo, differrem. Exitum[d] tamen non tacui, propter quem et mihi et omnibus mei studiosis ingentes Deo sunt gratiae et habendae et referendae. Guichardo[4], si cognoscendae veritatis desiderio opus nostrum expetit, arbitror non negandum, cavendum tamen prudenter, ne, dum praetendit discendi desiderium, nocendi aditum subdola mente rimetur. Bene vale.

10.

Lupus abbas Ferrariensis Marcwardo abbati Prumiensi de muneribus et fratribus ab eo missis gratias agit; de Suetonio et Iosepho eum per Eigilum certiorem fieri vult, fratres Prumienses salutat. *841—853.*

Edd. Desd. 20.

Litterarum[a 3] vestrarum non aliam quam fuit esse decebat sententiam, cum olim tantus nos caritatis fervor affecerit, ut eius refrigerandi ne parva quidem remanere

---

a) eode *P.* b) doceba//is *P.* c) ex endem *P.* d) *supra ras. P.*

9. a) *Lemma:* Ad Leot. *Massonus hoc nomen* Leotericum *supplere voluit, at Baluzius* Leotaldum *probabilius proposuit, cum epistola 15. ad Leotaldum quendam data sit.* b) numero *P.* c) devini *corr. in* divini. d) *ras. post* i.

10. a) *Lemma:* Ad Marcwardum.

1) *hic Agio non idem esse videtur atque Agius, qui postea ad episcopatum Aurelianensem accessit.* 2) *de quo Lupus haec scripserit, dubium est, unde Baluzius* recepi *et* sum admissus *legendum esse coniecit, sed Lupus cum exercito se ipsum dicere videtur.* 3) *Cum haec epistola a Lupo abbate scripta sit, i. e. post annum 841., hic non suo loco inserta est. De Leotaldo cf. infra epist. 15.* 4) *Wichardus clericus Turonensis subscripsit a. 841, Gall. christ. XIV instr. 29.*

posset[a] suspicio. Res, quam secreto parvitati meae significastis, quam grata sit, aequis[b] 840—841
oculis, ut puto, Deus aspicit, et vobis ab eo, qui pertulit, fideliter exponetur. Gratias liberalitati vestrae super muneribus mihi et fratribus missis artificiose non egeo referre, cum pro comperto teneatis, quod, sicut vestram benivolentiam[c] in nos singulariter[d] experti sumus, ita privatam quandam eius dignitatem animo speculemur. Ceterum ut ea[e], quae monuistis, in me Deus operetur, vestrum erit assiduis orationibus impetrare, scilicet ut qui nostri vobis infudit curam, profectus concedat audire laetitiam.

Quid super Suetonio Tranquillo et Iosepho a vobis fieri optem, demonstrabit Eigel[1], nostrarum rerum fidus interpres. Salutate omnes fratres ex nostra parvitate, specialiterque Gerungum[g 2], Fulcoldum et Ansboldum[3], et ut nostri benigne meminerint, dignamini postulare.

11.

Ferrariensis coenobii monachi cellam S. Iudoci, a Ludowico imperatore eis donatam, a Lothario imperatore, qui eam Rhuodingo cuidam dederat, vindicant. 840—841.

Edd. Baronii ann. 846 n. 10; Bouquet, Recueil VII, 483; Desd. 16.

Domine[a] praecellentissime Auguste, nos fratres ex coenobio Ferrariensi, multis et maximis hoc anno pressi angustiis, erubescimus, quod totiens celsitudinis vestrae maiestatem[b] inquietare compellimur. Tamen recordantes, quia pro vobis fideliter oravimus et oramus, et promissionem adiutorii vestri tenentes, non desperamus nos impetraturos quod petimus. Cellam sancti Iudoci[4], quam magnus K[arolus] quondam Alcvino ad elemosinam exhibendam peregrinis commiserat[5], beatae memoriae pater vester nobis ea ratione concessit, sicut edictum illius attestatur[6], ut quod elemosinae superesset in nostrum usum cederet. Hanc per surreptionem[c] Rhuodingus[7] a vobis optinuit, nobisque legitimam donationem patris vestri repetentibus impostorum crimen inurit. Unde petimus, ut, inspecto edicto patris vestri, pro reverentia beati Petri et beatae Mariae et Pauli, apud quos communem Dominum pro vobis exoramus, sic hoc negotium terminare dignemini, ut non solum invasor cellae illius in praesenti iuste redarguatur, verum etiam posteris calumniandi nobis occasio auferatur.

Nam, etsi dominus noster, pater quondam vester, hoc nobis munus non concessisset, tam intente pro vobis et laboravimus et laboramus, ut, si eandem cellam aut amplius quid a vestra excellentia peteremus, non esse nobis negandum unanimiter confidamus. Ipse autem Deus inspiret prudentiae vestrae, ut, sicut hoc scandalum vestro tempore coepit, ita etiam per vos firmissimum finem accipiat; ut hoc beneficio et nos et posteri nostri pro vobis et filiis vestris incitemur eum attentius implorare, vosque sic tribuat imperare in terris, ut aeternum regnum possideatis in caelis.

---

a) possit *corr. in* posset. b) *ras. post* aequis. c) *ras. pro* -am. d) *ras. ante* experti. e) *ras. post* ea. f) concedit *corr. in* -dat. g) *alterum* g *suprascr.*

11. a) *Lemma:* Ad Lotharium regem pro cella sancti Iudoci. b) magest. *corr. in* maiest. c) *ras. ante* Rhuod.

1) *monachus Ferrariensis, post Prumiensis, Marcwardi successor, cf. supra p. 18 n. 4.* 2) *quondam ostiariorum magister in aula Ludowici, inde ab anno c. 830. monachus Prumiensis, cf. Wandalberti Mirac. S. Goaris c. 30, SS. XV, 371.* 3) *qui post Eigilum inde ab anno 860. monasterio Prumiensi praefuit.* 4) *hodie St. Josse sur mer sive Wicquinghem ad fluviolum Canche prope Étaples (Pas de Calais).* 5) *Cf. EE. IV, 66. 291.* 6) *Hoc Ludowici praeceptum deperiit, cf. de eo infra epp. 45. 53. 55.* 7) *'Unus forte e clericis palatii' ex Gallia christ. X, 1290, sed hoc valde incertum. Hinc patet hanc epistolam esse scriptam ante divisionem imperii inter filios Ludowici Pii. Nam Carolus cellam S. Iudoci postea dedit Odulfo comiti. BAL.*

12.

847 *Lupus Ferrariensis abbas Pardulum episcopum Laudunensem rogat, ut pro libertate monachis S. Columbae restituenda apud Karolum regem intercedat.* *847.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 501; Desd. 72.

CLARISSIMO[a] PRAESULI P[ARDULO][1] LUPUS PLURIMAM SALUTEM.

Cum repeto memoria intimos vos esse regi, nihil miror, quando ad fidei vestrae meritum et sine invidia sapientiae metior privilegium, immo gaudeo plurimum, quod iacentes res eclesiasticas credo vestra industria sublevandas. Proinde fiducia familiaritatis hortor et moneo, ne perceptam a Deo gratiam neglegatis. Talentum enim, cf. Matth. 25, 15 sqq. ut optime nostis, cum usura restituendum a Domino accepistis. Ecce, quanta vobis lucrandi ultro confertur occasio. Monachi sanctae Columbae privilegio et antiquorum et praesentium muniti episcoporum, regumque et imperatorum et priscis et recentibus instructi edictis, spem recuperationis aliquam nacti pietatis regiae portum petunt, ubi tutum perfugium vestra intercessione cupiunt invenire. Dignamini, quaeso, legere quae ferunt et, ut a rege clementer audiantur, efficere; et prudentiae vestrae laudabili acumine, ne gravemini aperire hii, qui ante eum feliciter regnaverunt, quam proficuum sibi et patriae iudicaverunt, si Dei servis postulata concederent. Ferte opem indigentibus, praestate refrigerium[b] laborantibus, sit vestrum memoriale saltem aliquorum Dei servorum instaurata libertas. Occupationum vestrarum intuitu parcius rem suggero, quam vestra mirabilis capacitas effectu tanti boni sufficienter intellectam desiderantibus patefaciat.

Benigne mei memores cupio vos valere feliciter.

13.

Lupus Ferrariensis abbas ab Aedilulfo Anglorum rege, de quo Felix ei rettulerat, petit, ut in ecclesia Ferrariensi plumbo operienda ei adiumento sit. *847—c. 855.*

Edd. Desd. 77.

AD[a] LAUDEM ET GLORIAM DEI MAGNIS LAUDIBUS EFFERENDO[b] AED[ILULFO] REGI[2] OMNIUM SERVORUM DEI ULTIMUS LUPUS ABBAS EX MONASTERIO SANCTI IUDOCI PRAESENTIS TEMPORIS FELICITATEM ET BEATITUDINIS AETERNAE SALUTEM.

Quoniam regiminis vestri opinionem bonam cognovimus[c] et vires vobis a Deo collatas contra inimicos Christi audivimus, omnipotentem Deum, qui easdem vires tribuit, precamur, ut contra omnes christiani nominis hostes vos insuperabiles faciat, qui potestate sua incomprehensibili, sed tamen iusta, omnia semper dispensat. Verum, quia meam parvitatem a vestra excellentia separat continens[d], obsequendo notus vobis

---

12. a) *Lemma:* Ad Pardulum. b) refigerium *P.*

13. a) *Lemma:* Ad Edilulfum regem. b) *ras. post* effer. c) *ras. supra quam* cognov. *scriptum est.* d) *iter. in marg. not. tir.*

1) *Laudunensi episcopo 847—857 (Mabillon Ann. ord. S. Bened. II, 671. De morte eius cf. Ann. Laudun. SS. XV, 1294). Cum Karolus rex anno 847. die 5. Decembris mensis monasterio S. Columbae sub Bernardo abbate libertatem ab episcopi potestate restitueret (cf. Lupi opp. ed. Baluz. p. 512, Quantin Cartul. de l'Yonne I, 58), eodem anno has Lupi litteras scriptas esse oportere Baluzius recte exposuit. Cf. etiam diploma Ludowici Pii a. 836. datum, Mühlbacher Reg. 961. Ludowicus Germaniae rex postea a. 858. abbatiam S. Columbae Weniloni archiepiscopo ad tempus reddidit, cf. Capitul. reg. Francor. II, 452 c. 10.* 2) *Angliae 836—858. Marckwaldo (Servatus Lupus p. 51), qui hanc epistolam post nuptias Aedilulfi a. 856. 1. Oct. m. celebratas demum scriptam esse coniecit, assentiri non possum, sed post recuperatam cellam S. Iudoci eam datam esse necesse est. Immo si Aedilulfus tunc iam gener Karoli Calvi fuisset, Lupus de hac copula minime tacuisset.*

fieri cupio; maxime, postquam vestrum in Dei cultu fervorem ex Felice didici, qui epistolarum vestrarum officio fungebatur[1]. Praecipite igitur, quicquid possibile mihi creditis, et me in omnibus ad famulandum paratum invenietis. 847—c. 855

Sed ut vos ad promerendum Deum excitemus, certandi vobis prioribus materiam ostendimus et in praesenti spem et in futuro seculo mercedem procul dubio praebituram. Eclesiam in monasterio nostro, quod est mediterraneum[a], et Ferrarias appellatur ac Bethleem a conditore impositum nomen possidet, operire plumbo molimur post Deum in honore beati Petri et omnium ceterorum apostolorum consecratam: cuius operis, si dignamini, vos esse participes precamur. Estote igitur in Dei honorem ad hoc perficiendum adiutores, non meriti nostri, sed respectu divinae mercedis; quia, qui sine vestra largitione pro vobis intercessores sumus, alacriores erimus, si vobis et nobis profuturum ad animae tantummodo[b] remedium munus acceperimus. Erimus tamen, sicut ante significavimus, in omne, quicquid nobis possibile iniunxeritis, parati.

Omnipotens Deus ad propagationem et conservationem suae fidei vos et posteritatem vestram diutissime regionis vestrae faciat esse principes et quandoque sempiternae beatitudinis heredes.

14.

Lupus Ferrariensis abbas a Felice, Aedilulfi regis intimo, iamdiu noto petit, ut preces suas regi pro ecclesia plumbo operienda adhibitas commendet. 847— c. 855.

Edd. Desd. 78.

DILECTISSIMO[a] AMICO F[ELICI] LUPUS, ABBAS MONASTERII FERRARIENSIS ATQUE SANCTI IUDOCI, SALUTEM[2].

Licet aliquot anni fluxerint, ex quo nos invicem, largiente Dei gratia, in monasterio Farae[b 3] primo cognovimus nec postea evenerit oportunitas, quod optavi, ut familiariter loqueremur, tamen, quia in neutro nostrum fervor caritatis refrixit, precor, ut apud laudabilem vestrum Aedilulfum mea petitio vestra diligentia sortiatur effectum. Siquidem recordatus, quantae illum liberalitatis praedicaveritis, per litteras flagito, ut, quoniam statui eclesiam beati Petri principis apostolorum in monasterio Ferrariensi tegere plumbo, ad diuturnitatem contignationis[c] et[d] ad augmentum bonorum suorum ex eodem plumbi metallo ad memoratum opus, quantum ei Deus inspiraverit, nobis dignetur largiri. Quod si, exuberante Dei clementia et vestra cooperante industria, optinuero, vestrae rursum erit sollicitudinis, ut munificentiae illius beneficium ad villam Stapulas[4] pervehatur. Nos autem, sicut et in litteris praefato regi directis expressimus, et pro illo semper orare parati sumus et, si quid possibile nobis iniunxerit, celeriter exequi.

Cupio vos valere feliciter.

15.

Lupus Ferrariensis abbas Leotaldum amicum ut deprecator pro se sit, petit, de patre patrato addit. post a. 842.

Edd. Desd. 40.

---

a) *ad marg. man. recent.* id est a mari fluminibusve remotum. b) tantummodu *corr. in* -do.

14. a) *Lemma:* Ad Felicem. b) *ad marg. adscripsit man. recens* f(ort.) Ferrarię. c) *in marg. not. tiron. repetitur.* d) ut *P, corr. Tr.*

1) *Erat ergo Felix notarius Aedilulfi, vel forte an cancellarius BAL., non monachus S. Faronis, ut Sprotte p. 188 n. 39 coniecit.* 2) *Haec epistola cum superiore coniuncta erat a Felice regi offerenda.* 3) *monasterium Faremoutiers en Brie.* 4) *Étaples.*

post a. 842

LUPUS[a] ABBAS L[EOTALDO][1] SUO SALUTEM.

Non eram nescius te id animo continere, quod litteris expressisti, quoniam pene omnia sunt mihi ac frequenter in oculis, quibus modis benivolentiae germanus animus sit solitus respondere. Unde autem te certiorem fieri poposcisti, indulgentia Dei scias me pro tempore bene valere, meisque dispositionibus, quas iustitia semper condire cupio, nihil quod sciam, obsistere. Quamobrem bono animo esto, et pro nostra communi salute hoc sancto tempore instantius deprecare.

Patrem patratum nomen esse gradus sacerdotalis existimo, cum is qui eo fungeretur tantum venerationis a civibus mereretur, ut eorum pater factus diceretur; per quem ea fiebant, quae in Servio[2] legis, ut hostes, quos viribus superare moliebantur, prius religione terrerent.

16.

Lupus Ferrariensis abbas Orsmaro Turonensi archiepiscopo ob fratrem ab eo benigne receptum gratias agit, Boethii commentarium in Topica Ciceronis per nuntium sibi mittendum expetit. *c. 842—846.*

Edd. Desd. 27.

REVERENTISSIMO[a] O[RSMARO] METROPOLITANO[3] LUPUS IN DOMINO SALUTEM.

Germani mei vestrique[4] fidissimi relatione postquam mihi vestra opinio innotuit, miro semper ardeo desiderio experiri, quod illius diligentia delectabiliter praelibavi, maximasque sanctitati vestrae ago et habeo[b] gratias, quod ultro certare beneficiis non fastidistis, memoratum fratrem episcopaliter excipiendo et benigne fovendo, parvitatem vero meam ad vestrum amorem sincerissimo affectu invitando. Quod an pura mente depromam, facile vestra prudentia colliget, si facultatem demonstrandi divina umquam gratia nactus fuero.

Interim, quod iam didicimus, quantum de vobis praesumere debeamus, impendio supplicamus, ut commentarios Boetii in Topica Ciceronis, quos in chartacio codice[5] sive, ut emendatius aliis dicendum videtur, chartinacio[6] Amulricus in armario sancti Martini[7] habet, optentos ab eo nobis per hunc, quem ob hoc direximus, nuntium dirigatis. Monemusque, ut, cum quilibet quaesierit, cuinam praefatum codicem commodaturi sitis, nostra nomina supprimentes, quod quibusdam propinquis vestris id magnopere flagitantibus velitis eum mittere, respondeatis. Si autem per vos illum accipere meruerimus, optime tractabimus et tempore oportuno remittemus.

Super vestra incolumitate nobisque gratissima prosperitate litteris nos certiores facere dignamini, et ne aliqua ex parte ad vos frustra miserimus, pariter procurate.

---

15. a) *Lemma:* Ad Leotaldum.

16. a) *Lemma:* Ad Orsmarum metropolitanum Turonum. b) ago et habeo *iter. in marg. not. tir.*

1) *De Leotaldo cf. supra p. 20. — Presbyterum fortasse Lingonensem, in castro Divione commorantem eum fuisse coniecit Baluzius, cf. Chronicon S. Benigni edd. Baugaud et Garnier (Analecta Divionensia I p. 79. 82. 93. 95).* 2) *Servius ed. Thilo II, 384.* 3) *Orsmarus vel Ursmarus ecclesiae Turonensi c. 837—846 praefuit, cf. Gall. christ. XIV, 35.* 4) *i. e. monachi cuiusdam.* 5) *Cf. Cassiod. instit. div. c. 8, ed. Garet p. 543.* 6) *Priscian. Instit. gramm. IV c. 31 (Grammat. lat. ed. Keil II, 136). 'Non volumen est papyraceum, sed liber foliis papyraceis plicatis et in quaternionum formam redactis. Quales codices post membranas in usum ubique receptas confici tantum non desierunt, supersunt paucissimi (cf. M. Ihm, Centralbl. f. Bibliotheksw. XVI, 1899, p. 354—357)' Traube.* 7) *sc. Turonensis. De Amalrico, tunc canonico, postea archiepiscopo cf. Gall. christ. XIV, 38—39.*

17.

Lupus Ferrariensis abbas episcopo vel abbati cuidam de fratre, qui delictum commiserat, post longos errores reverso scribit. 841—862. 841—862

Edd. Desd. 65.

Quamquam[a] vasta terrarum amplitudo diversis nos secernat locis, tamen, quia caritas illius, qui per fidem facit unanimes habitare in domo eclesiae, nos concordi sociat religione, aequum est, ut quae dictante utilitate vicissim nobis scribimus germana reverentia complectamur. Itaque frater vester post longos errores ad nos devenit delictique sui qualitatem simpliciter exposuit; quam litteris comprehendere otiosum iudicavimus, quando et rebus et verbis illius scire volentibus absque difficultate constabit. Cuius condolentes calamitati et congratulantes conversioni, sanctitati vestrae has tenuitatis nostrae litteras destinandas[b] decrevimus, quibus imploramus[c], ut excessus illius vindictam nostrae deprecationi remittere non dedignemini. Siquidem temeritatis suae adeo dignum refert pretium, ut, si qui forte sint eius inimici, tantae, tam molestae, tam denique infructuosae peregrinationis illius exsaturari possint iniuria. Perditorum enim hominum adquiescens circumventioni pene usque ad ultimas Galliae partes abductus est; omnique ope nudatus inde ad vos magno cum rubore, ut videtis revertitur. Quocirca vestra clementia nostris flexa precibus et culpam dignanter indulgeat, et pietatis gremium ei citius paenitenti[d] aperiat.

18.

Lupus Ferrariensis abbas monachis quibusdam sancti Amandi, abbatis cura pro eis abdicata, ut conventum generalem in praedio Bonogilo Kal. Iulii habendum adeant suadet, litteras eorum se die 23. Iunii mensis recepisse testatus. 847 Iun. 24.

Edd. Bouquet, Recueil VII, 512; Desd. 108.

CARISSIMIS[a] FRATRIBUS LUPUS IN DOMINO SALUTEM[1].

Curam vestri nec me cupide appetisse nec insolenter excepisse vidistis, quod parvitatem meam duplici onere gravari, non provehi, facile sentiebam; et nunc eandem[b] curam in promptu[c] est conicere me libenter deponere, nec alicui eam gerenti aliquatenus invidere: siquidem et sine dolore amittuntur, quae absque delectationis illecebra[d] possidentur, et iuxta beatum apostolum: 'sive ex veritate, sive ex occasione, Christus annuntietur, et in hoc gaudeo[e] et gaudebo'. Proinde videtur mihi oboediendum vobis esse cui praecipitur, et ad generale placitum occurrendum, quod in praedio quodam[f] Parisiorum, cui Bonogilo nomen est[2], incipiet Kal. Iulii celebrari. Sacris enim regis obniti[g][3], praesertim hoc tempore, periculosum existimo. Exiguitatem Phil. 1, 18.

---

17. a) *inscriptio deest, vacuo relicto spatio illi destinato;* ad Iunetum *Masson ex arbitrio.* — Quanquam *P.* b) *ras. post* destinandas. c) *in marg. not. tir.* optima supplicatio. d) pen. *corr. in* pęn.

18. a) *Lemma:* Quibusdam fratribus ex monasterio sancti Amandi. b) *ras. post* eandem. c) proptu *P.* d) *ras. post* illec. e) g. *P.* f) quoddam *P.* g) iussionibus *suppl. Tr.*

1) *Post Adaleodum abbatem, qui a. 845. obiit (cf. Ann. S. Amandi, Elnon., SS. II, 184; V, 12) Gislebertus II secutus a. 847. iam obiisse videtur, cf. Karoli Calvi praeceptum die 23. Mart. a. 847. datum (Mabillon Annal. o. S. B. II, 752):* propter suspectas succedentium rectorum voluntates monachis .. segregravimus villas quasdam, quae proprie fratribus deservirent nec per ullam occasionem valerent a quolibet deinceps abbate ad usus alios detorqueri, *ex quo nullum tunc abbatem coenobio praefuisse colligo (cf. Poet. Car. III, 558 n. 2). Lupus igitur hoc munus suscipere noluit.* 2) *vico agri Parisiensis. De synodali conventu a. 855. apud Bonoilum habito hic minime cogitandum est. Cf. vero Chron. Fontanell. 847 (SS. II, 302):* Ipso anno perreximus Bonolium pro praediis recipiendis, *Boehmer Reg. Carol. n. 1594.* 3) *Id est principis iussa spernere BAL.*

837—857 vero meam, si vita comes fuerit, absque difficultate in conventu repperietis. Quod si tardius, quam voluissetis, praesentes vobis redditae fuerint litterae, noveritis vestra VIIII Kal. Iul. mihi fuisse allatas et meas posttridie[a] eius diei traditas.

Mei benigne memores cupio vos valere feliciter.

19.

Lupus Ferrariensis abbas Heriboldo Autissiodorensi episcopo de monacho eius, cui Iohannis nomen erat, Ferrariis versante scribit; eumque rogat, ut monasterii sui penuriae melius consulat. *841—857.*

Edd. Desd. 106.

EXCELLENTISSIMO[a] PRAESULI H[ERIBOLDO][1] LUPUS.

Quidam vestrum monachus, cui Iohanni nomen est, nobiscum in monasterio nostro versatur, propter quandam necessitatem a quodam fratre nostro vocatus, a me autem postea retentus, quod et nobis prodest et in coenobio eius, ut audivimus, indigentia laboratur. Quo congregari undique fratres vos praecepisse comperiens, celsitudini vestrae hos direxi apices, postulans, ut et hunc mihi aliquamdiu concedatis et, quantum audeo, suppliciter implorans[b], ut secundum ingenitam vobis benignitatem et impositam officii diligentiam loco illi consulatis: ne forte fratrum penuria non solum bona vestra obscuret, verum etiam Dei nostri, ad cuius cotidie iudicium properamus, provocet offensam et inrevocabilem acceleret vindictam. Res enim eclesiasticae et animarum cura quanta cautela tractanda sint, nec admonita vestra videt prudentia. Proinde et vobis et illis fratribus consulite, ut et de vestra indulgentia et de illorum sublevatione glorificetur Deus, qui singulis cito retribuet quod merentur.

Valeas, domine carissime, meique praecipue in sacris orationibus meminisse digneris.

20.

Lupus monachus Altwino monacho amico, quem ad se invitat, de sanitate sua restituta scribit, quaestiones metricas et grammaticas solvit, de cometis disserit, de episcopo quodam ac de Probo certior fieri vult. *837 Maio mense.*

Edd. Desd. 7.

CARISSIMO[a] FRATRI ALTVINO LUPUS PLURIMAM SALUTEM.

Litterae sanctitatis tuae III Kal. Maii mihi redditae sunt: quarum sententia pronum in me tuum declaravit affectum, haudquaquam sane aliter quam perceperam animo ac firmissime retinebam. Namque cum tam concorditer, tamque iucunde, ac forsan tam proficue, aliquamdiu peregre vixerimus, qui poterat amor tam longo usu[b] concretus labefactari? Infirmitatem vero, quam contigisse mihi audisti, cognoscas exuberante circa me, ut semper et in omnibus, divina gratia detrimenti nihil, at emolumenti plurimum[c] addidisse. Quippe nihil incommodi praeter formidinem solam tulit. Orta[d] enim in dextro inguine pustula impendentem solum minata est mortem[2]. Tan-

---

a) *in marg. not. tir.* post tridie.

19. a) *Lemma:* Ad Heriboldum episcopum. b) *in marg. not. tir.* honesta supplicatio.

20. a) *Lemma:* Ad Alt[vinum]. b) uso *corr. in* usu *P.* c) *ras. post* plurimum. d) *ante* o *littera erasa est.*

1) *a. 825—857.* 2) *Istum morbum Lupo* cum in viridi aetate videl. iuvenili studio sophiae floreret, *in monasterio S. Trudonis eo tempore, quo Franconofurtum proficiscebatur cum Odone abbate suo, testatur Hildegarius episcopus Meldensis in vita S. Faronis BAL. (c. 118, Mabillon Acta SS. saec. II, 622).*

tam autem orationum peperit copiam, quacumque meum fama casum dissipaverat, ut opinari audeam eum divino mihi beneficio procuratum. Regressus a Transrhenanis partibus, ubi statum loci nostri deprehendi, morem gerere statui quibus debebam; et, favente Dei clementia, firmissima[a] fruor quiete, otiumque meum est mihi pergratum conducibili lectionis negotio. Vides igitur nullos me itus moliri ac reditus. Quocirca, si tibi necessarium ducis meum colloquium, adultam aestatem propter pabuli penuriam praestoleris oportet, quando, non impediente cura equorum, facere nobiscum[1] dies aliquot valeas. 837 Maio mense

Interim, quae ex me quaesisti (ea dumtaxat, quorum videor mihi attigisse notiam), quam possum breviter absolvo. Communem syllabam ex muta et liquida fieri in eis solis, quae per naturam brevia sunt, nequaquam dubitaverim. Primo, quod natura pene semper arti praeiudicat. Deinde, quod, ut [ita][b] sentiam, huiusmodi suadent pronuntiationes: 'Peccator' creat ex se femininum 'peccatrix'; 'amator', 'amatrix'; 'venator' 'venatrix', multaque similia, in quibus paenultima syllaba nullus umquam dubitavit ponendum accentum. Nam, si positionem sequeremur, femininum genus acuta antepaenultima proferremus. Quod quam sit absurdum, immo barbarum, quis non intellegat? Postremo quaecumque natura produxit nullius poetae testimonio usquam correpta repperio, quamquam diu sit, quod id vigilanter[c] quaesierim. Videtur ergo mihi et quibusdam doctis eisdemque studiosissimis viris, qui mecum talia pensitarunt, 'salubris[d]', 'aratrum', et similia, accentu paenultimo indubitanter moderanda.

'Bibliothecam' quemadmodum enuntiare debeamus, Martialis versu[2] ostenditur:

Quem mea non totum biblioteca capit.

In versibus moralibus, quos Alcvinus dicitur edidisse[3], statera sic posita est:

Non tibi sit modius duplex nec statera duplex.

'Blasphemus' Graecum esse non dubitabit, nisi qui id per p et h scribi parum attendit. Itaque Graecus quidam Graecos 'blasphemus' dicere correpta paenultima mihi constanter asseruit, et id ipsum Einhardus noster astruxit. Tamen Aurelius Prudentius, qui apud plerosque vehementissime celebratur, id nomen sic posuit[e][4]:

Divisor blaspheme Dei.

Hinc igitur longe lateque manavit, ut 'blasphemus' et 'blasphemo' accentum in paenultima sillaba sortirentur. 'Nundinas' in Teodulfi carmine[5] legi producta paenultima. Quod utrum eius an praeceptorum auctoritate, penes illum fides habeatur. 'Loquelam' et 'querelam' per unum l, Capri ortographiam[6] sequentes, proferimus. 'Medelam' vero, sicut 'suadelam', absque retractatione diceremus, ni coniugationis similitudinem confunderet diversitas generis et omnium pene exemplarium non contemnenda repugnaret concordia. Quamobrem in medio relinquamus, nec temere nostrum permutemus usum, quoad, si non sufficiunt quae dixi, vel a nobis vel ab obnitentibus aliquid robustius inveniatur.

Sistrum musicum est instrumentum, quod Isis, ut scripsisti, manu gestare fingebatur[7], accessus et recessus Nili fluminis eo significans. Unde Cleopatram Virgilius[8], ut commenticiam eius potestatem sibi arrogasse solita subtilitate aperiret:

Patrio[f], inquit, vocat agmina sistro.

---

a) *ras. ante* -ma. b) ita *suppl. Tr.* c) *ras. post* vigil. d) *in marg. not. tir.* salūbris et similia. e) *post* posuit *septem fere litterularum spatium vacuum est relictum.* f) o *supersc. est.*

1) *i. e. Ferrariis. Altwinus Moguntiaci vixisse videtur, cf. infra de eo epp. 34. 36, ubi cum w scribitur.* 2) *Mart. l. XIV ep. 190 v. 2.* 3) *Poetae Carol. I, 278 v. 88, cf. Aviti opp. ed. Peiper p. LXXII, qui hos versus Avito adiudicare vult.* 4) *Prudent. Hamartigen. v. 2.* 5) *Poet. Carol. I, 559 v. 48.* 6) *Grammatici lat. ed. Keil VII, 96, 6.* 7) *Cf. Isid. Etymol. III, 21, 12; Servius ed. Thilo II, 302.* 8) *Aen. VIII, 696.*

837 Maio mense. 'Fĭălas'[a] correpta paenultima ea causa dicimus, quod fialae dicuntur, quia fiunt ex vitro, quod Graeci 'hialin' appellant. Hialin autem habes in Virgilio[b] [1]:

Carpebant hialin saturo fucata colore.

Item apud Martialem[2]:

Quid tibi cum fiala ligulam committere posses.

De cometis qui visi sunt timendum quam disserendum videtur. Et quia de his nil usquam divina loquitur auctoritas, id opinari, immo metuere possumus, quod gentiles illis apparentibus usu deprehenderunt. Hii[c] portendere cometas pestilentiam vel famem vel bella tradiderunt. Hinc Mantuanus vates[d], morte Caesaris ac bellis civilibus imminentibus, inter alia quae ponit monstra[3]:

Nec diri inquit toties arsere cometae.

Iosephus quoque prodit[4], priusquam everteretur Ierusalem, fuisse stellam in morem gladii per totum annum super eandem urbem. Sed, ut in spem aliquam adducamur clementiora experiendi, refert Pompeius Trogus[5] Mitridatis regis futuram excellentiam cometa praemonstratam his verbis: Nam et eo quo genitus est anno, et eo quo regnare primum coepit, stella cometes per utrumque tempus LXX diebus ita luxit, ut caelum omne flagrare videretur[e]. Quartam caeli partem occupaverat, et fulgoris[f] sui radiis nitorem solis vicerat; et cum oriretur occumberetque, IIII horarum spatium consummebat. Vidi[g] ego praeterea hoc Aprili, post mediam ferme noctem, stellam quandam subobscuram, quae sub Leone posita, radium ad spicam Virginis usque porrexit[6]. Quam rem aliquot dies scrupulose observans, stellam eandem contemplatus sum, sed radium deinceps non vidi: deinde ipsa quoque stella sublata est.

Librum quem petisti multi, quibus non erat commodandus, meum post reditum flagitarunt. Quare ablegandum[h] illum aliquo, ne perire contingeret, pene statui. Hunc a me, cum veneris, forsitan impetrabis. Nam huic clerico etsi, quia tibi fidus est, hunc committi posse videbam, tamen non satis tuto, quod pedes erat, te non advertisse miratus sum. Ceterum cur me super episcopo nostro[7] plene certum non reddideris, tuli moleste, quoniam nullius me causae quantum illius fatigant. Iam vero[i] pene stomachor, quoniam non scripsisti, quid Probus noster[8] exerceat, scilicet utrum in saltu Germaniae disciplinas liberales, ut serio dicere solitus erat, ordine currat, an certe inchoatam saturam, quod magis existimo, struens Ciceronem et Virgilium ceterosque opinione eius probatissimos viros in electorum collegium[k] admittat, ne frustra Dominus sanguinem fuderit et in inferno otium triverit, si verum sit illud propheticum: 'Ero mors tua, o mors[l]; morsus tuus ero, inferne'.

Osee 13, 14.

Vale, carissime, et in amore nostro benigne[m] persevera. Ex parvitate mea digneris salutare praepositum et congregationem vestram et precari, ut pro me et patre meo atque matre Dominum exorare dignentur.

---

a) *in marg. not. tir.* fiăle unde et qualis. b) *in marg. not. tir.* Virgilius. c) Hi *corr. in* Hii. d) *in marg. not. tir.* Virgilius. e) Nam et magnitudine sui *addidit Bal. ex Iustino.* f) fulgores *corr. in* -ris. g) *in marg. not. tir.* mirum. h) l *superscr. est.* i) *in marg. not. tir.* facete vult dictum. k) collegio *corr. in* collegium. l) m. e. r. m. s. t. inferne *P.* m) *corr. ex* benigna.

1) *Georg. IV, 335, cf. Serv. ed. Lion II, 299.* 2) *Lib. VIII ep. 33 v. 23.* 3) *Georg. I, 488.* 4) *Lib. VII c. 12 de bello Iudaico, p. 314 col. 1524.* 5) *Iustini Histor. Philipp. l. XXXVII c. 2.* 6) *eandem stellam, de qua Einhardus Ludowico Pio scripsit, cf. EE. V, 130, unde has Lupi litteras anno 837. assignare necesse est.* 7) *Cf. infra ep. 34.* 8) *De Probo origine Scotto, presbytero docto, qui die 25. Iunii a. 859. obiit cf. Ruodolfi ann. Fuld. ad hunc annum, p. 54 ed. Kurze; Poet. Carol. II, 394; N. Arch. XVII, 459.*

21.

Lupus abbas Ferrariensis apud Ionam Aurelianensem episcopum[1] *de rapina ab Agio propinquo eius in possessione monasterii sui facta questus, de ingressu suo in monasterium Ferrariense atque Odonis abbatis discessu refert.* *841 ex. — 842 in.* 841 ex.—842 in.

Edd. Bouquet, Recueil VII, 483—484; Desd. 22.

Moleste[a] vos tulisse mearum litterarum sententiam non mediocriter mirari soleo, cum, si ea paulo diligentius consideretur, non modo dignitati vestrae nihil derogaverit, verum etiam detulerit plurimum, quando id, quod nos magna cogebat facere necessitas, ut vestra pace posset fieri, exoravit. Tantum enim abest me vestram cogitasse iniuriam, ut sincera caritate optem gradum vestrum praedicationemque vos integritate vitae semper equare[b] nihilque in ea prorsus apparere, quod sanctitatis vestrae opinionem fuscare praevaleat. Hinc fuit, quod propinqui vestri Agii[2] vobis exposui, quae a multis culparetur, immodicam rapacitatem, ut, quia vestra id fecisse iactabatur voluntate, cum a vobis deinceps compesceretur, extra illam ea omnia gessisse inspicere volentibus emineret. Et quamquam frustra prioris iacturae querelam omiserim et de illa, quam postmodum intulit, impellentibus his, qui maximo affecti fuerant damno, questus fuerim domino nostro atque ille, ut ea in re lex conservaretur, se velle responderit, persequi negotium reverentiae[c] vestrae consideratione destiti, hortantibus id clarissimo viro Eriboldo et venerabili Fulcone[3], qui mallent me maximarum rerum quam amicitiae vestrae dispendia sustinere. Ut autem vere vobis confitear, quod cupio vos episcopaliter accipere, in urbe vestra et in villulis, quas extrinsecus habebamus, nec tantum quidem nobis relictum est, unde familia viveret agrique fenus acciperent. Fuit autem nobis ibi non contemnenda vini et annonae copia, salis quoque aliquantulum: quae vendita et vestimentorum nobis praebitura erant solacia et in expeditionibus, quae hoc reipublicae turbulento tempore exiguntur, quantulamcumque facultatem argenti. Quarum rerum tantam nunc patior anxietatem, ut illud mihi solum occurrat dicendum: 'Tu es refugium meum a tribulatione[d] quae circumdedit me'. Hinc enim me fratrum vexat inopia, hinc impendenda itineribus vehementer affligit pecunia, et pene omnibus rebus nostris undique aut sublatis aut devastatis, nusquam nisi in Dei amicorumque suffragio auxilium valeo repperire. Ps. 31, 7.

Ceterum[e] de abbate quondam nostro[4] falsa nescio quae vobis relata esse audio et, ne apud vos ea ulterius praevaleant, quae super eo gesta sunt, quam verissime sanctitati vestrae significo. Dominus noster[5], ne in monasterio nostro esse permitteretur, iussit praefatus de eo talia, quae melius reticentur. Id reversus ad monasterium[6] quam mollissime eidem abbati edixi; atque illi hominibus, qui eum deducerent, deputatis, equis et vestimentis et argento[f] ad viaticum concessis, cum iussu domini regis II Kalendas Decembris promoverem, constitui, ut[g] intra III Non. memorati mensis monasterio decederet, quod eo die ante dominum regem me venturum sperarem. Quod

---

21. a) *Lemma:* Ad Ionam. b) eequare *post ras.* c) reverentiam *corr. in* -tię. d) t..b.l.t.on. que c. m. e) cetero *corr. in* ceterum. f) *ras. post* argento. g) ut *suprascr.*

1) *Ionas successit Theodulfo a. 818—843.* 2) *qui post Ionam inde ab a. 843. ecclesiae Aurelianensi praefuit. Concil. Vernense c. 10 (Capitul. reg. Franc. II, 385):* superiore anno *(sc. 843.)* archiepiscopus Wenilo . . ex eodem loco Agium presbyterum palatii vestri memoratae ecclesiae *(sc. Aurelianensi)* ordinavit . . , *cf. de eo Poet. Carol. III, 55 n. 2.* 3) *Heriboldum episcopum Autissiodorensem et Fulconem chorepiscopum Remensem dicere videtur.* 4) *sc. Odone.* 5) *i. e. Karolus rex.* 6) *die 22. mens. Novembris a fratribus electus erat. Lupum has scripsisse litteras peu de temps après son installation, aussitôt qu'il éprouva le besoin de justifier sa conduite, recte vidit Giry (l. l. p. 116—117), sed de tempore electionis cum eo non consentio.*

841—842 cum iuxta meam opinionem fecissem, post sollemnem exceptionem quaesivit, quidnam de praefato abbate fecissem. Ego, qui crederem sic eundem abbatem gessisse, ut nobis convenerat, praeceptum eius me super eo complevisse respondi. Accepta igitur licentia, cum pridie Idus Decembres monasterio propinquassem, comperi saepedictum abbatem ibi adhuc morari. Hinc vehementer anxius, quod aliter domino nostro dixeram, aliter inveniebam, praemisi nocte qui ei honeste diceret, ut primo diluculo egrederetur: non esse honestum, ut aut ego meum differrem ingressum, aut illum ibi contra domini nostri praeceptum invenirem. Cumque ille mandasset se in crastinum exire disposuisse, ne aliquam inimicis calumniandi ansam relinquerem, remandavi me non ante ingressurum, quam ipse egrederetur. Ita ille coenobium egressus est, permissis sibi omnibus, quae illi ante largitus fueram, et nonnullis insuper attributis. Quam rem aulicis familiaribus meis continuo significavi et oportune[a] egomet domino nostro exposui, et mendacia, quae inde sererentur, declaravi. Non aliter me facere debuisse eis concorditer visum est. Viderint qui alia inde sparserunt, an[b] perperam
cf. Matth. 6, 22. fecerint. Ego certe simplicem in hac parte oculum habens lucidum fore corpus meum divina auctoritate confido[1].

Opto vos valere feliciter et bonis omnibus habundare[c].

22.

Lupus Ferrariensis abbas(?) a Ludowico cancellario summo(?)[2] *petit, ut duos famulos Ferrarienses in arte aurificum a fabris suis instrui iubeat, quorum unus iam aliquid in ea profecerit.* *post 841?*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 488—489; Desd. 25.

Quantum[a] congaudeam successibus vestris prosperioribus, etiamsi non scriberem, facile possetis ex antiquo nostro amore colligere. Illud forsitan iuste flagitaverim, ut vestra celsitudo parvitatem meam non aspernetur, sed olim concessam notitiam condescensionemque retinere dignetur; me vero noverit in sui obsequium fideliter praeparatum.

Ceterum vestram opinantissimam[3] flagito liberalitatem, ut duos nostros famulos a vestris fabris, quos peritissimos vos habere longe lateque fama vulgavit, auri et argenti operibus erudiri iubeatis, vestro beneficio nobis et vicinis nostris plurimum profuturos. Unde, ne nostra vota nimium differrentur, si quod petimus obtinere meruerimus, unum eorum, quos dirigere cupimus, ea iam imbuendum arte procuravimus. Aurum praeterea, quod hic frater noster apud vos deposuit, eidem iubete restitui, ut opere inspecto, quid nobis agendum sit, aestimare valeamus.

Opto vos valere feliciter et virtutum in dies capere incrementum.

---

a) oportuna *corr. in* -ne. b) *ras. post* an. c) abund. *postea addit.* h.

22. a) *Lemma:* Ad Ludoguicum.

1) *Cf. eundem locum infra in ep. 41.* 2) *Ludowicus, filius Roriconis comitis et Rotrudae filiae Karoli Magni, abbas S. Dionysii post Hildvinum, qui die 22. Nov. mens. a. 840. defunctus est (cf. Poet. aevi Carol. II, 655, Necrol. S. Germani ap. Bouillart Hist. de St. Germain p. CXXI), fuit inde ab initio regni Karoli Calvi usque ad mortem, quam anno 867. ineunte obiit, summus eius cancellarius, cf. infra ep. 28. De Ludowici dignitate ex hac epistola, quae allocutione caret, nihil dici potest.* 3) *Cf. infra prologum vitae S. Maximini:* opinatissimae maiestati.

23.

Odo abbas et congregatio Ferrariensis a Ludowico cancellario summo auxilium expetunt, ut Zacharias abbas quidam eis commissus propter impensas nimias in alium locum dirigatur. 840—841. 840—841

Edd. Bouquet, Recueil VII, 481; Desd. 17.

CLARISSIMIS[a] HONORIBUS MERITO DECORATO LUDOGUICO[1] ULTIMUS ABBATUM O[DO] ET UNIVERSA FERRARIENSIS COENOBII UNANIMITAS PLURIMAM SALUTEM.

Quotiens aliqua perturbationis vel necessitatis procella quatimur, ad benivolentiae vestrae portum securi confugimus: quae omnibus ad benefaciendum exposita, neminem repellit, qui sese opem petendo ingesserit. Verum, ne vos in longum ducamus, meministis nobis Zachariam abbatem hoc anno commissum, quando et vestra prudentia in tantum nobis favit, ut pene non nobis, sed aliis commendaretur. Nunc idem abbas dominum regem adit, quid ei potissimum agendum sit, ab eo quaesiturus. Habeat igitur vestra insignis industria tenuitatis nostrae considerationem et dignetur elaborare, ut vel ad locum, unde ad nos venit, vel ad alium quemlibet iam dirigatur, quia, ut rem vobis, ut est, simpliciter fateamur, non mediocriter nos gravant[b] expensae, quae illius hominibus tribuuntur. Unde per vos sublevari deposcimus, ut sit[c] unde aliis ad nos confluentibus hospitalitatis gratiam impendere valeamus.

24.

Odo abbas Ferrariensis Ludowico cancellario summo gratias agit atque valetudinem praetendit, quod post expeditionem Aquitanicam ad conventum venire nequiverit. 840.

Edd. Bouquet, Recueil VII, 481; Desd. 19.

SUMMIS[a] HONORIBUS DIGNISSIMO LUDOGUICO O[DO] ABBATUM ULTIMUS PLURIMAM IN DOMINO SALUTEM.

Affectum vestrae benivolentiae pronum in parvitatem[b] meam luce clarius pervidens, ago multiplices gratias Deumque fore pietati vestrae retributorem exopto. Ipse autem paratus sum, si quid iubere vestra dignetur excellentia, fideliter obtemperare[c]. Ceterum impellit me necessitas iterum vestri adiutorii patrocinium suppliciter implorare. Namque, postquam vobis auxiliantibus impetrata licentia ab expeditione Aquitanica[2] gravatus infirmitate redii, eadem pene semper attritus necdum revalui: quae res, ne cum aliis ad condictum occurrerem placitum, prohibuit. Misi tamen homines nostros una cum comite pagi, qui expeditionis officia more solito exequerentur. Vestram igitur supplicamus pietatem, ut nos offensae metu levare dignemini. Siquidem, quamquam ad obsequendum cum aliis paratissimam haberem voluntatem, imbecillitati tamen obviare non potui.

---

23. a) *Lemma:* Item ad eundem ex Odonis parte. b) *alterum* a *in ras. superscr.* c) a *ante* unde *erasum est.*

24. a) *Lemma:* Item ad quem supra. b) parvitem *P.* c) t *nimis obscurum supra lineam repetitum est.*

1) *Ludowicus in hac epistola atque in duabus quae secuntur, abbatis titulo nondum ornatur.* 2) *Vix dubito hic de expeditione Aquitanica contra Pippinum a. 840. facta agi, cf. Nithard. historiar. II c. 3. A. Giry (l. l. p. 117—118) hanc epistolam et eam quae sequitur aestate anni 840. post Ludowici Pii mortem et ante epistolam 28. scriptas esse censuit.*

25.

840 *Odo abbas et congregatio Ferrariensis petunt, ut Ludowico cancellario summo auctore hominibus eorum duabus expeditionibus fatigatis licentia domum redeundi detur; ne monasterium clerico alicui palatii questus causa tradatur, cavere volunt.* 840.

Edd. Bouquet, Recueil VII, 482; Desd. 18.

OMNI[a] REVERENTIAE APICE SUSPICIENDO VIRO CLARISSIMO LUDOVICO O[DO], ABBATUM ULTIMUS ET UNIVERSA FERRARIENSIS COENOBII SOCIETAS IN DOMINO SALUTEM.

Non sumus nescii multarum maximarumque causarum undique confluentium vos molibus opprimi eisque componendis vix tempora ipsa sufficere. Sed vestrae pietati eo usque confidimus, ut apud vos nostris rebus locum semper patere credamus. Explicari autem vix potest, quam simus parati vestrae voluntati, si quid iubere dignemini, obtemperare et condignis excellentiam vestram obsequiis prosequi. Interim, quod valemus, devotissimas preces domino Deo nostro pro vestra salute atque prosperitate, quam et nostram ducimus, indesinenter dependimus. Vos autem accipite iterum petitionem nostram[b] et, ut effectum optineat, quaesumus dignanter instate[c]. Homines nostri toto hoc fere biennio[1] aut nobiscum aut soli generalis expeditionis difficultatibus fatigati, censu rei familiaris in huiusmodi servitio effuso, onere paupertatis gravantur. Subveniat itaque illis vestra insignis clementia et, si possit fieri, licentiam domum revertendi optineat, ut possint paululum respirare atque futuri servitii rursus impendia praeparare.

Ceterum fama versatur inter nos clericos palatii[2] diversorum coenobiorum sibi dominium optare atque poscere, quibus nulla sit alia cura, nisi ut suae avaritiae oppressione servorum Dei satisfaciant. Unde in hac parte supplicamus vestram nobis vigilare prudentiam, ut tenuitas nostra per vos esse valeat tuta. Namque, quia haud procul a nobis educati estis, apud nos quoque fuistis, qualitas monasterii nostri vos minime latet: ubi praeter studium religionis, quo sibi nomen inter alia coenobia vindicavit, non est quod expetendum sit ei, qui se magni facit. Nisi forte tam sacrilegus quis inveniatur, qui stipendia Deo servientium in suos audeat usus convertere et eorum inopiam suam luxuriam facere. Ergo vestra industria hinc quoque nobis prospiciat, ut per vos accepta securitate liberius pro vobis Domino supplicemus[c].

26.

Odo abbas Ferrariensis a Marcwardo et Sichardo Prumiensibus comperire cupit, cuinam regum Franciae imperium obtingere videatur, Lothario imperatori commendatum esse vult. 840.

Edd. Bouquet, Recueil VII, 482; Desd. 15.

REVERENTISSIMIS[a] ATQUE CARISSIMIS PATRIBUS M[ARCWARDO] ET S[ICHARDO][3] O[DO] SEMPITERNAM SALUTEM.

Hominibus vestris, qui ad vos proficiscebantur[b], oportunitatem scribendi nobis ultro ingerentibus, officium nequaquam negleximus litterarum vestramque sanctitatem

---

25. a) *Lemma:* Item ad quem supra. b) vestram *corr. in* nostram. c) instante *corr. in* instate. d) supplicamus *corr. in* supplicemus.

26. a) *Lemma:* Marcwardo et Sichardo. b) profisiscebantur *corr. in* -cisceb.

1) *annos 839. et 840. dicere videtur, cf. A. Giry l. l. p. 118.* 2) *Cf. de clericis palatii Dümmler, Gesch. des Ostfränk. Reiches I, 49 n. 2.* 3) *Baluzius hunc Sichardum magistrum fuisse putavit, cui Frotharius Tullensis episcopus a. c. 833—834. epistolam scripsit, cf. EE. V, 293.*

precamur, ut vicissim quam potestis celerius nobis litteras dirigatis vestrae sospitatis qualitatem modumque prosperitatis continentes. Nos autem in quodam meditullio positi fluctuamus incerti, dum deprehendere non valemus, quinam potissimum regionem nostram sibi debeat vindicare[1]. Namque, sicut relatio vestrorum hominum declaravit, varia hinc fertur opinio. Tamen suppliciter vestram poscimus paternitatem, ut, si consensus omnium in Lotharium pronior fuerit et apud eum, sicut optamus et credimus, divina vobis locum ad servorum Dei utilitatem concesserit clementia, memores nostri esse non dedignemini et perversorum improbitatem ne pigeat vos, quantum potestis, a nostra parvitate, opitulante Dei gratia, propulsare. 840—843

Optamus vos bene valere et laetioribus in dies augeri successibus.

27.

Lupus abbas (vel monachus) et W.[2] *monachus Ferrarienses Ionae Aurelianensi episcopo scribunt, se in opere eius nihil mutare ausos esse.* *841—843.*

Edd. Desd. 23.

REVERENTISSIMO[a] PRAESULI I[ONAE] L[UPUS] ET VV. IN DOMINO SALUTEM.

Librum vestrum[3], sicut rogastis, excurrimus, sed, ut parcissime dicamus, in eo mutare nihil[b] voluimus, ut operis vestri sitis ipsi correctores, cuius estis auctores. Siquidem expendenda nobis fuit teneritudinis et tenuitatis nostrae ratio et aetatis ac ordinis vestri habenda consideratio. Nec facilitatem ac delectationem quandam reprehendendi, quam in quibusdam notare solemus, debuimus imitari[c].

28.

Odo abbas Ferrariensis Ionae Aurelianensi episcopo de reditu copiarum ab expeditione Aquitanica ac de hac ipsa expeditione refert, iter Karoli regis per Aurelianos urbem ad Carisiacum se a Ludowico abbate cognovisse addit. *840 Aug. 11.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 480—481; Desd. 14.

REVERENTISSIMO[a] IONAE EPISCOPO O[DO] PERPETUAM SALUTEM.

Pridie, hoc est IIII Id. Augustas, post horam nonam homines nostri ab expeditione Aquitanica reversi cuncta prospera retulerunt. Namque Aquitaniae tutela tripertito divisa est secundum oportunitatem locorum militarium virorum multitudine distributa. Quarum uni parti, quae apud Clarum montem agit, praeest Modoinus Augustidunensium episcopus[4] et Autbertus Avallensium comes cum aliis quibusdam. Alteri, quae Lemovicis versatur, praesidet Gerardus princeps[5] quondam et carus Pipini regis cum sociis ad idem negotium idoneis. Tertiae vero praelatus est Reinoldus comes[6] Ecolesinae[7] constitutae. Dominum autem regem eodem die, hoc est IIII Iduum Augustarum, ad sanctum Martinum venire nuntiaverunt, inde vero eius transitum per

---

27. a) *Lemma:* Ad Ionam episcopum. b) nichil *P.* c) imi- *in ras.*

28. a) *Lemma:* Item ad eundem.

1) *post mortem Ludowici Pii imperatoris, quam obiit die 20. Iunii mens. a. 840., de Lothario et Karolo dubitabatur.* 2) *minime Wenilo Senonensis archiepiscopus, ut Desdevises (p. 88) falso opinatus est, cum nomen eius a Lupo semper Guenilo scribatur nec archiepiscopum post abbatem nominare licuerit, sed monachus quidam doctus.* 3) *de libro contra Claudium Taurinensem (cf. EE. V, 353) hic agi cum Baronio (Ann. 825 n. 75) crediderim.* 4) *a. 815—c. 840.* 5) *gener Pippini, regis Aquitaniae, Arvernensis comes, caesus in proelio Fontanetico, cf. Vita Hludowici c. 61 (SS. II, 645) v. Ann. Engolism. 835. 843 (SS. XVI, 485. 486); Chronic. Fontanell. 843 (SS. II, 302).* 6) *comes Arbatilicensis, dein Namnetensis, caesus a. 843. die 23. Iun. contra Britannos, Prudentii ann. Bertin. 843.* 7) *'Angoulême'.*

841—862 urbem Aurelianensium; quod putaverim verisimile, quoniam magnae indolis Ludoguicus, epistolare in palatio gerens officium[1], mandare mihi studuit, ut aut ad urbem Turonum aut certe Aurelianorum domino regi occurrerem, sic temperans hortamentum: si tamen per urbem Aurelianensium iter habuerit. Ceterum Gunboldus[2] et Ugo redeunt supplices ad regem et proprios honores recuperaturi creduntur. Ipse vero rex VIIII Kal. Septembres ad Carisiacum[3] vita comite venire disposuit.

29.

Lupus Ferrariensis abbas Gueniloni Senonensi archiepiscopo[4] Ardegarium et Baldricum presbyteros ad monachorum regulam transire volentes commendat, libertatem in monasterium ingrediendi presbyteris dandam tuitus. *841—862.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 493—494; Desd. 114.

cf. Matth. 24, 12. Dum[a] abundante iniquitate caritas iam refrixit multorum et plures laetari videmus, cum male fecerint, et in rebus pessimis exultare, quando peccatis nostris republica dissipata impune perversorum grassatur insania legumque metus aboletur[5], maximo debemus affici gaudio, si saltem aliquis inveniatur, qui, memor futurorum, seculi fugientis contemptum pia mente concipiat et operante Dei gratia perfectionis[b] apicem apprehendat. Quod mihi quia moliri visi sunt duo presbiteri nostri, quorum alter Ardegarius, alter Baldricus vocatur, unum eorum (nam alterum inevitabilis necessitas retinebat) vestrae reverentiae direxi, adiuncto militari viro qui eum in itinere tueretur[c], ut a presbitero utriusque desiderium agnosceretis, et nuntii nostri relatione testatior eorum vita prior et praesens devotio appareret. Vestra vero prudentia relinquendi suos eis titulos[6] [se][d] copiam negavit facturam, ut liberius et districtius institutionem beati Benedicti sequantur, nisi forte nostra parvitas auctoritatem vobis depromat absque vitio[7] posse fieri. Id tametsi numquam in controversiam vocatum vel audierim umquam vel magistra lectione compererim, tamen simpliciter quod sentio vestrae auctoritati aperiam. Dominus Iesus diviti legalium praeceptorum sibi observantiam arroganti et
Matth. 19, 21. audacius, quid sibi deesset, percontanti: 'Vade', inquit, 'et vende omnia quae habes', et cetera. Ubi aperuit voluntariam paupertatem fore fructuosam, si illud impleatur, quod
ib. 11, 29. alibi docet: 'Discite a me, quia mitis[e] sum et humilis corde', et reliqua, quod nusquam fieri aut tutius aut melius potest quam in monasterio; ubi sic libertas voluntatis propriae pro Dei amore, quod est laboriosissimum, resecatur, ut ex arbitrio prioris subiectorum actio cuncta formetur. Quamquam quidam nostrorum, exuberante Dei[f] gratia, ingenti vigore animi consortia humana vitaverint et praefata dominica sententia iam impleta, solitudines penetraverint et constanter in Dei opere paene totam aetatem consumpserint. Ab ea igitur perfectione, quam Deus etiam laicis proposuit, absit ut submoveat sacerdotes. Sed dicat aliquis: Quid plebes facient, quarum ab eis fuerat canonice cura suscepta? Nimirum qui hos ad implendum illud vocat, quod in psalmo

---

29. a) *Lemma:* Ad Guenilonem episcopum. b) perfectionem *sec. man. corr. in* perfectionis. c) tuerentur n *eraso.* d) *suppl. Tr.* e) m. s. et h. c. f) Deo *corr. in* Dei.

1) *qui paulo post abbas S. Dionysii constitutus est, cf. supra p. 30 ep. 22.* 2) *Guntboldum fortasse Lotharii asseclam dicit, de quo Nithardus L. II c. 6 agit.* 3) *Quierzy-sur-Oise (Dép. Aisne) cf. Nithardi Hist. l. II c. 2:* Karolus hoc iter accelerans ab Aquitania Carisiacum venit. 4) *Cf. Karoli libell. proclamat. c. 1 (Capitul. reg. Franc. II, 451):* In qua parte regni vacabat tunc *(a. 837. Nov. m.)* pastore metropolis Senonum, quam . . Weniloni tunc clerico meo in capella mea mihi servienti . . ad gubernandam commisi. *Per annum igitur post Aldrici mortem metropolis Senonum vacaverat.* 5) *Cf. Agobardi epistolam ad Matfredum comitem datam (EE. V, 202):* Quievit timor regum et legum in multis. 6) *id est ecclesias, ad quas ordinati erant. BAL.* 7) *id est secundum canones. BAL.*

canimus: 'Vacate et videte, quia[a] ego sum Deus', procurabit alios, quos animabus gubernandis praeficiat. At, inquit, quemammodum carnalem copulam non licet resolvere nisi causa fornicationis[1], ita susceptam semel pastoralem curam nefas est deponere, quamdiu ovium saluti consuli potest. Concedimus; nisi forte coniugium qui constituit ipse dissolvat et qui regimen imposuit ipse, ut sibi liberius vacetur, id relinquere occulta inspiratione praecipiat. Namque qui iussit, ut quod Deus coniunxit homo non separet, idem, quia Deus est, quotiens libuit coniugia separavit; adeo ut etiam probabiles utriusque sexus personas optime noverimus, rescisso carnali commercio, in sacris locis separatim Domino militasse. Iam vero de presbiteris quid dicam, cum nullum fere monachorum repperiatur monasterium, quo non aliqui eorum seculi tumultus declinantes concesserint? Quos si perperam fecisse conemur asserere, obruemur eorundem auctoritate, qui nos et sanctitate superant et sapientia forte praecedunt. Neque enim frustra scriptum est: 'Timor Domini ipsa est sapientia, et recedere[b] a malo intellegentia'.

841—862
Ps. 45, 11.
Matth. 19, 6.
Iob 28, 28.

Siquidem, ut de coniugiis taceam, quae ob Dei amorem separata sunt, quorum nobis magna suppetit copia, certe Ferrariensis monasterii, cui indignus deservio, quondam nobilis abbas et presbiter Sigulfus[2], qui usque ad senium canonico habitu laudabiliter vixerat, sponte se potestate exuit et nostram, hoc est monachicam, religionem assumpsit atque, donec diem obiret[c], suo passus est subici discipulo[3], quem ipsius voluntate ac fratrum consensu imperator Ludoguicus memorato loco abbatem praefecerat. Quin etiam, decessor vester beatae memoriae Aldricus, qui praefati Caesaris iussu et mirabili bonorum annisu nobis, cum esset abbas, ablatus et eclesiae Senonicae pontifex factus est[4], ad nos immutabiliter proposuerat regredi[d], episcopali cura omissa, quando hanc vitam, ut credimus, feliciore mutavit[5]. Quis hos viros canones ignorasse dicat, nisi prius ipse desipiat? Profecto primordia fidei christianae recolebant; quae beatus Lucas commendans ostendit tunc illis omnia fuisse communia, quando, postquam singuli agrorum et quarumlibet possessionum pretia apostolis, prout cuique opus erat, dividenda permiserant, ipsi Deo soli vacabant et erat eis cor unum et anima una in Domino. Nec ab hac sancta societate sacerdotes exclusos invenio, cum praefatus evangelista hinc etiam nos instruendos prospiciens, 'Multa', inquit, 'turba sacerdotum oboediebat[e] fidei'. Siquidem, tametsi quam longissime absumus a tam sanctorum virorum perfectione, tamen vestigia et quaedam, ut ita dixerim, liniamenta formae apostolicae retinemus, dum nemo nostrum aliquid sibi vindicat nec in seculares curas dissipare animum permittitur, et orationum et abstinentiae legitimam constitutionem persolvere regulari[f] rigore, cui nos sponte submisimus, coartamur. Nec mirandum, sed episcopaliter compatiendum vobis est, si multos monachorum experti sitis a sua professione detestabiliter deviare, cum et natura humana prona sit ad malum et hostis noster bono semini superseminare semper gestiat zizania. Ceterum, ut mea et multorum fert opinio, nullus intra sanctam eclesiam ordo est, ubi certius promereri Deum fidelis anima possit, quam si monasticae disciplinae studeat propositum integre observare. Verum, ne nos magnifacere videamur, beatus Gregorius, cuius tanta in eclesia resplendet auctoritas, patrem nostrum Benedictum[g] his verbis commendat[6]: Scripsit monachorum regulam discretione praecipuam, sermone luculentam. Sanctus autem

Act. 4, 35.
ib. 32.
Act. 6, 8.
cf. Matth. 13, 25.

---

a) q. e. s. Deus. b) recdere a m. i.t.l.g.tia. c) *iterum in marg. not. tir.* diem obiret. d) *ras. post* regredi. e) o. f. f) regularis s *eraso.* g) *in marg. not. tir.* sanctus Benedictus.

1) *Cf. Magingozi epistolam ad Lullum datam (EE. III, 420), quam Baluzius iam laudavit.* 2) *De quo Alcvini discipulo cf. EE. IV, 122.* 3) *Adalberto Mago, Alcvini discipulo cf. EE. IV, 418 n. 2.* 4) *Anno 829. Iun. 6, cf. epistolam eius ad Frotharium Tullensem episcopum datam EE. V, 287.* 5) *Anno 836, cf. Aldrici vitam c. 19 (Mabillon Acta SS. IV, 1, 573).* 6) *Dialog. II c. 36, Opp. II, 272.*

849 Benedictus sacerdotes suscipi in monasterium et posse et debere ostendit[1], cum quamquam non facilem, tamen eis permittit ingressum et retinendi officium ex abbatis iussione praebet auctoritatem, quod nullo modo faceret, si soli admittendi essent criminosi. Nam et eos quidem interdum, sed difficillime et vehementer compunctos
Matth. 18, 11. recipimus. 'Venit enim filius hominis quaerere et salvare quod perierat.' Cum igitur beatus Gregorius regulam patris nostri Benedicti approbat, eadem autem regula sacerdotes cum officio suscipiendos censet, nisi qui contentioso spiritu laborat, et susceptos iam inde ab initio[a] nostri ordinis et esse integrae vitae sacerdotes in monasterium minime dubitatur[b].

Quapropter vestra paternitas dignetur haec studiosius pertractare et presbiteris ad melius de bono tendentibus non cunctetur licentiae aditum reserare, ne forte, quod nullatenus optamus, videamini ordini nostro provisa caelitus incrementa derogare, quem summi et optimi pontifices[c] non solum non infamaverunt, verum etiam, ut par[d] fuit, suis et laudibus ornaverunt et exhortationibus cumularunt. Neque enim sacrorum canonum suscipienda censura, quantum dispicere valuimus, usquam nostram infirmat sententiam, quam et auctoritate divina et praeclaris exemplis roborandam curavimus. Illud potissimum a vestra eximietate optinuerimus, ne nostram admonitionem gravemini: quam non venditandae scientiae studio, sed implendae caritatis officio assumptam et rerum pondere et stili lenitate satis, ut opinor, apparet.

30.

Lupus Ferrariensis abbas Godescalco Orbacensi monacho ab eo rogatus locum Augustini de Deo post resurrectionem corporaliter videndo interpretatur; Graecorum vocabulorum rationem indagandam in aliud tempus differt[2]. *849.*

Edd. Desd. 73.

Ni[a] veritus fuissem, ut, me ab observatione caritatis aversum nullius flecti posse[b] precibus putando, eandem caritatem offenderes, etiam nunc silentii latebram fovens, nihil ad ea, quae consuluisti, respondissem, duabus videlicet ex causis: altera, ne otio tuo materiam exercendi ingenii vel imminuerem vel detraherem; altera, ut habita consideratione illorum, quos super eadem quaestione te sollicitasse olim cognovi, mediocritatem meam non praeiudicare quorundam excellentiae aestimatione propria comprobarem. Verum autem illorum colloquio et rescripto potitus [quia][c], quid ego hinc sentiam, desideras experiri: quoniam de isdem quaestionibus diversa sentire, quousque contra fidem non est, aut nulla aut parva culpa est, quid mihi sentire visus sit beatissimus ac doctissimus Augustinus in eo loco, quem enodandum proposuisti, non gravabor exponere.

Et illa quidem prior quaestio[3], quam, quia nullis divinarum scripturarum exemplis aut testimoniis aut aegre aut nequaquam definiri poterat, in medio reliquit, paenitus[d] omittatur: scilicet an in illo cunctis exoptabili fidelibus culmine resurrectionis oculi

---

a) iam inde ab initio *iterum in marg. not. tir.* b) dubitat *P, corr. Tr.* c) ti *superscr.* d) *iter. in marg. not. tir.*

30. a) *Lemma:* Ad Godescalcum monachum. b) posset *corr. in* posse. c) quia *suppl. Tr.* d) pen. *man. 2 corr. in* pęn.

1) *Cf. Reg. S. Bened. c. 60, p. 59 ed. Woefflin:* De sacerdotibus, qui voluerint in monasterio habitare. 2) *De tempore huius epistolae ac de controversia ipsa cf. Traubium Poet. Carol. III, 715 n. 1, ubi Hincmari locus laudatur ad simplices (Zs. für Kirchengesch. X, 263):* Pervenit etiam ad exiguitatem nostram, quia idem frater — et complices sui — de videndo Deum multa et subtilia quasi rimans perscrutaretur et aliter, quam debuerit, docere praesumpserit, magis curans, qualiter debuisset Deum videre, quam ut mereretur illum videre. 3) *August. de civit. Dei l. XXII c. 29 § 6.*

carnis aliquid sint mentis simile habituri. Siquidem futuras earum rerum imagines aliqua 849
nos mentis acrimonia posse apprehendere, quae illius tanti auctoris ingenium sint transgressae, si vel opinari possemus, esset id extremae dementiae. Nec tamen felicitati nostrae in illa resurrectione aliquid derogabitur, si divinitatis excellentia carnalibus oculis conspicua non fuerit; quando nullum hoc tempore dispendium intellegentiae nos pati sentimus, si rationem, quam mentis acumine contuemur, manu, propterea quod est incorporea, palpare non possumus. Nec indignum aliquid nostra patietur natura, si spiritus longe sublimiori donetur excellentia: qui iam inde ab initio[a] nostrae nativitatis tantum excelluit, ut et in eo, etsi aliquamdiu decolor propter peccatum, semper tamen Dei perseveraverit imago et ab eo in unam eandemque personam redacta gubernata sit caro.

Alteram vero quaestionem, quibus verbis idem praecellentissimus auctor moderatus sit[b], vigilanter considerantes, eorum mentem dispiciamus. 'Aut quod est, inquit[1], ad intellegendum facilius, ita nobis erit Deus notus atque conspicuus, ut videatur spiritu[c] in singulis nobis, videatur ab altero[d], videatur in seipso, videatur in caelo novo et terra nova atque in omni quae tunc fuerit creatura[e].' Hactenus quid haec verba obscuritatis pariant, non video. Quippe clarissimus auctor, quia divinae auctoritatis observantissimus, quemammodum sit futurus Deus omnia in omnibus copiosius explicat; scilicet, quod electis divina gratia ad angelicam provectis aequalitatem, remoto pristinae ignorantiae nubilo, semetipsum plene manifestet ac sua ineffabili visione in perpetuum beatificet tantaque suae praesentiae laetificet evidentia, ut uniuscuiusque spiritus dubitare non possit[f], quin nobis et reliquis sanctis omnibus insit Deus atque cuilibet alii[g] creaturae; ita ut rationabilem tantummodo sui notitia glorificet, inrationabilem vero, hoc est terram et caelum, praesens ubique totus gubernando contineat. Ac per hoc rationabili aderit per notitiam et praesentiam, inrationabili per solam praesentiam: quae tamen longe praestantius quam nunc ad electorum notionem deducta, ut augmentum scientiae, ita etiam incrementum felicitatis factura est. Nam et nunc praesentia sua regit caelum et terram, cuius veridica vox est: 'Caelum et terram ego impleo'. Sed Ier. 23, 24.
ad comprehendendum, quemammodum[h] totus in caelo, totus in terra sit, acies mentis nostrae caligat, 'quamdiu corpus, quod corrumpitur, adgravat animam', ne naturae suae Sap. 9, 15.
vim libere queat exerere. Quod cum totius corruptionis non molestia modo, verum etiam suspicione fuerit liberatum, glorificata dumtaxat, non mutata natura (neque enim hinc nos errare permisit, qui ait: 'Palpate et videte, quia[i] spiritus carnem et ossa non Luc. 24, 39.
habet, sicut me videtis habere'), tantamque cum spiritu, cui nunc repugnat, habuerit concordiam, ut cum eo deinceps nec velit peccare nec possit, idem spiritus Deo suo tunc vere inhaerendo, unum cum eo effectus, intueri merebitur habitatorem sui similiumque creaturarum, ceterarum vero rectorem. Haec est visio, in qua sanctis constabit et secura felicitas et felix securitas, cui videndae[k] oculos non corporis, sed cordis, hoc est mentis, mundari veritas praecipit: 'Beati', inquit, 'mundo corde[l], quoniam ipsi Matth. 5, 8.
Deum videbunt'. Huiusmodi vero mundationem fides hic inchoat, illic caritas consummat. Nam quousque affectus noster dicere Deo possit: 'Quid[m] mihi est in caelo, Ps. 72, 25.
et a te quid volui super terram?' hoc est, quamdiu in caelestis alicuius creaturae potentia vel excellentiae mundanae illecebra, et non in Deo, a quo sumus conditi, spem nostrae beatitudinis reponimus, crassum glaucoma nostris obductum oculis patimur. At cum salubriter ea sordere coeperint, quae prius animum nostrum perniciose[n] aut eludebant opinionum falsitate aut oblectabant fallaci suavitate, paulatim Dei clementia

---

a) iam inde ab initio *iterum in marg. not. tir.* b) *post* sit i *erasum.* c) a singulis nobis *om. P.* d) in altero *om. P.* e) creatura c *eraso.* f) *ras. ante* quin. g) ali *corr. in* alii. h) quemammodo *corr. in* -dum *P.* i) q. s. c. et o. n. h. s. m. u. đ. tantamque. k) vivendę *P,* videndae *Bal.* l) *superscr. not. tiron.* m) Nota exemplum cum expositione *in marg. not. tir.* n) perneciose *P.*

1) *Augustin. de civit. Dei l. XXII c. 29 § 6, Opp. VII, 699.*

849 fatiscente caligine, noster visus recuperatur ac divinorum praeceptorum in dies exacuitur collirio, donec deposita mortalitatis sarcina, ad videndum eum, in quem tota fuerat translata intentio, perducatur.

Praemonstratis verbis, super quorum sententia, non ut voluimus, sed ut valuimus (res enim quam significant incomprehensibilis est), diutule locuti sumus, idem mirabilis auctor subiecit[1]: 'Et per corpora in omni corpore, quocumque fuerint spiritalis corporis oculi acie perveniente directi.' Hic vel parum seculari litteratura imbutus nemo dubitat a communi subaudiendum: 'et ut videatur spiritu per corpora in omni corpore'. Opinionem enim illam, ut videri possit Deus carnalibus oculis, nisi aliquid mentis optinuerint, ipse manifestissime removit. Quid vero in eo voluerit intelligi, quod ait, per corpora in omni corpore, scrupulosius quaeri posset, nisi eandem rem, adhibita quadam similitudine, praestruxisset. Denique praemisit[2]: 'Vitam[a] quidem suam' (haud dubium[b] quin 'spiritus'), 'qua nunc vivit in corpore et haec terrena membra vegetat facitque viventia, interiori sensu quisque, non per corporeos oculos novit. Aliorum vero vitas, cum sint invisibiles, per corpus videt. Nam unde viventia discernimus a non viventibus corpora, nisi corpora simul vitasque videamus, quas nisi per corpus videre non possumus?' Siquidem hac eius tam luculenta sententia colligitur, quod per corpora, hoc est, per corporis oculos, in omni corpore, quod idem conspexerint oculi, videndus sit Deus, non in sua substantia, quod privilegium spiritui reservatur, sed in evidentissima gubernationis[c] praesentia. Sic enim, cum per sensus corporeos vitas aliorum in corpore intuemur, non vitas invisibiles aspicimus, sed eas tamen inesse vivificationis potentia dubitare non possumus. Nec sustinebunt[d] quicquam contumeliae oculi, si, spiritu Deum ubique praesentem comprehendente, illi eum tantummodo in corporibus, quo direxerint aciem, quemadmodum superius ostendi, poterunt intueri; sicut neque nunc patiuntur aliquid ignominiae, cum sensu aurium dulcissimum quemlibet sonum capiente ipsi intra metas proprii muneris cohibentur. Hic a me monstratus intellectus capituli omnibus te quas proposuisti quaestionum[e] angustiis liberabit; inter quae etiam oculis nihil simile mentis habentibus in quovis corpore, nec proprie, nec figurate, Deum fore conspicuum declarabit. Namque proprietatem[f] eius cognitione spiritus sibi dignitas vindicabit. Quod autem tam evidenter creaturas suas divina reget maiestas, ut ne oculos quidem corporeos latere possit, nihil praeterquam quod geritur significare omnis, qui sobrie sapit, facile advertit. Ad hunc enim exitum circumstantia, sine superstitionis pervicacia considerata, cautum instructumque lectorem perducunt. Quod adeo mihi constat, ut etiam beatissimum Augustinum, si revivisceret, aliter quemquam sensisse credam non mediocriter miraturum.

Proinde semper solvendo et numquam persolvendo caritatis debito te, suspiciende frater, exhortor, ut nequaquam ultra in talibus tuum ingenium conteras: ne his ultra, quam oportet, occupatus ad utiliora vestiganda sive docenda minus sufficias. Quid enim tantopere quaeramus quod nobis nosse necdum forsitan expedit? Certe divinitus
Isai. 64, 4. illustrata mens Deo loquitur: 'Oculus non videt, Deus, absque te, quae praeparasti, expectantibus te'. Et nos illius ineffabilis visionis plenissimam rationem complecti animo concretis vitiorum sordibus adhuc gravato desideramus? In amplissimo scripturarum sanctarum campo interim spatiemur earumque meditationi nos penitus totos-
Ps. 33, 11. que dedamus, faciemque Domini humiliter, pie ac semper quaeramus, 'quoniam inquirentes Dominum non deficient omni bono'. Eius erit clementiae, ut dum considerata
cf. Eccli. 3, 22. nostra condicione 'altiora nobis non quaerimus, nec fortiora scrutamur', nos ad sub-

---

a) Nota expositionem sententiae Augustini *in marg. not. tir.* b) dubio *corr. in* dubium. c) *ras. post* gubern. d) susten. *corr. in* sustin. e) questnum. f) proprietas.

1) *Augustin. de civit. Dei l. XXII c. 29 § 6, Opp. VII, 699.* 2) *Ibidem § 5 col. 699.*

limiora et robustiora sustollere, purgatisque nostrae mentis obtutibus, quibus videri se posse revelavit, semetipsum dignetur ostendere. Ceterum daturus necne sit oculis post resurrectionem aliquid simile mentis[1], eius arbitrio relinquamus, cuius iudicio et haec et alia innumera impune, quoad mortaliter vivitur, ignoramus. 845

Quaternionem quem repetisti, nescio quis mihi sublegerat. Verborum vero, quorum flagitasti rationem, quia nec plenaria statim omnium occurrit et eam indagare maximae[a] causarum moles, quibus assidue obruor, inhibuerunt, in aliud tempus distuli, quamquam non sim nescius Graecorum sermonum proprietates a Graecis potius expectandas. Sane, si quando scribendum parvitati meae decreveris, obsecro superfluis aut falsis laudibus non oneres, sed magis Domino supplices, ut me semper suae laudis avidum faciat, meae vero laudis fructum in illud tempus differat, quo laus erit unicuique[b] ab eo.

31.

Lupus Ferrariensis abbas Gueniloni archiepiscopo Senonensi Karolum regem non ad Sanctum Martinum, ut sibi proposuerat, sed in Britanniam profectum esse nuntiat; de victoria a Nortmannis in Aquitania reportata refert. *845.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 494; Desd. 42.

SUMMA[a] VENERATIONE COLENDO INSIGNI PRAESULI GUENILONI L[UPUS] PLURIMAM SALUTEM.

Cum ad regem proficiscerer[b] et praemisissem sciscitari, quid me facere vellet, ipse vero praecepisset, ut festivitate beati Martini ad monasterium eiusdem praeclari confessoris ei occurrerem, eum vero utilitas publica alio traxisset, missis iterum nuntiis per amicos optinui cum gratia licentiam revertendi. Cur autem, sicut constituerat dominus noster rex, ad sanctum Martinum non accesserit, haec, ut nuntii nostri retulerunt, causa fuit, quod Britanni[c], sibi praeter solitum dissidentes, regem nostrum Britanniam[d] versus evocaverunt[2], ut pars, quae contra Nomenoium sentiebat, ad eum tuto deficeret. Nov. 11.

De Pippino[3], unde vestra quaesivit paternitas, nihil certi in palatio dicebatur. Leviter tantum fama iactabat eos, qui nuper ab eo descivissent, in concordiam redituros. Quidam vero de Aquitania venientes Nortmannos[e] inter[f] Burdegalam et Sanctones eruptionem his diebus fecisse retulerunt et nostros[g], id est christianos, pedestri cum eis proelio congressos et miserabiliter, nisi quos fuga eripere potuit, peremptos[h]. In quo bello comprehensum ducem Vasconum Siguinum et peremptum[h] etiam iurando testati sunt[4]. Quae res, quam vera sit dominica sententia: 'Omne regnum in seipsum divisum desolabitur', indicat et, discordiam amplectentibus qui fructus maneat, manifestat. Luc. 11, 17.

Bene vos valere cupimus.

32.

Lupus Ferrariensis abbas Ludowicum abbatem S. Dionysii e clade Britannica salvum evasisse gratulatur, de inopia monasterii sui ac totius ecclesiae questus ad comitatum regis ire penuriae causa recusat. *845 ex.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 490. 491; Desd. 43.

---

a) *ras. post* maxime. b) *ras. post* unicuique, *iter. in marg. not. tir.*

31. a) *Lemma:* Ad Guenilonem m. e. b) cis *superscr. man. 2.* c) Brittanni *man. 2. in* Britanni *corr.* d) Brittanniam *man. 2 corr. in* Britann. e) Nordmannos *corr. man. 2 in* Nortm. f) ter *superscr. man. 2.* g) nostras *corr. in* nostros. h) *alterum* p *addidit man. 2.*

1) *Ex Augustino l. l. § 6, cf. supra p. 37 v. 1.* 2) *V. Dümmler, Gesch. des Ostfränk. Reiches II, 289.* 3) *filio Pippini I regis, Karoli tunc adversario, cf. Prudentii ann. Bertin. a. 845. p. 32 ed. Waitz.* 4) *Ann. Engolism. 845. (SS. XVI, 486):* Sigoinus comis a Normannis capitur et occiditur, *cf. Chron. Aquitan. (SS. II, 253), Ann. Francor. a. 816. p. 144 ed. Kurze.*

845 ex. DESIDERANTISSIMO[a] SUO HLUDOGUICO, ABBATUM SUMMO, LUPUS PRAESENTEM ET FUTURAM SALUTEM.

Dici non potest quanto[b] nuper dolore adfectus sim, cum in hac reipublicae calamitate[1] feliciter fallax fama disperserat, vos quoque inter alios cecidisse. Hunc merorem nullus umquam dies, ut vere fatear, nisi cum ultimo mihi[c] spiritu abstulisset. At veritate comperta, ut par[d] fuit, inexplicabili gaudio exultavi, quod is viveret, cum quo, si possem et esset necesse, iuxta illud Horatianum[2]

Meos dividerem libenter annos.

Inmensas itaque gratias omnipotenti Deo, omnium karissime, refero, quod te mihi[c] servavit; quo servato ipse quoque servatus sum. Praeterea domini nostri regis ad-
Luc. 21, 2. versitati condolens et ereptioni supra modum congaudens, instar illius evangelicae viduae, quae duo minuta in gazophilacium[e] misit, quicquid muneris consequi potui per vos offerendum direxi: quod gratum ei, sicut mihi[c] expedire videtis, quaeso dignamini facere. Ideo autem dixi illi me totum, quod invenire valuissem, fideliter misisse, quod propter eius frequens servitium, quod prius a praecessoribus meis non exigebatur, et propter cellae nostrae subtractionem et frumenti ante[f] inauditam penuriam[3] omnia iam exhausta sunt, ita ut empticio frumento fratres iam mense integro sustententur, eodem tanta prolixitate usque ad novas fruges victuri; nec suffecerunt quae ad communes[g] usus parata fuerant, sed urgente inevitabili necessitate, paucissima[h] vasa et cetera ornamenta ecclesiae nostrae, dolentibus omnibus, distrahuntur. Quae res quo redundet et[i] quantum publicam prosperitatem impedire possit, nec ammonita vestra videt prudentia. Proinde vestram supplex imploro pietatem[k], ut regi meas et fratrum necessitates, immo iam veras miserias aperiatis, suggerentes, ut, quod suo maximo periculo in beatum Petrum[l] et nos fecit, voti memor, quo se hoc anno obligavit[3], tandem aliquando inmutare dignetur, ut et principem apostolorum in suis rebus dubiis adiutorem et nos omnes ex corde possit habere intercessores. Neque enim contemp-
Iac. 5, 16. nere debet orationes servorum Dei, cum de uno quolibet iusto dicatur: 'Multum valet
Ps. 144, 19. deprecatio iusti assidua'; et de pluribus Dei cultoribus sacer insonet psalmus[m]: 'Voluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet'. Nec de nostri instauratione coenobii tantum, verum etiam de totius ecclęsiae statu sollicite vobis admonendum est, ne forte, quod absit, quam[n] integram accepit, scissam nobis flentibus, hostibus autem eius tam occultis quam manifestis irridentibus, relinquere[o] compellatur. Utinam
Isai. 28, 19. ei non contingat, quod Deus suis contemptoribus comminatur: 'Sola vexatio intellectum
Hebr. 10, 31. dabit auditui'. Nec experiatur quod ait apostolus: 'Horrendum est incidere in manus Dei viventis'[5].

844 In expeditione Aquitanica olim, ut nostis, omnia perdidi. Superiore anno[6] missus in Burgundiam decem equos amisi. Nunc nos, quam significavi, premit inopia.

---

32. a) *Lemma:* Ad Hludogvicum. b) quando *rad. corr. man. 2 in* quanto. c) michi *P.* d) *iter. in marg. not. tir.* e) gazophilat. *sec. man. corr.* gazophilac. f) t *in* ante *man. 2 in ras. corr.* g) s *addid. man. 2.* h) *alterum* s *addid. man. 2.* i) et quantum — videt *adscripsit man. 2 in marg. inter* redundet *et* prudentia. k) piaetatem a *eraso.* l) beato Petro *corr. man. 2 in* beatum Petrum. m) psalmis *man. sec. corr. in* psalmus. n) quā, q *corr. ex* q̄ *rad.* o) relinquerae.

1) *Cladem dicit die 22. Novembris mens. a. 845. a Karolo Calvo apud Ballon acceptam (De die cf. Chron. Fontanell. 846, SS. II, 302).* 2) *immo, ut Traube me docuit, ex Anthologia lat. ed.*[2] *Riese Nr. 445 v. 3, ubi* Nostros *scribitur.* 3) *Cf. Prudentii ann. Bertin. 845:* Fames valida Galliae inferiora consumit, adeo ut multa hominum milia eadem invalescente absumpta sint. 4) *Cf. infra ep. 42 ad Hincmarum datam:* votum, quo, vobis credo suggerentibus, in ecclesia beati Dionysii se obligavit *(sc. Karolus), cf. Dümmler, Gesch. des Ostfränk. Reiches I, 282.* 5) *Hunc locum laudat Lupus etiam in ep. 45.* 6) *i. e. anno 844., cf. infra ep. 63 de eadem legatione Lupi.*

Cupio etiam, si Deo placet, quod didici et semper disco docere. Quas res praeter ultimam (ea enim velut reipublicae inutilis iudicaretur, quae meo iudicio ceterarum est gravissima), si me evocare voluerit ad comitatum, regi, quaeso, suggerite, quoniam nisi spoliem[a] aliquod altare aut fratres importabili affligam inedia[b], non habeo[c], unde octo dies in eius possim versari servitio, donec novae fruges optatam referant facultatem. Nisi autem absque periculo possitis[d], militarium hominum nostrorum nolo vos otium deprecari, quamquam[e] et illis quam sit necessarium ultro cognoscitis. Congratulationis chartulam, si utilem futuram ex morum eius qualitate deprehenderitis, hoc est, ut ea ad bene agendum aliquo modo incitetur, ei ex parvitatis meae nomine tradendam curate[1]. Sin autem, quid animo contineam, vos nosse suffecerit. 845 ex.

De annuis donis[2], quae adhuc penes me habeo, quid mihi[f] agendum sit, per meum nuntium remandate. Munusculi similitudinem, quam nimia verecundia, quod aliud non habui, celsitudini[g] vestrae direxi, memores primae amicitiae nostrae, quaeso, ne dignemini aspernari. Exiguitatis meae benigne memores bene vos valere cupio et ad bonorum emolumentum prosperis semper augeri successibus.

33.

Lupus Ferrariensis abbas Karolo regi, quod e clade sospes evaserit, gratulatur, adhortationes addit. *845 ex.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 491; Desd. 44.

[a]Praecellentissime[b] domine et, si dicere audeam, amantissime, audita nuper status vestri adversitate[3], ineffabili dolore distabui. Namque mecum reputabam vestrae nobilitatis indolem, quam cupio aetatis maturitate[4] ac sapientiae gravitate consummari, nimis immature[c] nobis ablatam. Id quia inrecuperabile videbatur, quoniam id constanter fallax fama iactaret[5], totum me cum fratribus, qui mecum Deo servire satagunt, ad impetrandam salutem animae vestrae contuleram, cui vehementer timebam quorundam non satis Deum timentium persuasiones obesse. Verum quoniam sospitate vestra donati sumus, incredibili gaudio repleti, sincera fide maiestatem vestrae celsitudinis admonemus, ut omnipotenti Deo nobiscum maximas gratias habeatis et referatis, qui vobis[d], quantum se amare debeatis, ostendit, cum, ut pace cunctorum dixerim, humano cessante auxilio, ipse vos potenter et pie servavit, et, quantum de eo praesumere debeatis, manifestare dignatus est. Nolite[e] igitur casu contrario nimium contristari, sed potius credite veridicis verbis eius: 'Sine me nihil[f] potestis[g] facere'. Et: Ioh. 15, 5.
'Non est volentis neque currentis, sed[h] miserentis Dei'. Et: 'Omnia quaecumque voluit Rom. 9, 16. Ps. 134, 6.
Dominus fecit[i] in caelo et in terra'. Et: 'Omnis voluntas mea fiet'. Et: 'Non salvatur Isai. 46, 11. Ps. 32, 16.
rex per multam virtutem'. Et: 'Non est Domino salvare difficile in multitudine vel 1. Reg. 14, 6.
in paucis'. Et: 'Qui glorificat me, glorificabo eum[6]; qui autem contempnunt me, ib. 2, 30.
erunt[k] ignobiles'. Et spreto carnalium consilio, de quibus dicitur: 'Dominus dissipat Ps. 32, 10. 11.

---

a) spoliaem a *eraso.* b) inaedia *corr. sec. man. in* inedia. c) abeo h *add. sec. man.* d) positis s *addid. sec. man.* e) quanquam *P.* f) michi *P passim.* g) celsitudine *corr. in* -ni.

33. a) *Lemma:* Exortatio ad domnum regem. b) si *superscr. sec. man.* c) immaturae a *eraso.* d) vobis *corr. in* nobis. e) *in marg. not. tir.* optimae adhortationes. f) nichil *P passim.* g) p. f. h) s. m. i) f. i. c. et i. t. k) e. i.

1) *id est exhortationem ad regem Karolum, quae in epistola sequenti exstat. BAL.* 2) *Cf. Waitz, Verfassungsgesch. IV, 107.* 3) *clade Britannica cf. epistolam superiorem.* 4) *Karolus a. 823. natus fuit.* 5) *Cf. supra p. 40:* fallax fama disperserat, *infra ep. 111:* fallax fama vulgaverit. 6) *Hunc locum laudat etiam in epp. 53. 64. 97.*

837 consilia gentium, reprobat[a] autem cogitationes populorum et reprobat consilia principum; consilium autem Domini in aeternum manet', adquiescite consilio, quod per
Ps. 54, 23. prophetam ipse dignatur dare mortalibus: 'Iacta cogitatum tuum in Deum, et ipse te
jb. 31, 10. 1. Reg. 15, 17. nutriet'[1]. Et: 'Sperantes in Domino misericordia[b] circumdabit'[2]. Et: 'Cum esses
Ps. 49, 14. 15. parvulus[c] in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es'. Et: 'Immola Deo sacrificium laudis[d], et redde altissimo vota tua. Et invoca me in die[e] tribulationis et eruam te, et honorificabis me'. Praeterea mementote, quod Salomon ad regendum po-
3. Reg. 3, 11. pulum Israel, cui diu in maxima pace praesedit, sapientiam potissimum postulavit. Nec spernatis etiam eorum hortamenta[f], qui Deum ignorantes utilia non tam sibi quam nobis viderunt; in quibus invenitur[3], quod ante quam aliquid incipiamus, prudenter, quid agendum sit, debeamus inquirere et, cum invenerimus, matura festinatione perficere, et quod diu apparandum sit bellum[4], ut celeriter[g] vincatur[5].

Haec breviter celsitudini vestrae suggessi, ut divina et humana auctoritate, quid vobis agendum sit, indubitanter possetis cognoscere. Det autem ipse Deus[h], ut spiritaliter quantum cupio valeatis.

34.

Lupus monachus de studiorum contemptione questus Altwino monacho quaestiones quasdam grammaticas solvit, de episcopo quodam ac de Probo breviter agit. 837.

Edd. Desd. 10.

VENERABILI[a] FRATRI ALTWINO LUPUS PERPETUAM SALUTEM.

Si tanta facilitate discuti possent a quoquam quanta[b] moventur quaestiones, olim ad consummatam studiosi quique sapientiam evasissent. Nunc litterarum studiis paene obsoletis[6], quotus quisque[c] inveniri possit, qui de magistrorum imperitia, librorum penuria, otii denique inopia merito non queratur? Quo minus indignari mihi debes, si perexiguum otii[d], quod mihi vix optingit, indagandis, quae nesciam, quam ventilandis, quae iam consecutus[e] sum, iudicem expendendum. Nec, ut opinor, erro, si quibus divino favore viam intellegentiae vel aperui vel planiorem feci, quam [qua][f] praecesserim sequendi necessitatem indicam: hoc est, lectione magistra vel utens vel usus, si auditoribus meis aut praesentibus id ipsum sermone aut absentibus obstinato imponam silentio.

Optinuit tamen tua instantia[g], ut quaedam ex his, quae studiose quaesisti, enuclearem. 'Locuples' penultimam genetivi[h] producere sic apud Priscianum probatur in libro V, cum de nominibus in es productam desinentibus disputaret. 'Appellativa vero, inquit[7] si sint ad homines pertinentia, quae apud Graecos communia vel mobilia, apud nos communia sunt, ut heres[i], locuples.' Idem in septimo, paenultima tertiae declinationis quando produci debeat vel corripi mira diligentia ostendens, 'Producitur, inquit[k 8], in his, quorum nominativus in longam desinit seu natura seu positione, ut sol, solis, infans, infantis. Excipiuntur

---

a) r. a. c. p. et r. c. p. b) m. c. c) parvulos *corr. in* parvulus. d) l. et r. a. vt. e) d. t. et e. t. et h. m. f) hornamenta *corr. m. 2* hortam. g) celariter *corr. in* celer. h) Dei *corr. in* Deus.

34. a) *Lemma:* Ad Altwinum monachum. b) quarta *man. 2 corr. in* quanta. c) quoque *m. 2 corr. in* quisque. d) otii *adscr. m. 2.* e) consecuto *corr. in* -tus. f) qua *add. Tr.* g) tua inst. *superscr. m. 2 supra ras.* h) *corr. ex* genit. i) s *addid. m. 2.* k) inquid *corr. in* -quit *m. 2.*

1) *Cf. epist. 35; De trib. quaestion. ed. Baluze p. 224.* 2) *Cf. ep. 87.* 3) *Cf. infra ep. 93 ad eundem datam:* Magnum aliquid facturi, quaeso, recolite memoria illud quod prudentissime dictum est *(Cat. 1, 6* nam et priusquam inc.*):* Antequam incipias, consulto et ubi consulueris, mature facto opus est. 4) *Publil. Syr. D 3 ed. W. Meyer p. 26:* Diu adparandum est bellum, ut vincas celerius *(Tr.).* 5) *Cf. Prudentii ann. 845:* Karolus Brittaniam Galliae cum paucis minus caute adgressus. 6) *Cf. supra p. 7* collapsa priorum studia. 7) *L. V, 5, 27, ed. Hertz I, 159.* 8) *Ibid. VII, 9, 46—47, ed. Hertz p. 325.*

in on desinentia Graeca[a], et in o tam Latina quam notha, quae aliquando corripiunt, ali- 837
quando producunt paenultimam genetivi. Praeterea in ms vel bs vel ps vel x desinentia, quae paenultimam genitivi semper corripiunt. Item par, lar, vas, pes, Ceres, compos, bos, sus, grus: quae producentia nominativos, corripiunt[b] paenultimam genitivi.' Cum igitur producta nominativo vel natura vel positione paenultimas genetivorum consequenter producant (his exceptis nominibus, quae longa observantia deprehensa notavit), quoniam, ipso teste, 'locuples' in 'es' productam finitur, eodem auctore genetivo[c] longa paenultima proferetur. Quod possem etiam poetico testimonio confirmare, nisi apud contentiosos quoque tanti viri tantum posset auctoritas. 'Locupleto[d]' autem, quod paenultima producta nequaquam dubito proferendum (sicut quoniam 'robur, roboris' corripitur, 'roboro[e]' eadem paenultima correpta pronuntiatur[f]), activum esse in Cicerone possumus confirmare[g]; qua significatione etiam in psalmo positum canimus: 'Multiplicasti locupletare eam'. Ps. 64, 10.

Apud memoratum auctorem Priscianum[1] in iam dicto libro VII, quid sentire de pronuntiatione 'mulieris[h]' debeamus, deprehendi potest. In eo enim in 'er' correptam masculina, feminina[i], neutra et communia inveniri dicit[k], in er autem productam[l] Graeca masculina et unum Latinum vel magis nothum [neutri generis], atque in sequentibus: 'Corripientia, inquit[2], nominativum in quibusdam corripiunt paenultimam genitivi, in quibusdam producunt. Producunt in al et in el neutra et in ar neutra dirivativa. In or quoque desinentia alia[m] producunt paenultimam genitivi, ut cursor, cursoris; alia corripiunt, ut Haector Haectoris; alia vero omnia, quae nominativi terminationem corripiunt, similiter paenultimam genetivi corripiunt. Excipitur inquies[n], quod simplicis declinationem servavit in composito, quamvis corripiat extremitatem nominativi.' Ergo si 'mulier[o]' desinit in 'er' correptam, unde nulla dubitatio est, nec inter excepta ab eo est positum, secundum eum correpta[p] paenultima genetivus eius efferetur. Ad hanc rem roborandam nullum adhuc poeticum habeo testimonium[3]. Et quoniam, ut ipse ait[4], 'nihil ex omni parte perfectum in humanis est inventionibus', ab eo forsitan est non ignorantia, sed oblivione praetermissum. Quare in usu mutando[q] auctoritatis meae periculum nolo facere[r], donec aut mea aut amicorum diligentia aliquid hinc, si non solidius, at evidentius valeat inveniri.

'Ulciscor' et 'vindico' cur dixerit idem auctor insignis[5] in utraque significatione accipiendum, ipse explanat[s], subinferens tam pro laeso quam contra laedentem accipiendum: unde et vindicta non solum poena, sed etiam liberatio accipiatur. Quamvis et ex Virgilianis versibus[t] sensus eius in promptu[u] sit recte considerantibus. In eo enim, quo posuit[6]

Ulta virum poenas[v] inimico a fratre recepi[w],

'Ulta' pro laeso facit. Laesus enim[x] Sicharbas, sive, ut poetica licentia[7] ponit Virgilius, Sichaeus a Pygmalione fratre Didonis erat, a quo fuerat morte multatus. Maritum autem postea Dido ulta est; non ei, utpote qui erat extinctus, poenam aliquam inferendo, sed Pygmalionem[y], propter quam scelus commiserat, pecunia privando. Itaque

---

a) *in marg. not. tir.* in on Graeca et in o Latina et notha. b) corripiant *corr. m. 2 in* -unt. c) genetivo *corr. m. 2 in* genit. d) *in marg. not. tir.* locupleto activum. e) roporo *m. 2 corr. in* rob. f) pronunt. *m. 2 corr. in* pronunc. g) confirmare *m. 2 corr. in* -ri. h) *in marg. not. tir.* pronuntiatio mulieris. i) ni *superscr. m. 2.* k) In er autem — inveniri dicit *bis scripta postea deleta sunt.* l) producta *P, corr. Tr.* m) ali a *add. m. 2.* n) *in marg. not. tir.* inquies in nominativo. o) *in marg. not. tir.* mulieris secundum regulam. p) correptam *corr. in* correpta. q) mutandum *corr. in* mutando. r) *in marg. not. tir.* honeste. s) explanat — accipiendum *m. 2 in marg. suppleta sunt.* t) usibus *m. rec. corr. in* versibus. u) *alterum* p *addid. 2 man.* v) penas o *add. 2 man.* w) recipi *sec. m. corr. in* recepi. x) *in marg. not. tir.* expositio. y) pigmal. *P.*

1) *L. VII, 7, 32 p. 313.* 2) *L. VII, 9, 47—48 p. 326.* 3) *Cf. Poet. Car. III, 288 v. 242.* 4) *Prisc. L. I praef. I p. 3, cf. Lup. de trib. quaestionib. p. 235 ed. Baluze:* Tenebat enim, quod etiam in suo mirabili de grammatica opere Priscianus intellegit, nihil perfectum ex omni parte in humanis locutionibus inveniri posse. 5) *L. XVIII, 30, 292 t. II, 365 ed. Hertz.* 6) *Aen. IV, 656 (ap. Priscian.).* 7) *Serv. ad. Aen. I, 343 t. I, 121 ed. Thilo, cf. Lupi prolog. SS. XV, 38 v. 15.*

837—841 supplicium de eo, qui laeserat, pro eo, qui laesus erat, sumpsit. Ita pro laeso idem verbum accipitur; quo sensu acciperetur etiam, si, metro permittente, dicere potuisset, 'vindicans[a] virum'. Sequens exemplum, quod est[1]:

Nunquam omnes hodie moriemur inulti,

contra laedentem accipitur. Cum enim[b] Aeneas socios ad repugnandum Graecis, qui in suam potestatem urbem redegerant, animaret, usus est eo verbo, ut fingit Virgilius, quo significavit vindictam et ultionem suorum gentilium, qui iam occidissent, et sui, antequam occidisset[c], viriliter a laedentibus exigendam[d].

Illud, quod sequitur, tangere nolui, donec in Livio vigilantius indagarem.

'Propitius' et per sibilum pronuntiari etiam a[e] parum doctis semper audivi et in antiquissimis exemplaribus nunquam nisi per t scriptum inveni. 'Stupeo' an convertat in praeterito u praesentis in i, apud Priscianum non discernitur; in veteribus tamen codicibus indifferenter expressum invenies.

Patronum[2] nostrum episcopum incolumen esse vehementer exulto. Probum[2] autem non tam aliquid edidisse admiror, quam non omnibus iam scribendi materiam abstulisse.

Bene vale et pro me patreque meo et matre et per te et per ceteros amicos Dominum exorare, si me amas, quaeso, ne cesses.

35.

Lupus monachus Ebrardo[3] monacho propinquo rogatu eius epistolam de laude sapientiae mittit. *837—841.*

Edd. Desd. 11.

Assiduis[a] urges, mi carissime, petitionibus, ut antiquitatem nostrae propinquitatis et amicitiae singularis litteris prosequens scribam aliquod, quod esse tibi possit, si non usui, saltem delectationi. Hoc forsitan digne fecissem, si, cum opus postulas, materiam praebuisses. Verum, quia gratum tibi fore, dum scribam, quicquid illud sit, polliceris, in exquirenda materia nolui me operosa torquere diligentia, multo minus in eligantia sollerti verborum. Quod igitur mihi nil tale molienti occurrit, extemporaliter explicabo. Reviviscentem in his nostris regionibus[4] sapientiam quosdam studiosissime colere pergratum habeo; sed hinc haudquaquam[b] mediocriter moveor[c], quod quidam nostrum partem[d] illius appetentes insolenter partem repudiant. Omnium autem consensu nihil in ea est, quod iure excipi aut possit aut debeat. Quare apparet nos ipsos[e] nobis esse contrarios, dum insipienter sapientiam consequi cogitemus[f]. Etenim plerique ex ea cultum sermonis quaerimus, et paucos admodum reperias, qui ex ea morum probitatem, quod longe conducibilius est, proponant addiscere. Sic linguae vitia reformidamus et purgare contendimus, vitae vero delicta parvipendimus et augemus. Sed cum omnis sapientia a domino Deo sit, ut litterae divinae demonstrant, ordine congruo eam appetamus et procul dubio consequemur. Id autem nobis ex

---

a) vindicari *P, corr. Tr.* b) aenim *rad. corr. in* enim. c) occidissent *P, corr. T.* d) exigendum. e) non *add. man. rec.*

35. a) *Lemma:* Ad Ebrardum monachum, suum propinquum. b) autquaquam *manu 2 corr. in* haudq. c) meveor *corr. in* moveor. d) parte *corr. m. 2 in* partem. e) s *addid. m. 2.* f) cogitamus *scr. Bal.*

1) *Aen. II, 670 (ex Prisciano l. l.).* 2) *Cf. de his ambobus supra ep. 20 p. 26, quam haec epistola nostra subsequi oporteret, nisi codicis ordo turbatus esset. Si Altwinus rerera cum Probo Moguntiaci vixisset, patronus ille episcopus Otgarius Moguntinus fuerit necesse esset.* 3) *eundem monachum Autissiodorensem fortasse, si Mabilionem ducem sequimur, qui Karoli imperatoris iussu homiliarum codicem S. Germano patrono suo obtulit, cf. Mabillon, Ann. ord. S. Bened. III, 147, Poet. Carol. I, 432, Traube, Reg. S. Bened. p. 699.* 4) *Haec mihi paulo post reditum Lupi in Galliam scripta esse videntur.*

divina auctoritate depromitur[a]. 'Fili, inquit[b], concupisti sapientiam, serva mandata, et 837
Dominus praebebit eam tibi'. Ubi etiam, quid sit sapientia, summe ac pulcherrime Eccli. 1, 1.
definitur. 'Timor Dei est, inquit, sapientia et recedere a malo intelligentia'. Ceterum Iob 28, 28.
de his, qui perperam vivunt et integre loqui concupiscunt et corruptos sermones
quam mores aspernantur, sic instruimur: 'Omnis labor homini in ore[c] eius, et anima Eccli. 6, 7.
illius non replebitur'. Quia dignum profecto est, ut, qui primas partes eruditioni tribuit, non sanctitati, a refectione sapientiae exitiali ieiunio excludatur. Quocirca, si vigilanter poliendo incumbimus eloquio, multo maxime consequendae honestatis atque iustitiae operam impendamus oportet. Sed cum variae sint sectae philosophorum, suo[d] unaquaeque genere perfectae, quarum nulla alii praeiudicat, quominus cultores suos in philosophiae sacrarium introducat et discordi concordia[1] omnes quodammodo uniantur, palam est propositorum diversitatem, qua pacatissimus Dei populus inseparabiliter, ut ita dixerim, separatur, non officere ad bene vivendum, et vario itinere pie venientibus matris ecclesiae templum esse apertum, quando unicuique ordini sua constet perfectio. Quamquam id postremum hoc sit certius, quo divina praestant humanis. Itaque hortor[e] indolem tuae nobilitatis, uti, quicumque religionis[f] christianae gradus prae ceteris tibi animo sederit, servata ceterorum reverentia in eo cooperante Deo in dies proficias[g] et integrum te in eo exhibeas. Quod si potes ex bono ad meliorem atque ab imo ad summum evadere, id te niti summa intentione persuadere velim, ut laboriosius auctori militans ab eo gloriosius coroneris. 'Iacta cogitatum tuum in Domino'[2], Ps. 54, 23.
ut ab eo[h] nutrimenta perpetuo felicia et feliciter perpetua consequaris[3]. Illudque ante omnia semper in oculis habeas, quod ipse te fecerit, quod perditum reformarit, quod tam crebris, tam copiosis, tam denique proficuis auxerit beneficiis, ut hinc illum laudandi concepta materia, dum ei gratias de acceptis et habes et refers muneribus, fias ad accipienda maiora dignior et fretus humilitate perseverantiam in bonis actibus (quod est donum inamissibile) sortiaris. Sane, dum his studiis occuparis, honestas[i] artes et ingenuo dignas nolim neglegenter praetereas, verum postules earum scientiam ab eo, qui dat omnibus affluenter et non inproperat: et iuxta mensuram fidei Iac. 1, 5.
tuae tibi haud dubie[k] tribuetur[l].

Valeas, carissime et desiderantissime, et longa florens aetate salutiferis cotidie[m] crescas virtutibus meique semper benigne memineris.

36.

Lupus monachus Altwino monacho suadet, ut adventum suum in monasterio Ferrariense ad posterius tempus differat. *837.*

Edd. Desd. 8.

Si[a] subitaneam nobis tuam attulisses praesentiam[4], infertilis profecto laboris retulisses dispendium. Namque ita me variis et inevitabilibus involutum offendisses negotiis, ut vix intra multos dies una hora vacuas tibi aures praebere potuissem; quin etiam abbatis[5] absentia intentioni tuae plurimum derogasset. Itaque, quod et

---

a) *ras. ante* -tur. b) inquid *m. 2 corr. in* inquit. c) hore h *sec. m. del.* d) sua *corr. m. 2 in* suo. e) *in marg. not. tir.* optima exhortatio. f) li *addid. m. 2.* g) proficies *m. 2 corr. in* proficias. h) habeo h *induxit man. rec.* i) honestes *corr. m. 2 in* honestas. k) dubiae a *eraso.* l) tribuentur *P, corr. Tr.* m) ti *add. m. 2.*

36. a) *Lemma:* Item ad Altwinum.

1) *Cf. Hor. Ep. I, 12, 19:* concordia discors. 2) *Cf. supra ep. 33.* 3) *Verba psalmi sunt:* et ipse te enutriet. 4) *De eodem itinere loqui videtur, pro quo adultam aestatem ut praestoletur, Altwino supra in ep. 20 p. 27 suaserat.* 5) *Odonis.*

841—847 ego, quemadmodum supra expressi, sum occupatus et abbas vix autumno reversurus creditur, si tibi ad nos veniendum existimas, oportunitatis vides expectandum commertium. Ceterum germanum tuum, ut supplicasti, orationibus, quoad[a] potero, iuvare contendam.

37.

Lupus (vel monachus vel) abbas Ferrariensis Heriboldo Autissiodorensi episcopo de restituta eius valetudine et de commercio litterarum scribit, Hieronymi codicem mittit ac de Iulii Caesaris operibus eum docet. *841—847.*

Edd. Desd. 28.

Suspectae[a] mihi amplitudinis vestrae nuper missae fuerunt litterae. Idcirco temperandum responsione putavi, quoad rei veritatem rescirem. Nunc, quoniam communis frater[1] et earundem litterarum[b] fidem et vestri status patefecit veritatem, bonae valitudinis vobis recuperationem quam celerrimam exoptans, breviter litteris[c] respondeo. Si naturae memores, quae nos artissimo necessitudinis vinculo nexuit[2], pristinique amoris, qui nos unice singulariterque devinxit (quorum unum est eventus, alterum iudicii), sinceram mihi benivolentiam exhibendam decrevistis, immo: quia decrevistis[d], locorum interstitia, quae mihi questi estis, detrimento esse non poterunt. Siquidem et frequenter invicem videre nobis facultas est, et, si quis casus id impedierit, litterale nobis haudquaquam deest commertium, quo vicissim intentiones nostras (si vestra eo usque se summittit sublimitas) familiariter possumus revelare.

Ceterum codicem annotationum beati Hieronimi in prophetas, necdum a me lectum, vobis morem gerens dirigo: quem vestra diligentia cito aut excribendum aut legendum procuret nobisque restitui iubeat. Unde vos monendum iudicavi, ne forte vobis in multis assiduisque occupatis negotiis nihil vobis collatura nobis earundem rerum obesset dilatio. Atque utinam altissimum divinumque vestrum ingenium, quantum posset fieri, a communibus aversum negotiis ad indaganda humanae[e] vel divinae sapientiae transferretur secreta. Profecto vestra nobilitas officiique clarissimus gradus dignum sua amplitudine coepisset emolumentum. Quod nolim eo dictum a me accipiatis, ut me in hac parte[f] perfectum iactanter existimem aut vobis in aliquo prorsus conferendum, nedum praeferendum, opiner. Sed sicut vos convenientibus cumulatos congratulor honoribus, ita etiam ingenuis maxime, quae excellent, artibus ornatos nosse desidero[g].

Gaius Iulius Caesar[h] historiographus Romanorum nullus est. Commentarii belli Gallici, quorum ad vos manavit opinio, tantum extant[3]; nec quantum ad historiam, quod compertum habeam, quicquam aliud. Nam ceterarum eius rerum gestarum, postquam idem Iulius totius paene[i] orbis causarum molibus[k] est oppressus, Hirtius eius notarius in commentarios seriem referendam suscepit[l]. Eiusdem itaque Iulii commentarios, ut primum habere[m] potuero, vobis dirigendos curabo.

Cupio vos valere feliciter.

---

a) quod *P, corr. Tr.*

37. a) *Lemma:* Ad Heriboldum episcopum. b) literarum *alterum* t *add. m. 2.* c) littere *corr. in* litteris. d) decrivistis *corr. in* decrev. e) humananę. f) part e *add. m. 2.* g) desiderio. h) *iter. in marg. not. tir.* i) pene 2 *m. corr. in* pęne. k) mobilibus *corr. 2 man.* l) succepit *corr. in* susc. *2 man.* m) abere h *add. 2 man.*

1) *Abbo, qui Heriboldo a. 856. in cathedra Autissiodorensi successit, cf. Gesta episcop. Autisiodor. c. 37 (SS. XIII, 398).* 2) *scil. fraternitatis.* 3) *Caesarem ab Heirico Lupi discipulo adhibitum esse probavit Traube, Neues Archiv XVIII, 98; Poet. Carol. III, 424 n. 3; cf. Sueton. Iul. Caes. c. 56.*

38.

Lupus Ferrariensis abbas Karolo regi devotionem suam mandat; necessitatibus suis ut cum Ludowico abbate consulat, precatur. post 841 *post 841.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 484; Desd. 24.

EXCELLENTISSIMO[a] DOMINO IUDICIOQUE SAPIENTIUM MULTIS ET MAXIMIS REGNIS DIGNISSIMO, SUMMA VENERATIONE NOMINANDO, INCLYTO REGI K[AROLO] DEVOTISSIMUS PER OMNIA L[UPUS].

Licet inevitabilis necessitas me ad tempus vestris aspectibus subtrahat[b], sic tamen animus meus vobis agglutinatus est, ut vos et vestra semper in oculis habeam et, ut absque adulationis fuco verum vobis confitear, vix conprehensibili amore conplectar. Nam, cur ab omnibus bonis debeatis amari, facile in vobis eminet. Unde, quantum capio, quantum sufficio, quantum intellego, vobis fidelis sum. Ceterum praesentes meas necessitates per venerabilem Hl[udovicum][1], qui vobis non minus, quam decet, fidus est, maiestati vestrae notas facere studui; quibus peto[c] secundum datam vobis divinitus[d] prudentiam, cui omnes congratulamur, pie consulatis, ut Dei vestrique servitii talia nunc valeam in primordio ponere fundamenta, quae futuri obsequii devotis molitionibus, opitulante eiusdem Dei gratia et vestro favore, respondeant. Me autem noveritis, quotienscumque possum, Dei clementiam intentis precibus implorare, ut concedat vobis prolixam sospitatem, incruentam victoriam[2], perpetuam pacem, vitiorum odium[e], possessionem virtutum, sicque vos faciat regnare in terris, ut regnum non amittatis in caelis.

39.

Lupus abbas Ebroinum Pictaviensem episcopum, ut cum Ludowico abbate pro se intercedat, petit. *post 841.*

Edd. Desd. 26.

CARISSIMO[a] EBROINO[3] L[UPUS] PERPETUAM SALUTEM.

Causas meas Hl[udovico] nostro significavi[b 4]; quas his litteris repetere superfluum duxi, cum eas, quae illi redditae sunt, vos lecturos et velim et sciam. Tantum postulo, ut in omnibus ita mihi adesse dignemini, sicut me confidere illis etiam litteris cognoscetis. Misi vobis eburneum pectinem, quem, quaeso[c], ut in vestro retineatis usu, quo inter pectendum artior vobis mei memoria imprimatur[5].

Bene vos valere cupio.

---

38. a) *Lemma:* Ad regem Karolum. b) subthrahat *corr. m. 2* subtr. c) paeto a *eraso.* d) divinus it *sec. m. add.* e) hodium h *sec. m. delet.*

39. a) *Lemma:* Ad Ebroinum episcopum. b) vi *in* significavi *addid. 2 man.* c) quaeso a *del. m. 2.*

1) *abbatem S. Dionysii, de quo cf. supra p. 30 n. 2.* 2) *Cf. Concil. Vernense c. 1 (Capit. reg. Francor. II, 383):* Taliter vobis agentibus vel incruentam vobis, ut credimus, vel iustam de hostibus victoriam divina gratia providebit. 3) *In Karoli Calvi praecepto die 7. Aug. a. 846. dato vocatur* vir venerabilis Ebroinus episcopus, monasterii Germani abbas necnon et sacri palatii nostri archicapellanus, *cf. alterum die 15. Aug. a. 850. datum* ad deprecationem carissimi nobis reverendi sacri palacii nostri achicappellani Pictaviensis eclesiae pontificis Ebroini *(Tardif, Monuments 99. 103, cf. Bouquet, Recueil VIII, 480. 481. 484. 485).* 4) *Haec epistola cum ea ad Karolum regem data quae antecedit coniungenda est, ubi haec verba congruunt:* praesentes meas necessitates per venerabilem Hludovicum maiestati vestrae notas facere studui. 5) *De alio pectine Alcvino donato cf. Epp. IV, 67, v. etiam Ducange s. v. pecten.*

40.

836—842 aestate *Lupus Ferrariensis abbas Rhabanum praeceptorem petit, ut preces pro se, cui Ferrariense coenobium commissum sit, faciat, abbatis Fuldensis munus eum Hattoni cessisse commemorat.* *842 aestate.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 485; Desd. 21.

REVERENTISSIMO[a] PATRI EXIMIOQUE PRAECEPTORI RH[ABANO] L[UPUS] PLURIMAM SALUTEM.

Rebus non potui hactenus gratias vobis agere, tamen quantas affectu habuerim, cf. Dan. 13, 42 occultorum cognitor semper inspexit. Deinceps autem, si idem Deus vitam vestram produxerit optatamque pacem reformaverit, non erit inpossibile, quid animo geram, factis ostendere. Namque consensu fratrum nostrorum X Kal. Decemb. coenobium Ferrariense mihi commissum est[1] dominusque noster Karolus, mira me dignatione fovens, gratia sua donavit. Vestra igitur benivolentia me unaque congregationem mihi creditam sacris orationibus, quaeso, commendare dignetur, ut sicut studia mea plurimum eruditione adiuvistis, sic officii difficultatem assiduis precibus temperetis.

Ceterum audivi sarcinam administrationis vestrae vos[b] deposuisse[2] et rebus divinis solummodo nunc esse intentos, Hattoni vero nostro curam sudoris plenam reliquisse[3]. Eius rei ordinem simulque alia, quaecumque videbuntur, beatitudinis vestrae litteris expectabo cognoscere.

Obto vos bene valere meique perpetuo dignanter meminisse.

41.

Lupus monachus Immoni amico de parco epistolarum commercio questus reditum suum ex Germania ac studia sua nuntiat, de humilitate sua se excusat. *836—837.*

Edd. Desd. 6.

SANCTITATIS[a] MERITO[b] SINCERE SUSPICIENDO VENERABILI I[MMONI][4] LUPUS AETERNAM SALUTEM.

Epistolam vestram[c] me quam molliter mulcentem amicitiaeque[d] suaviter memoriam[e] refricantem, ut par fuit, summa delectatione perlegi eiusque sensa menti paenitus illapsa diligenti memoriae commendavi. Nam, si vere, ut scripsistis, me inter carissimos numeratis, erit forsitan veniabile, quod peregrinationis molestia, praesertim tot, quot inveniri facile potuerant neglectis oportunitatibus, epistolari solatio me levare sprevistis. Quamquam[f] tanti contemptus dolorem vehementer[g] exulceret non actum, quod saepe[h] inter nos constitit, ut quotienscumque nancisci possetis occasionem, quae cognoscenda mihi essent, vos potissimum panderetis. Verum haec alias.

Ceterum propitio domino Deo nostro sospes regressus sum[5]; praeterque domini ac nutritoris mei Aldrici, quantum ad me attinet, plenum infortunii obitum[6] et quorundam aliorum amicorum non est, quod mihi extrinsecus[i] accidisse admodum triste

---

40. a) *Lemma:* Ad Rhabanum, praeceptorem suum. b) vos *addid. man. 2.*

41. a) *Lemma:* Ad Immonem, *alter.* m *addid. m. 2.* b) merito *add. m. 2.* c) nostram *corr. m. 2 in* vestram. d) ti *add. m. 2.* e) memorsam *rad. corr. in* -moriam. f) quanq. *P.* g) veheementer. h) sepe *m. 2 corr. in* sępe. i) c *superscr. in ras.*

1) *anno 841. Remarquer l'habile équivoque de la phrase; il est difficile d'y voir s'il y a eu élection canonique ou si les moines ont seulement accepté l'abbé, que le roi avait désigné: GIRY l. l. p. 115 n. 2.* 2) *Aprili mense a. 842., unde haec epistola aestate anni 842. scripta sit oportet.* 3) *Hatto praefuit monasterio a. 842—856.* 4) *eundem fortasse, qui postea a. c. 840. episcopus Noviomensis factus est.* 5) *a. 836. exeunte.* 6) *Obiit Aldricus anno 836., VI Idus Octobris, cf. Martyrolog. Ferrariense (Isidori opp. ed. Arevalus II, 332):* VI. Id. Oct. Transitus S. Aldrici archiepiscopi Senonensis et abbatis huius loci.

crediderim. Cur autem vobis significari petieritis, quos libros in Germania vel scrip- 845—846
serim vel legerim, demiratus sum nec[a] satis causam comprehendere potui; nisi forte[b] mei experimentum argute capere voluistis, propositis duabus rebus, quarum altera, si cessissem, videri poterat ostentationis, altera imprudentiae puerilis. Itaque simpliciter vobis aperio principem operam me illic destinasse lectioni et ad oblivionis remedium et eruditionis augmentum libros pauculos paravisse nec Germanicae linguae captum amore, ut ineptissime quidam iactarunt, sarcinam subisse tanti tamque diuturni laboris.

Quod autem studio humilitatis me invigilare divinis auctoritatibus monuistis, pergratum habeo et velim credatis me hactenus id agere, ut, quod Deus me fecit quodque suis beneficiis donavit, totum eius gratiae assignem et, ut ea in me conservans amplificet[c], submissis precibus flagitem. Siquidem ad ea, quae proposuistis, illud etiam evangelicum[d] adicio: 'Habete sal in vobis et pacem habete inter vos' et quod secre- Marc. 9, 49.
torum caelestium conscius docet Paulus: 'Quid habes, quod[e] non accepisti? Si autem 1. Cor. 4, 7.
accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?' Nec illud me fugit, quamquam omnino me magnum non sentiam: 'Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo Eccli. 3, 20.
invenies gratiam'. Atque tam multa, tam fortia, tam denique salubria hinc teneo documenta, ut ne somniare quidem possim divinorum beneficiorum mihi aliquid arrogandum. Sed plane, qui aliqua divina eminet gratia, non potest effugere varias diversorum opiniones; quandoquidem de salvatore nostro, in quem nulla prorsus reprehensionis cadit suspicio, alii dicebant: 'Quia bonus[f] est; alii autem: Non, sed seducit[g] turbas'. Ioh. 7, 12.
Qua re sapienti firmissimum erit illic ac singulare suffugium: 'Si oculus tuus simplex Matth. 6, 22.
fuerit, totum corpus tuum lucidum erit'.

Benigne mei memores cupio vos bene valere.

42.

Lupus Ferrariensis abbas apud Hincmarum[1] *Remensem archiepiscopum de iactura cellae S. Iudoci et de penuria Ferrariensis monasterii acerbe queritur.* *845—846.*

Edd. Baronius ann. 846 n. 11—13; Bouquet, Recueil VII, 491—492; Desd. 47.

Non[a] sum nescius, cum tantis divinae gratiae muneribus habundetis[b], ultro vos cogitare apud principem iuvandi[c] bonos facultatem divinitus accepisse, ut, quod in se non habent, in vobis possideant et remunerandae vestrae industriae materiam praebeant. Proinde familiaritatis[d] fiducia moneo, ut, dum tempus habetis, usuram talenti multiplicare curetis, ut instar solis benivolentiae vestrae splendor cunctos irradiet nec quemquam[e] excipiat, nisi qui superba caecitate lucem iustitiae aspernatur. Nobilitatem vestrae generositatis ornat[f] eruditio salutaris, altitudinem officii commendet religio professionis. Haec vestrae celsitudini non arrogantiae vitio, sed amicitiae studio scripsi, ut, quoniam in vobis et nobilitas et sapientia convenerunt, quantum haec societas valeat, etiam nolentibus emineat, qui[g] ipsa quoque lumina ecclesiae obscurare contendunt.

---

a) naec. b) fr//te *corr. m. 2 in* forte. c) amplicet *P, corr. Bal.* d) *iter. in marg. not. tir.* e) quid *corr. in* quod. f) evangelium c *superscr., in marg. not. tir.* evangelica. g) seducti *corr. in* seducit.

42. a) *Lemma:* Ad Hincmarum episcopum. b) abundetis h *add. m. 2.* c) *ex* uiandi *corr. m. 2, altero* v *superscr.* d) familiaritati s *add. m. 2.* e) quequam. f) orna t *superscr.* g) quia a *eraso.*

1) *Hincmarus Aprili mense a. 845. electus, die 3. Mai. mens. consecratus est, cf. Dümmler, Gesch. des Ostfränk. Reiches I, 257—258.*

845—846 Loci nostri iactura vobis nota est, ut scilicet rex cellam[1] nobis nulla mea culpa subtraxerit, quam pater eius[2] etiam edicto contulerat, quod comperisset monachicam religionem apud nos durare non posse, nisi facultatum fulciretur augmento. Itaque ad tantam inopiam devoluti sumus, ut hoc anno vix duorum mensium frumenti sustentaculum habeamus; famuli, quorum servitio carere non possumus, paene[a] nudi sunt nec, quid his faciamus, habemus. Plerique[b] fratrum nuditatem attritis atque scissis vestimentis vitare coguntur[3], hospitalitatem paupertate compellimur imminuere et hoc turbulento[c] reipublicae tempore, his expensis, quae maiores nostri congregaverunt, a rege clementiam, a communi Domino patientiam flagitamus. Itaque taedio necessitatum afflictus vacationem officii, ad quod a fratribus electus sum, subinde[d] cogito. Verum ab ea et saecularium perniciosa[e] voracitate et impatientiae crimine, si in tanta perturbatione eosdem fratres[f] relinquam, deducor. Cum enim pro viribus, immo ultra vires, regi servierim et pro eo semper intente orem, non solum, ut aliquid mediocritati nostri coenobii conferret, non merui, verum etiam hanc notam incurri, ut partem eius optimam saeculari homini[4] traderet, non regendam, sed evertendam. Fecerit hoc mea vilitas. Cur tantorum virorum, qui mecum Deo serviunt, est contempta sanctitas? Vestro admonitu nosse debet esse inter nos aliquos, de quibus merito scriptura testetur:
Ps. 144, 19. Zach. 2, 8. 'Voluntatem timentium se faciet et deprecationem[g] eorum exaudiet'[5] et: 'Qui tangit vos, quasi qui tangit pupillam oculi mei'. Quid ei saecularis illius excellentia contulit? Numquid illi postea gentem aliquam barbaram subiugavit aut hoc sibi dissidens regnum composuit? At si votum, quo vobis credo suggerentibus in ecclesia beati Dionisii se obligavit[6], ex integro absque respectu ullius[h] personae Deo persolvisset, immo primo consiliis, quae in Verno[7] quaesita et inventa sunt, adquievisset, iam eum
Prov. 21, 30. in pace regnare fecisset ille, de quo sacrae continent litterae: 'Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum'. Canones eosdem sive, ut vos vocatis, capitula meo stilo[i] tunc comprehensa vobis direxi, de quorum aequitate credo
cf. Ps. 7, 10. aetas posterior[k] iudicabit, et devotionis meae[l] non erit immemor cordium reniumque scrutator. Vos autem interim mihi quaeso et quibuscumque similia patientibus Mardochei[m] constantiam, Hester pietatem[n] impendite, ut hostes famulorum Dei vestra diligentia, immo divina virtute, non (ut tempore, cuius mentionem facio) ad suam perniciem[o], sed ad perpetuam salutem vincantur et opprimantur.

Bene vos valere optamus.

43.

Lupus Ferrariensis abbas Ludowicum abbatem S. Dionysii petit, ut regem Karolum ad reddendam cellam S. Iudoci, Odulfo comite in aula versante, compellat, sine qua monasterium consistere nequiret. *c. 845—846.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 492—493; Desd. 49.

---

a) pene *corr. in* pęne *m. 2.* b) *in marg. not. tir.* Nota humilem et prudentem implorationem. c) turpul. *corr. in* turbul. d) *in marg. iter. not. tir.* e) *ex* perneciosa *corr. m. 2.* f) *post* fratres los *erasum est.* g) d. e. e. h) *ex* illius *corr. m. 2.* i) stillo *uno* l *eraso.* k) *ex* pasterior *corr. m. 2.* l) me ę *add. m. 2.* m) *in marg. not. tir.* exempla Mardochei et Hester. n) piaetatem a *eraso.* o) *ex* perneciem *corr. m. 2.*

1) *Sancti Iudoci.* 2) *Ludowicus Pius, cf. supra p. 21.* 3) *Cf. infra epist. 44 p. 51:* Cogimur itaque attrita et resarta ferre vestimenta. 4) *Odulfo comiti, cf. Karoli C. praeceptum pro Lupo abbate datum (Lupi opp. ed. Baluzius p. 512):* De cella quoque S. Iudoci, quam b. m. pater noster Hludovicus serenissimus augustus contulit praefato monasterio et nos quadam necessitate Odulfo comiti dedimus *etc.* 5) *Eundem locum laudat L. in conc. Vern. c. 12 (Capit. reg. Franc. II, 386).* 6) *vere (Martio vel Aprili) a. 845, cf. supra p. 40 n. 4.* 7) *Capitul. reg. Francor. II, 383—387.*

PRAECELLENTISSIMO[a] ABBATI HLUD[OGVICO] LUPUS AETERNAM SALUTEM.

Debita dona, quae per vos rex iussit, direxi, quae ut ei grata fiant vestra beni- c. 845—846
volentia non aspernabitur procurare. Quia vero Odulfum[1] cum regina[2] ad regem[b] venturum audivi, supplico, ut memores nostri esse dignemini, scilicet ut cellam nostram, in qua praeter solum nihil pene aliud iam relictum est, tandem aliquando recipiam, quia eam nulla culpa mea perdidi nec eas facultates noster habet locus, ut sine praefata cella in eo durare possit religio. Namque inde cera[c] ecclesiae, fratribus et famulis vestimenta, pisces, caseus et legumina ministrabantur, quibus omnibus, utinam non ad duplum detrimentum[3] domini nostri, gementes caremus. Admonete igitur eum sui periculi, ut et sibi et nobis aliisque similiter a se afflictis consulat nec timeat Deum nostra consolatione placare, quem non timuit acerba oppressione offendere. Siquidem[d] generalis religiosorum adsertio est[4], praeter vindictam ultimam, quae impendeat, nunquam eum felicitatis optatae prosperitatem adepturum, donec redintegret ecclesiam, quam divisit, et gravibus ac maturis bonorum, hoc est Deum timentium, consiliis adquiescat.

Bene vos valere cupio.

44.

Lupus Ferrariensis abbas Hincmarum archiepiscopum Remensem petit, ut regem Karolum ad reddendam cellam S. Iudoci, Odulfo comite in aula versante, compellat, sine qua monasterium consistere nequiret. *c. 845—846.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 494—495; Desd. 50.

SUMMA[a] VENERATIONE SUSPICIENDO HINCMARO[5] ANTISTITI L[UPUS] OMNIMODAM SALUTEM.

Effectum petitionis meae nuper a rege vestra digressio impedivit, quam urgente necessitate his litteris refrico, ut mea saltem importunitate, quae ipsum quoque ingenuum pudorem excludit, vos ad subveniendum mihi et aliis eadem patientibus impellam. Neque enim congregandi auri argentique ac aliarum pretiosarum specierum sublatam nobis dolemus materiam, sed unde vitam mediocriter sustentabamus, hoc est, unde vestimenta et alimentorum consequebamur omni tempore adiumenta[6]. Cogimur[b] itaque attrita et resarta ferre vestimenta et famem paene semper solis oleribus et empticiis leguminibus temperare. Hinc queruntur infirmi. Apud nos consueta requirunt nec inveniunt hospites. Praesentia tempora infamantur, et Deus ad vindictam sine dubio provocatur. Verum, quia (sicut priori[7] epistolae non adulatorie[c], sed serio

---

43. [a]) *Lemma:* Ad Ludogvicum abbatem. [b]) regi *corr. in* regem. [c]) decora *corr. m. 2 in* de cera. [d]) Sunt quidem *rad. corr. in* si quidem *m. 2.*

44. [a]) *Lemma:* Ad Hincmarum. [b]) *in marg. not. tir.* humilis supplicatio. [c]) adulatoria *corr. in* -rie.

1) *is ipse, opinor, qui Haudulfus comes vocatur in epist. 25 Frotharii Tullensis (EE. V, 293) BAL.* 2) *Irmintrude, Caroli uxore, cuius studiis haud dubie attollebatur Odulfus BAL.* 3) *Id est ad detrimentum animae et corporis BAL.* 4) *Cf. infra epist. 53 p. 57:* serio confirmant senes nostri experimento se proprio comperisse ..., quod quicumque monasterio nostro insigne aliquod intulerit damnum .. magnum incurrerit incommodum. 5) *Haec epistola cum superiore eiusdem argumenti ad Ludowicum abbat. data coniungenda est.* 6) *Cf. Concil. Vernense c. 12 (Capit. reg. Franc. II, 385—86):* ecclesiae facultates, quas reges et reliqui christiani Deo voverunt ad alimentum servorum Dei et pauperum, ad exceptionem hospitum, redemptionem captivorum atque templorum Dei instaurationem, nunc in usu saecularium detinentur. Hinc multi servi Dei penuriam cibi et potus ac vestimentorum patiuntur, pauperes consuetam aelemosinam non accipiunt, negleguntur hospites, fraudantur captivi et fama omnium merito laceratur. 7) *scil. ep. 42?*

845 comprehendi) totius ecclesiae causa vos dignitate ornatos et familiaritate principis donatos credimus idque rebus cupimus approbari, dum adesse Odulfus dicitur, elaborare dignamini, ut se rex tanto peccato exuat et nos tam ingenti penuria liberet, ne non tam eum nostra oratio sublevet, quam afflictio importabilis deprimat. Siquidem vestra suggestione institutus magnam potest habere oportunitatem, ut quod perperam fecit, immutet, scilicet si saecularibus, quibus res ecclesiasticas impertitus est, enumeret, quae se ipsum et illos post consecuta sint incommoda, et iratum Deum non, nisi sua ei restituant, esse placandum, nec aliter eos virtutem et consilium recepturos, nisi ex corde ad ipsum Deum reversi rapinis abstineant et suae imbecillitatis conscii eius omnipotentiae se[a] summittant. Quod nisi facere dominus noster rex acceleraverit et
Ps. 13, 5. trepidaverit, ubi non est timor, ultra quam dici potest formido, ne citissime suis inimicis gaudium pariat exoptatum, nobis autem unice se amantibus opprobrium[b] derelinquat.

Bene vos valere cupio et in dies ad meliora proficere. Imitatus veteres eruditionis artificio etiam nunc nostra recuperare molitus essem, nisi hoc frustra temptans experimento proprio comperissem, etiamsi Virgilius[c] revivisceret et totas tripertiti operis vires movendis quorundam[d] cordibus expenderet, nec[e] lectionem quidem praesentium adepturum.

45.

Lupus Ferrariensis abbas Karolum regem, ut cellam S. Iudoci per quadriennium ereptam monasterio reddat, instanter petit. *845.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 495; Desd. 51.

Omnipotentis[a] Dei, quaeso[b], recordamini, qui gratis dedit vobis vitam, nobilitatem, pulchritudinem[1], potentiam laudabilemque prudentiam et, quod his[c] maius est omnibus, sui cognitionem, et honorate eum in servis eius, quia ipsi, utpote habenti
Matth. 5, 7. omnia, conferre nihil potestis. Polliceri dignatur ille: 'Beati[d] misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur'[2]. Estote nobis nimium indigentibus misericordes, ut pro nobis beatitudinem misericordium ipse vobis restituat. Plus minusve quadriennium est[3], ex quo septuaginta duo[e] monachi, quos ad eorum votum electionemque mihi commisistis, quique indesinenter, vobis in diversa occupatis, pro salute ac prosperitate vestra excubant, propter abstractas facultates patiuntur incredibilem vestimentorum, leguminum ac piscium indigentiam[4]; et publica hospitalitas, peregrinis[f] iuxta constitutionem priorum[g] regum exhibenda, intermissa est, famuli monasterii squalore torquentur et frigore. Nec possum subvenire miseris, quoniam ab aliis multitudo collecta mihi relicta est et copia, unde sustentabantur, ablata. Siquidem intercedente gloriosa matre vestra[5] serenissimus pater vester Hludovicus Augustus ad remedium animae suae ac salutem posteritatis supplementum hoc coenobio nostro contulerat. Nec tamen, cum id haberemus, noxia diffluebamus abundantia, ut in

---

a) e *in ras. add. m. 2.* b) opproprium *corr. in* -brium. c) *in marg. not. tir.* laus Virgilii. d) *ex* corundam *corr. m. 2.* e) nec c *del.*

45. a) *Lemma:* Ad domnum regem K[arolum]. b) quaeso a *del.* c) is h *superscr.* d) *in marg. not. tir.* evangelicum. e) *in marg. not. tir.* numerus monachorum Ferrariensium Lupo commissorum. f) perigrinis *m. 2 corr. in* peregr. g) priorem.

1) *Cf. Simson, Jahrb. des fränk. Reichs unter Ludw. dem Fr. I, 326 n. 1.* 2) *Hunc locum laudat etiam in epist. 108. 119 et in conc. Vern. c. 1 p. 383.* 3) *inde ab a. 841, cf. ep. 53 p. 56:* quattuor annorum spatio. 4) *De penuria monachorum cf. supra p. 50. 51, infra ep. 71.* 5) *Iudith regina, cf. epist. 53. 71.*

delicias intemperanter solveremur, quia, quae regula concedit, integris facultatibus monasterii vix poterant procurari[a]. Nunc autem, longe pauciora consecuti, abstinemus inviti; algemus coacti; pueros, senes atque infirmos propter inopiam[b] non fovemus. In tanta calamitate patri et matri vestrae cotidianas preces et annuum officium persolvimus, quasi quod illi contulerunt possideamus. Fecerunt enim illi totum, quod potuerunt, et donum suum robustissime firmaverunt. Tangat itaque vos affectus eorum, per quos esse coepistis. Instaurate illorum elemosinam[c] ingenti periculo hactenus intermissam. Nec obliviscamini vestri. Etenim vos iam elemosina indigetis. Tempus est, ut Dei timor atque amor vestram compungat mentem, quia iam pervenit corpus ad virilem aetatem[1]. Nec differatis, quaeso, ulterius bonum, quod vos velle dicitis, quoniam, cum nesciatis, quid superventura pariat dies, tamen, quia nobiscum cotidie ad eius iudicium tenditis, cui verissime dicitur: 'Tu reddes unicuique secundum opera sua'[2], dubitare nequaquam potestis. 'Horribile est autem incidere in manus Dei viventis'.[3] Nec vero dicere dignemini vos non posse. Siquidem, ut ait apostolus, 'Deus non irridetur'. Scit ille, quantum potestatis contulit, qui nonnisi quod iustum est exigit. Nec trepidetis timore, ubi non est timor[4]. Audete potius benefacere, si in hac vita prospere et in futura feliciter desideratis regnare. Cur enim non constanter audeatis immutare quod nullus iustum esse possit ostendere? Consensu bonorum omnium iustum est quod poscimus, possibile regali potentiae, necessarium nobis, utile non tam nobis quam vobis. Nos enim ex hoc beneficio temporalem consequemur usum, vos autem, accedentibus aliis bonis, praemium sempiternum. Flectant igitur pietatem[d] vestram iustissimae supplicationes, humillimae preces, quas maxima extorquet egestas. Et vel nunc perficere dignamini quod tunc firmissime concessistis, cum vobis Daviticum illud servandum proposui: 'Fixum est, quod locutus sum'. Namque nec aliter decet vestram nobilitatem atque probitatem, quae omnibus imitabilis esse debet, nec vero aliter convenit vestrae saluti atque reipublicae[e] paci. Nos autem nec in debito famulatu reddendo inveniemur segnes et in placanda vobis, quantum potuerimus, divinitate curabimus esse ferventes.

841—862

Matth. 16, 27.

Hebr. 10, 31.

Gal. 6, 8.

Ps. 13, 5.

2. Reg. 19, 29.

46.

Lupus Ferrariensis abbas(?) apud necessarium quendam epistola aenigmatica de homine quodam impudente, monasterii invasore, queritur. *841—862.*

Edd. Desd. 62.

[a]Iusta[b] copiosaque suppetente materia, ne dubitetis tu et quos fideles iudicasti, perfidi commenta subvertere, qui impudentia singulari et beneficiis meis, ut in monasterio nostro subsistens, utitur et lacerare non desinit a quo fovetur; atque opertus ignominia et refertus invidia, unde se non valet expedire, me conatur propellere. Et quia fugit eum optata victoria, mirabili amentia serere infamiam delectatur; illi similis, qui, quod se nequaquam recuperaturum cognoscit, amoliri ab aliis non quiescit. Cur autem eum non constantissime invictis et insolubilibus argumentis opprimatis, quem iuxta fidem divini oraculi anima Dei detestetur, quod humana divinaque iura permiscens seminet inter eos[c] discordias, quos vel natura protulit vel religio fratres fecit? Tu

Prov. 6, 16. 19.

---

a) *in marg. not. tir.* pulchra deprecatio et prudens adhortatio. b) *ex* inobiam *corr.* c) helem. *man. 2.* d) piaetatem a *m. 2 del.* e) rei p̄.

46. a) *Lemma:* Cuidam necessario. b) ixta *man. 2. corr. in* iuxta, iusta *Bal.* c) eo 2 *m. corr. in* eos.

1) *Cf. ep. 64 p. 63*: nunc autem ad virilem perducti aetatem. 2) *Hunc locum laudat etiam in epist. 115. 128.* 3) *Cf. supra p. 40 ep. 32.* 4) *Cf. supra p. 52 ep. 44.*

841—862 vero nullis omnino maleficiis a loco nostro avellaris, quod ope divina nec illud continget, quod formidas, et eveniet cito, quod optas; consequenterque securi studebimus: ita mihi iam explorata sunt omnia.

Demosthenes[a] noster ipso interdum caule indiget et cibario nonnunquam pane altus fert modice. Desperatione quoque vini ad hoc perductus est, ut venali cervesia delectetur; et vel in hoc Tullium superat, cum quod ille dormiens[1], id iste vigilans patitur. Ita nec lateribus robur conparat nec[b] vocis conservandae cura laborat; rhetoricae magis actionis immemor retinendae vitae facultate[c] contentus est.

Verum[d] enimvero auctor bonorum omnium nostram et vestram inopiam larga, ut credimus, opulentia abolebit[e].

47.

Lupus Ferrariensis abbas necessario cuidam scribit, se de hostibus suis protectum iri.

841—862.

Edd. Desd. 61.

Non[a] est quicquam quod metuas. Nam et domestici et extrarii hostes, tametsi plurimum sibi, nihil mihi oberunt, quod protegere meam parvitatem dignabitur, qui me sibi iussit et dedit confidere. Proinde irridenda illorum omnis molitio est, qui vel implacabili cruciantur invidia vel in inexhausta cupiditate torquentur.

48.

Lupus Ferrariensis abbas necessario cuidam iubet, ut annonae copia monasterio prosit.

841—862.

Edd. Desd. 60.

Contentionis[a] obstinatione posita et superandi pervicacia, aequus[b] aestimator necessitatum vide, ut affluens annonae copia, quam tibi commisi, prosit utilitatibus nostris[2]. Namque sationi et animalium pabulo et, cuius ingentem te habere curam desidero[c], iustae hospitalitati adhibita diligentia, non dubito superfuturum quod praestare non mediocre commodum possit.

49.

Lupus Ferrariensis abbas apud Attiniacum versans, ut Hincmarus Remensis archiepiscopus opem ei ferat, petit.

post 845.

Edd. Bouquet, Recueil VII, 497; Desd. 54.

[SUMMA VENERATIONE][a] SUSPICIENDO H[INCMARO] ANTISTITI L[UPUS] OMNIMODAM SALUTEM.

Angustiam nostram, quam temporis cum prolixitas, tum etiam asperitas peperit, nuntius a me directus vobis exposuit nec aliud in paternitate vestra, quam quod de ea praesumebam, invenit. Sane priores certavimus officio nec tantum poposcimus, quantum praestitimus, scilicet implendae materiam caritatis. Itaque nobis omnium,

---

a) *in marg. not. tir.* hîc optime ludit. b) nec — laborat *addid. m. 2 in marg.* c) *ex* facultatem *corr.* d) *in marg. not. tir.* verum enim(vero). e) obolebit *P, corr. Bal.*

47. a) *Lemma:* Eidem.

48. a) *Lemma:* Sar, *an* necessario, *ut Desdevises p. 130 coniecit?* b) aequis *m. 2 corr. in* aequus. c) desidesidero.

49. a) *Lemma:* Ad Hincmarum Episcopum. Summa veneratione *suppl. Tr. (cf. p. 51 ep. 44).*

1) *Valer. Maxim. l. I c. 7 § 5(?).* 2) *Lupus hanc epistolam vicario cuidam scripsisse videtur, dum diutius apud regem moraretur.*

quorum indiget usus, penuria iamdiu laborantibus magna properantia subvenite, ut 847
promissionum benivolentiam optatus largitatis consequatur effectus. Hospitamur autem in villa, quae antifrasticos Viniacus vocatur et ab Atiniaco in Africum plus minusve[a] uno miliario distat. Hoc ideo, ut etiam de vectura cogitet vestra insignis prudentia, quod huius quoque rei nulla nobis facultas est. Quo et quanto et quando nos iuturi sitis, litteris per hunc latorem vicissim redditis pandere dignamini, ut interim et spe refici[b] et, quid nobis agendum sit, valeamus prospicere.

50.

Lupus Ferrariensis abbas Traiectum ad colloquium regum profecturus in inopia rerum a quodam amico fido petit, ut et apud dominam Rh. pro eo intercedat et ipse opem ferat. *847 in.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 499; Desd. 53.

Non[a] ignoras prolixi temporis laborem, quem recuperandae[b] cellae studio assumpsi, quo adhuc flagrans, iussu regis, vita comite, ad colloquium proficiscar, quod reges[1] ad Traiectum habituri sunt. Pecunia nobis iam nulla est, quae tanto spatio vix potuit sufficere. Proinde, quia non videbatur consilium inperfectos conatus relinquere, donec evidenter appareat, qui eos consequatur effectus, non usquequaque[c] inhonestum credidi opem ab amicis petere, quorum fides mihi non fluxa in similibus inventa est. Itaque maxima spe ad dominam Rh. direxi; cui cum nostro nuntio aut[d], si commodius iudicaveris, separatim huius meae necessitatis volo causam aperias eamque quam mollissimis precibus flectas, ut sicut semper, nunc mihi subveniat et continuo per hunc meum nuntium argento, quod in hoc utar itinere, iuvet me liberaliter, ut et in coenobii nostri, pro qua satagimus, instauratione particeps existat et me sibi devotiorem, si id fieri possit, efficiat. Si quid etiam ab aliquo tibi datum habes, mihi mittere ingenti necessitate artato ne graveris[e], quoniam nihil tam pretiosum aut parvum dirigere poteris, quod non patiamur pro victu expendere.

51.

Lupus Ferrariensis abbas cum rege Traiectum ad colloquium profecturus monachis Ferrariensibus[2], ut rebus monasterii bene provideant, iubet, in raptores earum invectus. *847 vere.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 500; Desd. 59.

DILECTIS[a] FRATRIBUS.

Quod gaudium capiam de R., si forte vestrum aliquis ambigit, repetat illud memoria, quod auctoritas divina neque rapaces regnum Dei possessuros affirmat[3], 1. Cor. 6, 10. et ultra dubius esse non poterit. Praeceptor vero eius, ne se insolubile argumentum repperisse glorietur, accipiat omnium villarum nostrarum meum, meum[b], in-

---

a) *ex* minusvae *corr. m. 2.* b) *ex* refeci *m. 2 corr.*

50. a) *Lemma:* Cuidam fido. b) recuber. *corr. m. 2 in* recuper. c) quaque — petere *in rasura.* d) au t *add. m. 2.* e) gaveris r *add. man. 2.*

51. a) *Lemma:* Fratribus Ferrariensibus. Ferrariensib. b *ex* s *corr.* b) *alterum* meum *add. m. 2.*

1) *tres reges fratres, Hlotharius scilicet, Hludowicus et Karolus simul convenerunt* secus municipium Treiectum in loco qui dicitur Marsna anno dom. incarn. DCCCXVII per mensem Febroarium *(Capitul. reg. Francor. II, 68).* 2) *Hanc epistolam scripsit L, dum diutius in aula moraretur, cfr. infra epp. 55. 59, p. 58. 60.* 3) *Hunc locum laudat etiam in ep. 100.*

845—847 inquam, esse regimen et laborem, usum vero fructuum[a] ipsum etiam secundum meam dispositionem fratrum esse communem. Ita nec saecularem religio minuit potestatem nec potestas confundit religionem[b]. Interim prospicite nostris equis, ne a magistro aut a discipulo subtrahantur, et absque ullo in hac parte meo respectu, quicquid secundum leges valetis, contra violentiam pervasoris agere contendite, industriam vestram hoc mihi gratiorem scientes futuram, quo maior et illustrior enituerit. Mihi potiora molienti, quod oportunitas hinc, immo Deus permiserit, curae erit perficere.

Ego quoniam cum rege ad Traiectum, Deo volente, iturus sum[1], quo ei ad colloquium fratres occurrent[c], et recipiendae cellae bona mihi spes est nec possum adesse vobis, ut unusquisque vestrum agat mecum quod solet et debet, sicut superiore anno convenit nobis: qui potest agere studeat, quousque rediens, si aliquid sit immutandum, cognoscam. Satio studiosissime[d] procuretur; et quod nostri boves post sollemne debitum non suffecerint[e], frequentes impleant corrogationes.

Bene vos valere cupio[f] et diligentissime orare pro nobis.

52.

Lupus Ferrariensis abbas absens praeposito monasterii sui mandata dat. *846—847.*

Edd. Desd. 63.

E.[a] noster probabilia fecit quaecumque abs te gererentur, quod mihi cordi fuit, moneoque te, ut sicut coepisti, in officio sincera fide permaneas. Furiosum[b] illum, super quo scripsisti, quia etiam paenitens suspectus mihi est et germana sanctitate usque ad fastidium satiamur, vehementer me recusaturum cognosce ac, si se ingesserit, ne tridui moras excedat, ceteris persuade; quia quod toleremus non opus est nobis extrinsecus quaerere.

53.

Lupus Ferrariensis abbas a Karolo rege cellam S. Iudoci per quadriennium a monasterio alienatam iterum iterumque vindicat[2]. *845.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 496; Desd. 52.

Praecellentissime[a] rex, licet tacendo, loquendo ac scribendo nihil hactenus profecerim, tamen, quia Dei causa est quam ago, quiescere non audeo. Pro vestra salute ac prosperitate vos admoneo et supplex flagito, ut vosmetipsos liberetis periculo meque devotissimum vobis[b] famulum secundum frequentes vestras promissiones asperrimo sublevetis labore. Quae beatae memoriae pater vester, intercedente gloriosa matre, peregrinis et Dei servis largiti sunt ob redemptionem animarum suarum, haec afflicti variis necessitatibus quattuor annorum spatio[3], quia omnes adesse non possunt, per me reposcunt a vobis. Ut ipsa etiam eorum verba sciatis[4], dicunt iniustum esse,

---

a) *post* fructuum *ras. duorum vocabulorum.* b) regionem li *2 m. add.* c) *ras. post* cur-. d) studiosisme si *2 m. add.* e) sufficerint *m. 2 corr. in* suffec. f) cubio *corr. in* cupio.

52. a) *Lemma:* Pręposito. b) *in marg. not. tir.* mirum.

53. a) *Lemma:* Ad domnum regem K[arolum]. b) vos *corr. in* vobis.

1) *De conventu regum cf. supra ep. 50 p. 55.* 2) *Haec epistola eodem tempore scripta est ut supra ep. 45.* 3) *inde ab anno 841.* 4) *Cf. supra ep. 43 p. 51:* Siquidem generalis religiosorum adsertio est *etc.*

ut a vobis fame torqueantur et frigore, cum assidue pro vestra temporali et perpetua 841—862
salute cogantur orare, nec vos omnino consecuturos felicitatem quam desideretis, donec cum parvulo[a] nostro sancto Petro in gratiam amicitiae redeatis. Ac ne putetis eos iocari, serio confirmant senes nostri experimento se proprio comperisse idque sibi pueris a senibus esse traditum, quod quicumque monasterio nostro insigne aliquod intulerit damnum, nisi cito resipuerit, magnum incurrerit incommodum aut sanitatis et vitae pertulerit dispendium[b]. Ne igitur tali re aut similibus vestram impediatis prosperitatem, nec servorum Dei penuriam contempnatis nec salutem vestram dubiam faciatis. Reddite potius Deo vota vestra, dum potestis; ad cuius iudicium nimis tremendum cotidie properatis nobiscum, in quo absque respectu dignitatum aut personarum unusquisque recipiet quod meretur. Vita haec brevis et incerta est et iuniores[c] vobis cotidie moriuntur. Ipse vero Deus promittit et minatur: 'Qui glorificat[d] me, glorificabo eum[1]; qui autem contempnunt me, erunt[e] ignobiles'. Ad virilem aetatem perducti estis. Ne timeatis iustitiam facere, ut per eam thronus vester firmetur. Domine mi rex, considera, quod, sicut nuper in exhortatione prudenter dictum est[2], iam pater es[3] et in magnis adhuc versaris laboribus; et talem te omnibus exhibe, ut boni te cupiant et optent videre fortunatum atque felicem avum et post huius vitae transitum caelestis patriae possessorem. 1. Reg. 2, 30.

54.

Lupus Ferrariensis abbas necessarium quendam laudat, quod inimicum strenue repulerit, eosque quos praefecerit in fide ab eo confirmari iubet. *841—862.*

Edd. Desd. 64.

Non[a] ignorabam, haud aliter te quam volebam quamque oportebat facturum et maleficia illius perditissimi maxima ingenii auctoritate praeventurum. Unde et tibi gratulor et omnipotenti Deo, si non dignas, certe quantas possum, et ago et habeo gratias, qui sic me necessariis aliqua in parte destituit, ut tamen hoc dispendium fidissimi devotione suppleret. Nec vero[b] ille impudenter inimicus solum cavendus et eludendus est, verum et hi, quos nuper dubitando praefeci, tua semper[c] industria confirmandi, ut dicto audientes existere contendant nec sibi ullatenus reniti tutum[d] arbitrentur. Vul.[e] noster, cum redierit, forsitan tibi metum detrahet. Interim sine pavere ingratos.

55.

Lupus Ferrariensis abbas, qui II. Kal. Dec. ad comitatum Karoli regis Odulfo comite aegrotante accesserat, Marcwardum Prumiensem abbatem, ut pro recuperanda cella S. Iudoci regem adeat, precatur. *846 Dec. m.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 497—498; Desd. 55.

---

a) *an* patrono *legendum? Quia monasterium Ferrariense dicatum est sancto Petro.* b) disperendium. c) iunioris 2 *man. corr. in* -res. d) glorificant n 2 *man. del.* e) e. i.

54. a) *Lemma:* Necessario. b) *iter. in marg. not. tir.* c) seper *corr. m. 2* semper. d) *corr. ex* tudum *m. 2.* e) vultus *Bal. male supplendo, an* Vulfegisus *legendum? cf. ep. 56:* Vulfegiso nostro.

1) *Hic locus saepius a Lupo laudatur, cf. p. 41. 64 epp. 33. 64. 97.* 2) *haec exhortatio eadem fortasse est, quae infra p. 63—65 editur sub hoc nomine sed de patre nihil continet.* 3) *Iudith Karoli filia natu maxima iam anno 843. nata est, cf. Dümmler Gesch. des Ostfränk. Reiches I, 416.*

846 Dec. m. DESIDERABILI[a] MAXIMAQUE VENERATIONE SUSPICIENDO MARC[WARDO] ABBATI[b] CLARISSIMO L[UPUS] PRAESENTEM ET FUTURAM SALUTEM.

Nithadi[1] adventus ad Silvacum[2], quo me monasterii necessitas traxerat, vehementer[c] me laetificavit (cuius praesentia factum est, ut hae litterae vestrae paternitati redderentur), cum vos esse sospites et communem filium Eigilem[3] ex validissima infirmitate, opitulante favore divino, revaluisse ostendit. Tantam siquidem expertus sum vestram benivolentiam et liberalitatem[d], ut nemini[e] quam vobis me maiorem debere sentiam devotionem. Verum, quamquam[f] temporis malitia obstiterit, ne possem hactenus[g] obsequiis pandere quod merito concupisco, bonitate vestra praefisus audeo supplicare, ne ad regem nostrum venire gravemini, quia et res vestras forsitan recuperare poteritis et nobis in recipienda cella sancti Iudoci prodesse plurimum; super qua et vobis iam et mihi saepissime et Adhal[ardo][h][4] nuperrime tam serio promisit, ut, si adesse dignemini, dilationis nullum possit invenire perfugium. Ita et rei discrimine terrebitur, quod et peregrinis nobisque monachis a suo patre et matre relicta stipendia sustulit, et promissionum suarum serie constringetur, ut saltem tunc faciat, quod olim se facturum spopondit.

Pridie Kalendarum Decembrium ad comitatum accessi[5] et ingentibus dispendiis atque laboribus cum rege versor assidue spes meas differente propter absentiam[i], ut fatetur, Odulfi[6]. Is languere dicitur nec tam periculose, ut vel admonitus corrigatur, quod optaremus, nec tam graviter, ut moriatur, quod propter eius certissimam damnationem doleremus. Properate itaque, ut, quoniam propiores aliquantulum facti sumus[7], post tanta spatia desideratis refovear alloquiis et vestro annisu, auctore divina gratia, liberer angoribus vix ferendis.

Tales, quaeso, nostris estote pueris[8], quales non modo nostris, verum[k] etiam vulgo fuistis omnibus paternitatem vestram pie[l] quaerentibus. Exiguitatis meae nomine carissimum Eigilem et reliquos[m] omnes fratres dignamini salutare.

Laboriosissimum difficillimo tempore negotium, praesertim nihil meritus, vobis imponere haudquaquam praesumpsissem, nisi, quod rex noster vos ad colloquium invitaret, comperissem[9], adeo ut mihi quoque hoc tempore praeceperit, ut, si forte ad monasterium nostrum accederetis, ad se vos deducendos curarem; utque licentiam impetraturi[n], inter alia commode imperatori[o][10] suggerere possetis a me fratribusque nostris, qui pro eo semper oremus, vos precibus fatigari, ut (quoniam de loco nostro sitis[11], a quo vos corpore dumtaxat ecclesiastica utilitas abduxerit, isque diminutione[p] facultatum vehementer[c] attenuetur atque religioni paupertas impedimento sit) intercessionis opem instaurationi eius impensissimo studio conferatis.

Vale, domine paterque carissime, Lupique tui semper benigne memineris.

---

55. a) *Lemma:* Ad Marcwardum abbatem. b) bb. a *add. m. 2.* c) veheementer *corr. in* vehem. d) liberabilitatem. e) emini n *add. in ras. m. 2.* f) quanquam. g) *corr. ex* actenus *m. 2.* h) ad.hal. i) b *add. in ras. m. 2.* k) *ex* vero *corr. m. 2.* l) piae a *del. m. 2.* m) *ex* relico *corr. m. 2.* n) a *in fine erasum.* o) imp̄. p) dimminutione.

1) *Cf. ep. 72:* fratris Nithardi, *Prumiensis monachi ut videtur.* 2) *in pago Laudunensi, nunc Servais, cf. infra p. 59:* ad Silviacum n. dirigite. 3) *Cf. epp. 70. 72.* 4) *Cf. ep. 88: Adalhardus comes, vir potentissimus, avunculus fuit Irmintrudis reginae.* 5) *anni, ut opinor, 846., cf. infra p. 60:* cum rege quartum ago mensem. 6) *eum exspectatum esse dicit L. supra p. 51.* 7) *Silvaci scilicet.* 8) *Lupi nepotem et duos alios pueros nobiles Prumiam missos, de quibus agunt epp. 60 et 91 infra.* 9) *colloquium regum ad Marsnam prope Traiectum dicere videtur cf. supra p. 55. 56.* 10) *Lothario I, ad cuius imperium Prumia pertinebat.* 11) *Itaque Marcwardus fuit primo monachus in monasterio Ferrariensi, dein abbas Prumiensis. BAL.*

56.

Lupus Ferrariensis abbas Ratberto Corbeiensi abbati de quodam Ivone monacho perverso scribit a Karolo rege repulso. Piscium donum ab eo exspectat. 841—851. 841—851.

Edd. Bouquet, Recueil VII, 498; Desd. 58.

BONIS[a] OMNIBUS AMPLECTENDO R[ATBERTO][1] L[UPUS] IN DOMINO SALUTEM.

Habita diligenter oportunitatis ratione, suggessi domino regi[b], annitente Vulfegiso nostro, super Ivone[2] id vos postulare, ut, quoniam nec ad monasterium remeasset et verisimile esset eum quae fuerit solitus iterare, si quando reverti temptaret, ne in sui aliorumque perniciem[c] potestatis eius praesidio muniretur. Siquidem esset indignum eius maiestate, nisi resipiscentibus, perversis aperire accessum, nedum impunitatis indulgere securitatem. Ille[3], quo solet vultu cum gratiosus apparet, post quaedam alia, iure se ipsi monacho deinceps negaturum auctoritatis aditum respondit, quo hactenus[d] uti contempserit, atque hoc sibi satius videri, ne pereat, ut constringatur convenienti custodia, priusquam societatis communionem recuperet. Nos vero, tametsi offerret, quae sperare vix omnino possemus, idque, ut par[e] erat, amplecteremur, vos nec citra decretum regulae[4] subsistere nec ultra velle progredi constanter astruximus.

De liberalitate[f] vestra quid sentiam, nolui praecipiti declarare praeconio, donec experirer, an copia piscium, quae ventura erat cum maxima, tum etiam, ut opinabar, optima, mei supergrederetur ingenioli facultatem.

57.

Lupus Ferrariensis abbas Ratberto Corbeiensi abbati de quodam viro ab eo reconciliato scribit. Ad Silviacum cum venire cupit ad secreta negotia cum eo tractanda. 846—847.

Edd. Bouquet, Recueil VII, 498—499; Desd. 56.

DILECTISSIMO[a] ABBATI RATBERTO LUPUS OMNIMODAM SALUTEM.

Quod flagitastis, exequi absque dilatione[b] contendi; evolutisque ratiocinationibus multis ad hanc virum compuli condicionem[c], ut non modo noceat nihil, verum etiam prosit plurimum, si erga eius propinquum, qui tempore tumultus discessit et instaurata pace reverteretur, benigni extiteritis. Id vos et libenter facturos et in omnibus, quae iubere dignaretur, obsecuturos, dum eius gratia frueremini, fiducialiter spopondi; atque eo usque institi, donec firmissime promitteret, nihil se vobis offecturum, nisi prius mecum causam conferret. Itaque modum petitionis meae hoc fine terminavi, ut si quando rebelles eius favore suas querelas fulciri deposcerent, non vulgo adquiesceret, verum res dumtaxat dignas vestrae conscientiae reservaret.

Quaedam alia comperi tam caute revelanda, ut ea litteris comprehendere tutum non putaverim, tamque necessaria cognitu, ut quam potestis celerius, praetenta qualibet alia utilitate, mihi ad colloquium occurrere debeatis. Ceterum, nisi iam molestum sit, profecturo mihi cum rege, si Deus vult, ad Silviacum N.[d] dirigite[5], ut, cum gratias agere coepero, uberius dicendi copia frustra conantem plurima non destituat.

---

56. a) *Lemma:* Ratberto abbati. b) *ex* rege *corr. m. 2.* c) *ex* perneciem *corr. m. 2.* d) h *add. m. 2.* e) *in marg. iter. not. tir.* f) liberabilitate.

57. a) *Lemma:* Eidem. b) dilationem m *eraso.* c) *ex* conditionem *corr. m. 2.* d) *Baluzius legit* nuncium, *sed nescio, an nomen potius sub* n. *lateat.*

1) *De Ratberto notissimo, qui ante a. 853. abbatis munere se abdicavit, v. Poet. Carol. III, 39. 747.* 2) *fratre Corbeiensi, cf. Libri confraternit. ed. Piper p. 289 II, 453, 35 (Tr.).* 3) *scil. rex.* 4) *Bened. reg. c. 29.* 5) *Cf. supra p. 58. Haec ad illud tempus referenda esse videntur, quod Lupus in comitatu regis degit.*

846—847 Ut vero epistolam serio claudam, obsecro[a], ne sim vobis oneri, quod nimiae familiaritatis fiducia multa postulo, quia si vitam et prosperitatem Deus mihi concesserit, non sum nunc ad accipiendum paratior, quam quondam[b] ad largiendum esse curabo.

58.

Lupus Ferrariensis abbas Ratberto Corbeiensi abbati se Karolo regi, quae ille petierat, quam primum suggesturum esse nuntiat. *846—847.*

Edd. Desd. 57.

Quod[a] petistis, necdum regi suggessi, quod oportunitas defuit. Maturabo tamen vobis, cooperante Deo, morem gerere, communi honestate servata.

Bene valete.

59.

Lupus Ferrariensis abbas per quattuor menses cum rege versatus ac secunda quadragesimae hebdomade cum eo Traiectum ad colloquium regum iturus, ut Marcwardus Prumiensis abbas ibidem quoque adsit, petit. *847 Febr. m.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 500; Desd. 66.

Non[a] ignoratis, credo, reges nostros apud Traiectum[1] ebdomade secunda quadragesimae[2] celebraturos colloquium, quo me trahit ecclesiastica necessitas[3]. Qua urgente, ut vobis iam aliis expressi litteris, cum rege quartum[b] ago mensem[4], ita ut ne die quidem a comitatu afuerim. Praebeat igitur se mihi saltem illic desiderabilis vestra paternitas, ut nostra familiariter viva tamen voce valeamus cognoscere. Si quid[c] praeterea, ut passim soletis omnibus, nobis quoque facultas fuerit impendere, libenter nos accepturos cognoscite. 'Debent enim parentes thesaurizare filiis'[5], ut fallere nescia[6] divini Spiritus confirmat auctoritas.

2. Cor. 12, 14.

Benigne mei memores cupio vos valere feliciter.

60.

Lupus Ferrariensis abbas se Marcwardum Prumiensem abbatem non vidisse vehementer dolet: Attiniaci in synodo se eum visurum esse sperat: cellam S. Iudoci se nondum adeptum esse. De libro Ratlegii abbatis sibi reddendo et de pueris Prumiae erudiendis addit. *847 Mart. m.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 500—501; Desd. 67.

CARISSIMO[a] PATRI M[ARCWARDO] L[UPUS].

Officiosa humanitas vestra vicit petitionem meam, quae leviter tetigit, quod temporis poscebat necessitas. Proinde fuit ea gratior, quam aestimare valeant aerumnarum

---

a) c *in ras.* b) *corr. ex* condam *man. 2.*

58. a) *Lemma:* Eidem.

59. a) *Lemma:* Ad Marcwardum abbatem. b) *ex* quarto *corr. m. 2.* c) *in marg. not. tir.* rationabilis petitio.

60. a) *Lemma:* Ad eundem.

1) *De hoc conventu cf. supra p. 55. 56. 58.* 2) *Caput ieiunii incidit a. 847. in 23. Februar. mens., secunda ergo quadragesimarum hebdomas a 27. Febr. m. usque ad 5. Mart. m. patuit.* 3) *Cf. supra ep. 55:* quo me monasterii necessitas traxerat. *Sine causa Ebert (Gesch. der Literat. des Mittelalt. II, 205) Lupum Karoli adiutorem in rebus ecclesiasticis fuisse ex hoc loco collegit.* 4) *Tres menses tantum fuerunt usque ad finem Februarii mensis, sed computat etiam Novembrem mensem, quo exeunte ad regem venit.* 5) *Hunc locum laudat etiam in ep. 103.* 6) *Cf. Georg. II, 467.*

expertes. Molestissime autem fero, quod vobis non visis discedo, quamquam[a] consoletur meam maestitiam, quod post pascha[1] nostram vos visitaturos pollicemini parvitatem. Commode autem et me praesente id vos facturos puto, si secunda ebdomade mensis Maii[b 2] iter ad nos arripiatis. Namque quinto decimo die post pascha[3] synodus magna, ut aiunt, apud Atiniacum celebrabitur, cui me abesse nequaquam, ut credo, nostri praesules patientur. c. 849

De cella nostra[4] nihil aliud paternitati vestrae possum exprimere, nisi quod promissionum ubertas spes[c] nobis varias paene cotidie pariat et quod, sicut omnium, praeter malorum, illius quoque rei effectus incertus sit.

Abbas monasterii, quod Germanice Saligstat appellatur, cui nomen est Ratlegio[5], partem quandam cuiusdam libri faciet mihi describi eamque vestro mihi reddendam, nuntio se traditurum promittit; atque obsecrat, ut tabulas, quas Hilper.[d] pictor beatis vovit martyribus[6], ebdomada secunda post pascha[7] ipsi dirigere dignemini. Quod etiam causa petitionis meae vos maturare cupio, ut, cum ad nos veneritis, praefatam partem ipsius libri nobis afferendam curetis.

In pueris[8] multum nobis praestiteritis, si quod coepistis paterna pietate[e] non gravemini consummare. Capitis autem dolorem nepoti meo[9] parcitas potus forsitan detrahet, si eius appetentior fuerit deprehensus. Alioqui nostro curandus reservabitur medico, qui omnes, quarum nullam non ignorat, depellere se posse confidit infirmitates.

Integerrime vos amans felicissime valere desidero et, ut me semper apud Deum praecipue iuvare dignemini, supplex efflagito[f].

61.

Lupus Ferrariensis abbas ex cella S. Iudoci recuperata Guigmundo Eboracensi archiepiscopo amicitiam offert eamque ab eo expetit. *c. 849.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 502; Desd. 75.

REVERENTISSIMO[a] MAGNAQUE VENERATIONE SUSPICIENDO GUIGMUNDO,
EBORACENSIS ECCLESIAE ANTISTITI[10] CUNCTISQUE SUB EO DOMINO DEO FAMULANTIBUS
L[UPUS] ABBAS ET UNIVERSA COENOBII FERRARIENSIS CONGREGATIO
IN DOMINO SALUTEM.

Ingens fluxit spatium temporis, quod, perturbationibus[b] variis crebrescentibus, societas, quae a praecessoribus nostris auctore Domino inita est, nulla praeter orationes protulit indicia caritatis. Nunc autem aperiente se gratia pacis et recepta cella sancti Iudoci, unde et haec scribimus, curavimus, ut par fuit, priores certare officio vosque sive ad repetendam sive ad declarandam amicitiam provocare. Ac primum illud ante omnia suppliciter poscimus, ut et in privatis et in publicis precibus nostri memores esse dignemini. Deinde volumus, ut vicissim nobis praestare studeamus, quicquid gratiosum fore litteris utrimque directis constiterit[c] et facultas permiserit.

---

a) quanquam. b) mai. c) *in marg. not. tir.* spes varias. d) *In marg. adscr. m. 2:* mentio Hilper̄ pictoris; Hilpericus *scr. Bal.* e) piaetate a *del. m. 2.* f) *corr. ex* effragito *m. 2.*

61. a) *Lemma:* Ad Guigmundum Eboracensem episcopum. b) per- *add. m. 2.* c) ti *add. m. 2.*

1) *pascha a. 847. die 10. Apr. m. celebrabatur.* 2) *i. e. diebus 8.—14. Maii mensis.* 3) *i. e. 25. Apr. m. Non arbitror tamen eam synodum fuisse habitam. BAL.* 4) *sancti Iudoci.* 5) *Ratleicus, quondam Einhardi notarius, praefuit monasterio a. 840—854, cf. EE. V, 502.* 6) *id est sanctis Marcellino et Petro, quorum sacrae reliquiae exstant in basilica monasterii Seligenstadensis, illuc delatae cura Einhardi. BAL.* 7) *i. e. diebus Aprilis 17.—23.* 8) *de quibus iam supra p. 58 egit.* 9) *filio Guagonis cf. ep. 91.* 10) *a. c. 837. vel 838—854.*

c. 849 Maturate igitur vestram nobis pandere voluntatem, ut et ad morigerandum vobis continuo praeparemur et fructu dilectionis dominus Deus noster glorificetur ac delectetur. Cupio vos valere feliciter, amantissimi patres.

62.

Lupus Ferrariensis abbas ex cella S. Iudoci recuperata Altsigo abbati Eboracensi amicitiam offert, Hieronymi et Bedae quaestiones in utrumque testamentum, Hieronymi commentarium in Ieremiam, Quintiliani Institutionum libros per Lantramnum a se describendos expetit. *c. 849.*

Edd. Desd. 76.

VENERABILI[a] ALTSIG[O] ABBATI L[UPUS] MONASTERII BETHLEHEMITICI SIVE FERRARIENSIS IN DOMINO SALUTEM.

Ingenti clementia Dei nostri discordiae peste mitigata[1], quae totas Gallias Germaniamque hactenus[b] vexavit atrociter, inter ipsa pacis exordia foedus, quod inter nostram vestramque olim fuit ecclesiam, directis ad reverentissimum Guigmundum episcopum litteris[2] studui renovare. Quia vero vos amore sapientiae, cuius et ego sum avidus, flagrare comperi, vel secundum illud Tullii[c 3], 'pares ad pares facile con-
Eccli. 13, 19. gregantur' vel iuxta receptae scripturae assertionem, 'omne animal diligit sibi simile, sicut[d] omnis homo', hac epistola meam offero et vestram expeto amicitiam, ut nobis vicissim cum in sacris orationibus, tum etiam in quibuslibet aliis utilitatibus prodesse curemus.

Atque ut, quod polliceor, vos exequamini priores, obnixe flagito, ut quaestiones beati Ieronimi, quas[e], teste Cassiodoro[4], in vetus et novum testamentum elaboravit, Bedae quoque vestri similiter quaestiones in utrumque testamentum itemque memorati Ieronimi libros explanationum in Hieremiam, praeter[f] sex primos, qui apud nos reperiuntur[5], ceteros qui secuntur; praeterea Quintiliani[g] Institutionum oratoriarum libros XII per certissimos nuntios mihi ad cellam sancti Iudoci, quae tandem aliquando nobis[6] reddita est, dirigatis tradendos Lantramno, qui bene vobis notus est, ibique excribendos vobisque, quam poterit fieri celerius, remittendos. Quod si omnes non potueritis, at aliquos ne gravemini destinare, recepturi a Deo praemium impletae caritatis, a nobis autem quamcumque (possibilem dumtaxat iusseritis) vicem tanti laboris.

Valete nosque mox, ut se oportunitas optulerit, exoptabili responso laetificate.

63.

Lupus Ferrariensis abbas Prudentio Trecensi episcopo de legatione scribit, quam iussu regis per Burgundiae pagos ei suscipienda erat. *844.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 485—486; Desd. 31.

---

62. a) *Lemma:* Ad Altsig. abbatem *(an* Aelfsige*?).* b) actenus h *add. m. 2.* c) *in marg. not. tir.* dictum Tullii. d) sicut *ex* sic *corr. man. rec.* e) quas—libros *in marg. m. 2 adscripta sunt.* f) r *in ras. add. m. 2.* g) quinti. L. instit. or *(cf. infra ep. 103).*

1) *an conventu Marsnensi?* 2) *supra ep. 61.* 3) *De senectute c. 7.* 4) *Cassiod. de instit. divin. litterar. c. 1, Opp. ed. Garet II, 539. 'Mais il ne nous reste pas d'ouvrage de St. Jérôme intitulé Quaestiones in N. T.' Desdevises.* 5) *Cf. Hrabani epistolam ad Lotharium imperatorem datam, EE. V, 443.* 6) *ex epistola 51 constat nondum Lupo redditam cellam S. Iudoci, quo tempore reges ad Traiectum conventuri erant. BAL.*

CARISSIMO[a] SUO P[RUDENTIO][1] L[UPUS] IN DOMINO SALUTEM. c. 843—844

VII. Id. April. Heribaldus episcopus[2], paulo ante regressus a rege, mandavit mihi ex praecepto eiusdem regis, ut, quoniam se ipse legationis functione absolvisset, eandem nos strenue[b] ac celeriter exequeremur, ut in conventu generali memoratus rex de singulis locis posset certior fieri. Itaque, quia[c] et tempus appropinquat nec sine difficultate, maxime propter equorum pabulum, colloqui possumus nec vero ante copiam herbae, quod iubetur inchoare, et valitudinem vestram et quid super hac re vobis placeat continuo directis litteris declarate.

Ut autem hinc meam sententiam vobis aperiam, supervacuum iudico loca[d], quorum statum iam perspeximus, iterum adire, quando nulla sit correctio subsecuta et in Aurelianensi ac Senonico et vestro ac nostro pago restent quaedam coenobia[e], in quibus tempus interim terere possumus, ut sicut in aliis locis, ita et in his etiam emendanda per nos rex cognoscat. Et ne in legatis eius ipsius iussio contemnatur, si voluerit, sanciat[f]. Quanti enim simus habiti, immo ipse qui nos miserat, nobis impensus honor patefecit et monasteriorum instaurata religio. Proinde antequam legationem[3] adoriamur, regi per me de his, quae videbuntur, suggerere statui et tractorias accipere et tunc favente Dei gratia proficisci. Vicissim ergo sensum vestrum litteris exprimite, ut optimum factu[g] ex utriusque ingenio colligatur. Illud autem non vos fugiat, quantumcumque in hac legatione laboraverimus, nec nobis nec hominibus nostris aliquid remittendum, quin agamus quod ceteri, si motus his, qui actenus vexarunt, extiterint similes.

64.

Lupus Ferrariensis abbas Karolum regem iam maturum ad virtutem adhortatus monet, ne consiliariis nimium tribuat. *c. 843—844.*

Edd. Baronius, ann. 850 n. 8—10; Bouquet, Recueil VII, 505—506; Desd. 41.

Ut[a] pacifice feliciterque regnetis, observanda vobis[b] fideli devotione collegi. Creatori vestro Deo et iudici futuro gratias habete semper et agite, qui vos hactenus[c] malis pluribus liberavit et bonis multiplicibus exornavit; utque vobis initium, profectum atque perseverantiam[d] in bonis actibus largiatur, cotidianis precibus flagitate. Cum essetis parvuli, loquebamini ut parvuli, sapiebatis ut parvuli. Nunc autem ad virilem perducti aetatem[4], secundum eundem apostolum, in quo evidenter[e] Dei spiritus loquebatur, evacuate quae fuerunt parvuli. Scilicet stulta quaeque atque inania declinantes, rationabilia, praesenti et futurae saluti profutura, sectamini. Quae[f] agenda sunt prospicite diligenter et retractate subtiliter, communicato consilio cum Dei vestrisque perfecte fidelibus, quia, ut divinum nos instruit[g] eloquium, 'qui sibi nequam est, cui bonus erit?'. Nec vos cuilibet ita subiciatis, ut ad eius arbitrium omnia faciatis[5]. Cur enim regium nomen praetenditis, si regnare nescitis? Ut pace cunctorum dixerim,

1. Cor. 13, 11.

ib. 11.

Eccli. 14, 5.

---

63. a) *Lemma:* Ad Prudentium episcopum. b) strenuę *corr. in* strenue. c) a *add. m. 2.* d) *ex* loco *corr. m. 2.* e) o *add. m. 2.* f) santiat *corr. in* sanciat. g) *ex* facto *corr. m. 2.*

64. a) *Lemma:* Exortatio ad regem Karolum. b) *ex* nobis *corr. m. 2.* c) actenus h *add. 2 m.* d) perseverentiam. e) *corr. ex* ęvid. f) *in marg. not. tir.* Nota hanc exhortationem cum sententiis suis. g) intruit s *add. 2. m.*

1) *a. 843(?)—861, de quo cf. Vita S. Frodoberti (Mabillon, Acta SS. saec. II, 636) c. 26:* Erat per id tempus praefatae sedis antistes Prudentius nomine natione Hispanus, pontificalis vitae institutione clarissimus, rebus undecumque non mediociter eruditus. 2) *Autissiodorensis.* 3) *Cf. supra ep. 32 p. 40, unde anno 844. hanc legationem susceptam esse patet.* 4) *Cf. supra ep. 53 p. 56.* 5) *an Adalhardo comiti? cf. Nithardi histor. l. IV c. 6.*

c. 843—844 non expedit vobis et populo, ut aliquem vobis aequetis, nedum praeponatis, quoniam
Eccli. 33, 20. 22. Deus, qui scit, quid sit in homine, praemonet, ne des potestatem filiis tuis in vita, quia melius est, ut illi te deprecentur quam tu illos. Si filiis hoc non est concedendum, quanto minus aliis? Vicem vos gerere[a] Dei quis ignorat? At ipse dicit: 'Gloriam meam alteri non dabo'. Non admittantur ergo a vobis monitores, quos baiulos vulgus appellat[1], ne gloriam vestram inter se ipsi partiantur et meliorum amorem alienent
cf. Act. 10, 34. a vobis. Imitatione Dei nolite personaliter iudicare, sed in eadem causa dives, mediocris et pauper[b] eundem vos sentiat, ut sit, quod potentes terreat et quod mulceat non resistentes. Bene semel gesta numquam nisi in melius immutaveritis, ut fidem vestram atque constantiam cuncti mirentur. Fugite levitatem, morum maturitatem apprehendite[c], ut vestra probitas cunctis possit prodesse subiectis. Vitate malo-
1. Cor. 15, 33. rum societatem, quoniam, ut scriptum recolitis, 'corrumpunt mores bonos colloquia
Ps. 17, 26. 27. mala'.[2] Amplectimini bonorum collegium, quoniam 'cum sancto sanctus eris et cum viro innocente innocens eris. Et cum electo[d] electus eris et cum perverso perverteris'.
Ps. 100, 6. 7. Et apud eundem regem et prophetam pulcherrime dicitur: 'Ambulans in via inmaculata, hic mihi ministrabat[e]. Non[f] habitabit in medio domus meae, qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum'.

Ne metuatis potentes, quos ipsi fecistis et quos, cum vultis, extenuare potestis[3].
Ps. 145, 2. 3. 'Nec confidatis in principibus, in filiis hominum, quibus non est salus', sed transferte
ib. 6. 7. spem vestram ad Deum, 'qui fecit caelum et terram, qui custodit veritatem in seculum'. Concipite honestam[g] veritatem, ut, quod vos non decet praestare, nemo scienter a vobis audeat postulare[4]. Cogitate multa, nec dicatis omnia, quia vel iuxta divinam
Prov. 21, 23. scripturam 'qui custodit os suum, custodit ab angustiis animam suam', vel iuxta secularem litteraturam[h 5]: 'Quod occultum velis, nemini dixeris. Quam non poteris ab alio exigere silentium, quod tibi ipse non praestas'. Et: 'Non potest vox missa reverti'.[6] Communem utilitatem et oportunitatem omnium carissimam vobis omnes intellegant, ut certatim omnes sibi vos praeferre contendant. Divinas et humanas leges, iustas dumtaxat, nemo sinatur contempnere, quia malorum impunitas vitiorum semper peperit
Eccli. 10, 9. incrementum. Humilitas cuncta opera vestra venustet, quia scriptum est: 'Quid
ib. 3, 20. superbit terra et cinis?' Et: 'Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram
Matth. 11, 29. Deo invenies gratiam'[8], et ipse redemptor noster admonet: 'Discite[i] a me, quia mitis[k] sum et humilis corde, et invenietis[l] requiem animabus vestris'[9]. Elemosinis assiduis
Eccli. 30, 24. Deum vobis placate secundum illud: 'Miserere animae tuae placens Deo', quia, ut sacrae
Tob. 4, 11. continent litterae, 'helemosina a morte liberat et non patitur animam ire[m] in tenebras'.
Luc. 11, 41. Salvator quoque hanc ita commendat: 'Date elemosinam, et omnia munda sunt vobis'.
1. Reg. 21, 30. Glorificate Deum in omnibus, quoniam ipse testatur: 'Qui glorificat[n] me, glorificabo eum;

---

a) gegere *corr. in* gerere. b) ppup *corr. in* pauper. c) adprehendite p *superscr. m. 2.* d) el. e. et c. p. p. e) ministrabant *corr. in* -bat. f) n. h. i. m. d. m. qui f. s. qui l. i. n. d. in c. o. m. g) *ex* honeste *corr.* h) -ruram *corr. in* -turam. i) *corr. ex* disce *m. 2.* k) mittis. l) inv. r. a. v. m) *ex* irae *corr.* n) glorificant n *m. 2 del.*

1) *Cf. Hincmari epist. ad Carol. III imper. c. 2 (Opp. ed. Sirmond II, 186):* regibus nostris maturos ac prudentes atque sobrios baiulos singulis constituite, *ibid. c. 6. 7 p. 187. 188; Waitz, Verfgesch. III, 537.* 2) *Hunc locum laudat etiam Conc. Vernense c. 12 (Capitul. reg. Francor. II, 386):* Tu autem, clarissime rex, quia verissime scriptum est: Corrumpunt *etc.,* fuge perversorum consortia et consilia. 3) *Conc. Vern. l. l.:* Nec timeas iratos homines; *ep. 45 supra p. 53:* Nec trepidetis timore, ubi non est timor. 4) *Conc. Vern.:* nec a te quisquam petere audeat, quod maiestatem tuam praestare non deceat. *BAL.* 5) *Proverbia Senecae (Publilii sentent. ed. Wölfflin p. 101 v. 75sq.):* Quod tacitum esse vis, nemini dixeris, quia non poteris ab alio exigere silentium, si tibi ipse non praestas. 6) *Hor. de art. poet. 390:* nescit vox missa reverti *(in proverbium venit).* 7) *Lup. de trib. quaestion. (p. 210 ed. Baluze):* Et quoniam spes impunitatis magna est peccandi illecebra. 8) *Cf. eundem locum supra ep. 41 p. 49.* 9) *Cf. supra ep. 29 p. 34.*

qui autem contempnunt me, erunt[a] ignobiles'[1]. Rex etiam et propheta eximius sic sibi Deum praeponit: 'Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini[b] tuo da gloriam'. 842—862 Ps. 113, 1.

Haec studiose custodientes, Deo et bonis quibusque placebitis; rebelles, Deo ut credimus pro vobis pugnante, comprimetis atque vincetis[2], et post regnum temporale atque laboriosum consequemini[c] sempiternum et vere quietum.

65.

Lupus Ferrariensis abbas monachis se ex inimicis triumphum deportavisse nuntiat. *842—862.*

Edd. Desd. 37.

DILECTIS[a] FRATRIBUS SUIS LUPUS ABBAS IN DOMINO SALUTEM[b].

Flagrante cupiditate hostes nostri multa quidem conati sunt, sed protegente[c] nos Domino meritisque sanctorum spe sua deiecti sunt[3], eodemque opitulante numquam optatum sibi consequentur effectum. Quod vobis declarare studui, ut Deo et sanctis eius dignae gratiae referantur et recepta securitate mentes vestrae quietis gratia perfruantur.

66.

Lupus Ferrariensis abbas a Reginfrido episcopo, quem se visurum esse speral, Romam profecturus monetae Italicae argentum petit. *847—853.*

Edd. Desd. 84.

REVERENTISSIMO[a] PRAESULI R[EGINFRIDO][4] L[UPUS] IN DOMINO SALUTEM.

Profecturis Romam, transitum nobis fore haud longe ab urbe vestra didicimus; ubi vestram humanitatem, quam animo praecipimus, re ipsa cupimus experiri maximeque, cuius nobis penitus copia deest, Italicae monetae argento, quod solum usui futurum[b][5] interrogati concorditer quique confirmant. Conspectum quoque vestrum, favente Deo, nobis exhibebitis, ut officii[c] beneficium hac, ut decet, gratia cumuletis. Sane adventus nostri certum tempus praefigere non valeo. Tamen hunc futurum aut praecipiti aestate aut prima suspicor parte autumni.

Bene vos valere cupio.

67.

Lupus Ferrariensis abbas Romam profecturus se a W. quodam vel episcopo vel comite comiter receptum iri sperat. *847—853.*

Edd. Desd. 83.

---

a) e. i. b) n. t. d. g. c) ue *add. m. 2.*

65. a) *Lemma:* Fratribus quibus pręerat. b) s *(pro* salutem*) add. m. 2.* c) -gente *add. m. 2.*

66. a) *Lemma:* Ad Reginfridum episcopum. b) est nobis permutandi id *supplevit Masson non recte.* c) *ex* officium *corr. m. 2.*

1) *Cf. supra ep. 33. 51 p. 41. 57.* 2) *Hanc epistolam in initio regni Karoli a. c. 843—844. scriptam esse putaverim, non multo ante concilium Vernense.* 3) *Desderises (p. 101) hic Lupum captivitatem suam ac vota eorum, qui ei succedere voluerunt, irrita respicere coniecit, cf. ep. 92.* 4) *Cuiusnam sedis episcopus fuerit, non liquet. BAL. In vicinia Italiae quaerendus, sed minime, ut Marckwald (p. 54) voluit, cum Reginfrido Viennensi confundendus est, qui tempore multo posteriore vixit.* 5) *Cf. infra ep. 103:* Tempore decessoris vestri, b. m. Leonis, functus legatione Romae . . et ab eodem antistite exceptus benigne. *Lupi iter Romanum, ad quod duae etiam quae secuntur epistolae pertinent, inter annos 847. et 855. accidisse oportet et ante annum quidem 853., in quo Marcwardus abbas esse desiit. Num verba praefationis libri de trib. quaestion. (p. 207):* comperissem primum in Italia *illud respiciant, dubium est, cum Lupus fortasse de eis loquatur, quae solo auditu compererat.*

847—853 VENERABILI[a] V.[1] L[UPUS].

Necopinanti mihi, optanti tamen, videndi vos occasio sese optulit, quod ab urbe, quae in vestra cura et patrocinio requiescit, Romam proficiscentibus, quo ipse tendo, iter patere cognovi. Facite itaque, ut, positis aliis occupationibus, sincerae caritatis fruamur alloquiis et de praesenti utilitate et futura salute tractemus. Otiosum autem existimo praemonere, ut me iuvare his, quae usus poposcerit, studeatis, cum nihil derogare debeam vestrae prudentiae et liberalitati confidere plurimum. Peritiam ergo regionis, in qua versamini, affectumque patriae, in qua orti sumus, praestare nobis contendite. Transibo vero, si Deus vult, per vos, ut opinor[b], aut extrema aestate aut certe[c] primo autumno.

Cupio vos valere feliciter.

68.

Lupus Ferrariensis abbas Romam profecturus Marcwardum Prumiensem abbatem petit, ut ei quattuor vel certe duo saga papae offerenda atque equum huic itineri aptum dono det. *847—853.*

Edd. Desd. 82.

CARISSIMO[a] AC DESIDERANTISSIMO PATRI M[ARCWARDO] L[UPUS] PLURIMAM SALUTEM.

Orationis gratia et quarundam[b] ecclesiasticarum studio causarum, quas, Deo volente, reversus, cum vos videro, paternitati vestrae aperiam, Romam proficiscor. Et, quoniam in conficiendis rebus apostolici notitia indigebo, ea vero sine munerum intercessione iniri commode non potest[2], velut ad paternum, immo ad maternum gremium ad vos confugio supplicans, ut, sicut numquam mihi in ulla necessitate defuistis, ita in hac adesse dignemini mihique, si ullo modo potestis, per praesentes nuntios duo saga veneti coloris et totidem lintea, quae Germanice glitza[c] vocantur[3], dirigatis, quae illi comperi esse carissima atque gratissima[d]. Horum si fuerit vobis integritas ardua, nequaquam videbitur nobis ipsa medietas contempnenda. Namque[e] ita saeculari eruditione docti sumus[f], ut sperantes minora maiora poscamus[4]. Ac ne ingenio nostro latiorem defuisse materiam suspicemini, si equo tolutario[g 5] vel quolibet alio fortissimo, nostrum iter sublevaveritis, plurimum[h] nobis collatum esse ducemus. Sane nihil me optinuisse moleste non feram, si communicatis his litteris cum communi filio Eigile risum uterque vestrum tenuerit.

Cupio vos valere feliciter meique benigne memoriam gerere.

69.

Lupus Ferrariensis abbas ab Ansbaldo Prumiensi monacho, quem ob silentium reprehendit, Ciceronis Aratea describenda expetit, Ciceronis epistolis iam ab eo receptis. *847?*

Edd. Desd. 69.

---

67. [a]) *Lemma:* Ad W. [b]) opinior. [c]) aut certe *add. m. 2.*

68. [a]) *Lemma:* Ad domnum Marcwardum abbatem. [b]) *ex* quorundam *corr. m. 2.* [c]) *m. 2 adnot. in marg.* saga lintea glizza. [d]) atque grat. *suppl. m. 2 in marg.* [e]) *in marg. not. tir.* Nota modum petendi. [f]) *ex* doctissimus *corr. m. 2.* [g]) *m. 2 in marg.* Equus tolutarius. [h]) *ex* primum *corr. m. 2.*

1) *Hunc W Desdevises (p. 155 n. 2) miro errore archiepiscopum Senonensem fuisse ratus est, qui a Lupo semper Guenilo numquam Wenilo vocatur neque argumentum epistolae ad hunc metropolitanum eius quadrat.* 2) *Iam tum videlicet persuasum erat orbi nostro curiam Romanam esse munerum avidissimam, nihilque apud eam obtineri posse gratis, adeoque omnia Romae esse venalia. BAL.* 3) *glîza, cf. Weinhold, die deutschen Frauen im Mittelalter II, 228.* 4) *Cf. infra ep. 125:* recolite rhetoricae a nobis non improbari peritiam quae instituit, ut cum minora impetrare disponimus, maiora poscamus. 5) tolitarius est ambulatorius equus, *cf. Aynardi glossar. (Götz, Corp. glossar. lat. V, 624).*

DILECTO[a] SUO ANSBALDO[1] L[UPUS] SALUTEM. 844—847?

Moleste tuli, quod tanta oportunitate comperta, ut parcissime dicam, nihil mihi vel mandare vel scribere voluisti. Tamen, quamquam[b] curam nostri tam facile deposueris, quod in te reprehendo, ipse nequaquam imitabor, sed me[c] aspernantem pio complectar alloquio. Tullianas epistolas[d], quas misisti, cum nostris conferri faciam, ut ex utrisque, si possit fieri, veritas exculpatur. Tu autem huic[e] nostro cursori Tullium in Arato trade, ut ex eo, quem me impetraturum credo, quae deesse illi Egil noster aperuit, suppleantur.

Bene vale et tuis me semper orationibus protege.

70.

Lupus Ferrariensis abbas Marcwardo Prumiensi abbati de Egilis aegroti monachi adventu et itinere refert, cursorem suum ei commendat. *847?*

Edd. Desd. 68.

DESIDERANTISSIMO[a] ET INTEGRITATE VITAE MERITO SUSPICIENDO M[ARCWARDO] ABBATI L[UPUS] PERPETUAM SALUTEM[b].

Dignas vobis rependere gratias non valemus, sed non idcirco vel verbis id temptare non debemus. Siquidem inter alia, quae nobis iam plurima praestitistis, linguae vestrae[2] pueros nostros[3] fecistis participes, cuius usum hoc tempore pernecessarium nemo nisi nimis tardus ignorat. Itaque non istis gratam rem solum, verum etiam utilissimam nobis omnibus contulistis. Dilectissimum fratrem Egilem[4] et ceteros IIII. Non. Septembris laetus excepi. Sed, ut congruum curationi tempus impenderent, iusto celerius dimisimus, ea condicione[c] obstrictos, ut per nos, dum redierint, proficiscantur. Sumus enim de eorum sanitate et ipsorum et vestri causa vehementer solliciti.

Ceterum hunc[d] novitium cursorem nostrum vestrae sanctitati commendamus, omni genere conversationis professioni suae respondentem, nisi quod adhuc, credo propter timores nocturnos, solum cubare non potest.

Opto[e] vos valere feliciter meique semper paterno affectu[f] meminisse.

71.

Lupus Ferrariensis abbas a Karolo rege cellam S. Iudoci a Ludowico imperatore donatam et per triennium ablatam ob suorum penuriam vindicat. *844.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 489—490; Desd. 46.

Praecellentissime[a] domine mi rex, humiliter subplico, ut suggestionem tui devotissimi famuli digneris prudenter cognoscere et clementer tractare. Religiosissimus imperator Hludovicus, vestrae nobilitatis auctor, ad petitionem gloriosissimae memoriae

---

69. a) *Lemma:* Ad Ansbaldum. b) quanquam. c) me *add. 2 m.* d) Tullianae epistole *in marg. not. tir.* e) *ex* huc *corr. 2 m.*

70. a) *Lemma:* Ad Marcwardum. b) s (= salutem) *add. m. 2.* c) *ex* conditione *corr. m. 2.* d) *corr. ex* hinc *m. 2.* e) *corr. ex* Opta *m. 2.* f) *corr. ex* effectu *m. 2.*

71. a) *Lemma:* Ad regem Karolum ante recuperationem cellae.

1) *tunc Egilis socium, postea (inde ab a. 860) abbatem Prumiensem. Haec epistola eodem tempore scripta esse oportet quo et sequens.* 2) *i. e. Germanicae.* 3) *Lupi nepotem et alios duos cf. supra epp. 55. 60 p. 58. 61, infra ep. 91 p. 81.* 4) *qui valetudinis causa in Galliam missus est, cf. ep. 55 p. 58.*

844 Iudith Augustae, matris vestrae, cellam sancti Iudoci monasterio Ferrariensi contulit et suum donum praecepto firmavit[1], ut et monachi absque inopia in monasterio Deo servirent et in praefata cella hospitalitatem iuxta Dei timorem peregrinis inpenderent atque pro utriusque salute et prosperitate Deum delectabiliter exorarent. Eorum elemosinam primo benigne concessistis, novo etiam praecepto firmastis, sed postea ad persuasionem eorum, qui cum Dei offensione non timent ditescere, evacuata duplici elemosina, votum saecularium de memorata cella implere coacti estis. Quam[a] ob causam nunc Dei servi, qui pro vobis assidue orant, hoc triennio[b 2] consueta vestimenta non accipiunt et, quae ferre[c] compelluntur, attrita et pleraque resarta sunt[3], leguminibus empticiis[d] sustentantur[4], piscium et casei consolationem rarissime consequuntur, famuli debita indumenta[e] non accipiunt: quae[f] omnia[g] nobis ex praedicta cella ministrabantur, in qua intermissam transmarinorum curam aliorumque pauperum et neglectam sui culturam utinam vobis Deus non imputet. Me, praeter communem necessitatem et singularem laborem, gravissimus pudor onerat, quia id, quod alii abbates ad stabilitatem religionis munificentia imperiali consecuti sunt, ego quasi omnium vilissimus et inutilissimus amisi. Tamen spem gerens recuperandi meo servitio, quod nulla in vos culpa, ut Deus testis est, perdidi, maxime cum vestram promissionem inde teneam[5], quam fallere nefas est, imploro, quod iuste reposcimus ne ulterius differatis, sed continuo vobis nobisque[h] dignemini consulere, ut et Deum faciatis vobis propitium et nos ultimos famulos vestros reddatis ad intercedendum pro vobis omni tempore promptiores.

72.

Marcwardus abbas Prumiensis Didoni abbati S. Petri Senonensis monachos aegrotos curandos committit.

Edd. Desd. 70.

REVERENTISSIMO[a] ET PLURIMORUM[b] PRAECONIIS CELEBRANDO[c] DIDONI ABBATI[d] MARCWARDUS PLURIMAM SALUTEM.

Artis vestrae singularis peritia multorum ore pervulgata fratris Nithardi[7] potissimum relatione nobis innotuit: quo etiam referente comperimus passim vos accessum indigentibus[d] aperire et sempiternam usuram temporali aegrotantium remedio procurare. Unde, tametsi vobis adhuc sumus ignoti, non dubitavimus propter eiusdem religionis unitatem, cuius etiam vos observantissimos gratulamur, materiam praestandi nobis beneficii ultro proponere, parati vestrae opinatissimae[e] liberalitati modis, quibuscumque possumus, respondere. Namque et filii nostri[8], quos et vestros optamus, molestia corporis laborabant; quam aliquot adhibiti apud nos medici propulsare nequiverunt. Hos, Domino et vestrae caritati fidentes, curandos vobis offerimus, ut, per vos optatae sanitatis solatia recuperantes[f], auctori eiusdem nobiscum gratias referant et

---

a) *in marg. not. tir.* humilis et honesta imploratio. b) trienio. c) *alterum* r *add. m. 2.* d) *corr. ex* emptitiis *m. 2.* e) indumen- *corr. ex* interdum. f) *ante* quae et *deletum est.* g) omnia — cella *in rasura m. 1.* h) nobisque — vobis *addid. in marg. m. 2.*

72. a) *Lemma:* Ad Didonem ex persona Marcwardi. b) plurimorum *in ras. man. 1.* c) -ando *in ras.* d) *hic finit fol. 35 codicis, folio, quod olim lacerum sequebatur, nunc excisso: quae continuit ex parte editio princeps et cod. Bern. 147 nobis servaverunt.* e) *cf. supra ep. 22 p. 30 v. 27:* opinantissimam .. liberalitatem. f) temperantes *ed., corr. Tr.*

1) *De hoc praecepto deperdito cf. supra ep. 42 p. 50.* 2) *Haec epistola igitur ante epistolas 45 et 53 scripta est, in quibus iam per quadriennium cellam S. Iudoci desiderat.* 3) *Cf. ep. 42 p. 50 v. 6:* attritis atque scissis vestimentis. 4) *Cf. ep. 32 p. 40 v. 17* empticio frumento. 5) *Karoli praeceptum datum die 27. Dec. m. a. 843. (Lupi opp. p. 511).* 6) *a. 847—869, cf. Chronic. S. Petri Vivi (Duru, Bibl. hist. de l'Yonne II, 473. 474).* 7) *de quo cf. supra ep. 55 p. 58.* 8) *Egil et socii v. ep. 70 p. 67.*

vestro labori. Illi quidem devotionem, quam solam possunt, utpote monachi, re- 842—862
pensent; nos autem dignum omnino servitium persolvamus. Petitionem nostram diu verbis extendere noluimus, ne forte de[a] vestrae caritatis perfectione dubitare videremur, quae non solum ignotis, verum etiam inimicis, prodesse contendit. Et ideo, ut optime nostis, oraculi mandatum attestatione prophetica confirmatur.

Optamus vos valere feliciter[b].

73.

Lupus Ferrariensis abbas Gueniloni Senonensi archiepiscopo de Livii codice reddendo scribit ac se in conventu spem suam fefellisse nuntiat. *842—862.*

Edd. Desd. 92.

REVERENTISSIMO[a] ANTISTITI GUENILONI [LUPUS IN DOMINO SALUTEM][b].

[Codicem Livii], cuius lectione vestri[c] victus amore paene ...[d] deiectus sum[e], per communem propinquum nostrum ab ra ...[f] dirigite. Quem quantopere diligam[g], ... quod eum praeter vos nulli unquam passus sim [commodari] ... autem ecclesiae nostrae quod fanum appr ... aequissimum iam decrevistis et ... quaerere ipsi optime intelligitis. Quamquam in proximo conventu vobis gratias retulerim, putans penitus litem esse sopitam, noveritis nihil hactenus[h] definitum, sed ad votum eorum, qui etiam iniuste non erubescunt, immo appetunt, esse victores, occasione dilationis presbitero vestro praeparatum, quod quaesivit, emolumentum ac nostro, quam fastidit, iam spem inanem relictam. Proinde[i] vestra insignis prudentia, quae didicit ex evangelio non personaliter Luc. 20, 21.
iudicare, instructa est etiam illo veteri praecepto: 'Iuste iudica proximo tuo', iudicii Lev. 19, 16.
veritatem, ut coepit, constanter et cito perficiat, ne, quod absit, abutantur vestra nobilitate, qui cupiditatis patrocinium suscepere. Nam et ipsa illis ad subversionem ecclesiae nostrae moratorium[k] novum commenta est et, ne veritati adquiescant unanimitatemque caritatis dissolvant, adhuc indefesse[l] hortatur. Peto etiam, ut ad supplicationem Gerohaldi presbiteri Lau. diaconum[m] eius propinquum in ipsius titulo dignemini ordinare, quoniam difficultate visus frequenter non sufficit sacerdotale munus implere.

Cete[rum de iudicii illius] perfectione quaeso me fieri e vestigio certiorem, [ut vos et si nullatenus] digno, tamen qualicumque parvitatis meae discedatis [alloquio.

Optamus vos] valere feliciter.

74.

Lupus Ferrariensis abbas a Guenilone Senonensi archiepiscopo T. Livium per cursorem sibi mittendum petit; de promotione cuiusdam clerici addit. *842—862.*

Edd. Desd. 93.

REVERENTISSIMO[a] PRAESULI GUENILONI L[UPUS] IN DOMINO SALUTEM.

T. Livium per hunc[b] ... agite, quia illo non mediocriter indigemus. Bene ... tamen postulavimus dignamini implere ... sanctos ordines largiemini participem cum ... in senum[c] infirmitas illius promotione ... meum quod elaboravi delibero ac ...

---

a) et *ed., corr. Bal.* b) foel. *Mass.*, Valete foeliciter et nos nunc postulantes quid quandoque praestare *Bern.*, vobis possimus facite certiores *suppl. Tr.*

73. a) *Lemma:* Ad Guenilonem. b) *quae in hac ep. uncis inclusimus supplevit Tr.* c) vestra *ed.*, vestre *Bern., corr. Tr.* d) lacrimabundus olim *coni. Tr.* e) dccc' sum *Bern., om. ed.* f) -pacibus bene protectum rursus, quaeso *coni. Tr.* g) diligantur *ed., Bern.*, vestra amplitudo inde cognoscat *suppl. Tr.* h) accēn *Bern.*, esse *ed.* i) boni de *Mass.*, bone de *Bern., corr. Bal.* k) orat. *ed., Bern., corr. Tr.* l) inde sese *ed.*, indefesse *Bern.* m) Laudiaconum *scr. Masson, quod Baluzius distinxit.*

74. a) *Lemma:* Ad eundem. b) cursorem mittere satagite *fortasse supplendum est.* c) sēn *Bern.*

842—862 veritate precii, quo redempti sumus, ... ipse[a] vobis elegi ostendere, quam per quemlibet dirigere, ut otio nobis divinitus collato, tantarum rerum subtilitatem facilius mecum possitis advertere.

75.

Lupus Ferrariensis abbas Bertoldum abbatem precatur, ut 20 arbores et aliquot caesores ad navigium construendum ei concedat. *842—862.*

Edd. Desd. 91.

DILECTO[a] SUO BERTALDO L[UPUS] SALUTEM.

In hoc, quem nuper habuimus conventu, quamquam voluissem idque episcopo vestro dixissem, demiror contigisse, ne nos invicem videremus. Praeter alia vero, quae inter nos familiariter conferrentur[b], statueram vos precari, quod nunc efflagito[c], ut in saltu apud[d] Matriniacum[1] vestrum largiamini[e] nobis viginti arbores earumque peritos commodetis aliquot[f] caesores, ut iuncti nostris naviculam[2] nobis componant meliorem, quam invenire possimus venalem.

Per hunc ergo nuntium, quod vobis concedere placuerit, remandate.

76.

Lupus Ferrariensis abbas, Hincmaro Remensi archiepiscopo se ipsum Bedae commentarium in Paulum apostolum commodaturum esse pollicitus, pineas nuces se misisse nuntiat. *845—862.*

Edd. Desd. 86.

CLARISSIMO[a] PRAESULI HINCMARO L[UPUS] PERPETUAM SALUTEM.

Collectaneum Bedae[b] in apostolum ex operibus Augustini veritus sum dirigere[3], propterea quod tantus est liber, ut nec sinu celari nec pera possit satis commode contineri. Quapropter[c] si alterutrum[d] fieret, formidanda[e] esset obvia improborum rapacitas, quam profecto pulchritudo ipsius codicis accendisset[f]; et ita forsitan et mihi et vobis periisset. Proinde tuto vobis memoratum volumen ipse commodaturus sum, cum primo, si Deus vult, aliquo nos contigerit sospites convenire.

Pineas autem nuces, quot[g] cursor ferre potuit, hoc est decem, mittendas curavi. Rescriptum vestrum, quo notarii, ut scripsistis, me privavit impedimentum, cursor idem noster ad hoc directus, ut a vobis propositum est, accipiat, ut lectione illius vel erudiar vel delecter. Benigne vos mei memores opto valere feliciter.

77.

Lupus Ferrariensis abbas Pardulo (Laudunensi episcopo?) scribit, se nuntium, qui responsum ab eo reportet, misisse. *842—847.*

Edd. Desd. 80.

---

a) *hoc verbo incipit fol. 36—37 codicis integrum.*

75. a) *Lemma:* Ad Bertoldum. b) conferentur r *add. m. 2.* c) eflag. f *add. m. 2.* d) aput *corr. in* apud. e) largimini a *add. man. rec. in marg.* f) *ex* aliquod *corr. rad. m. 2.*

76. a) *Lemma:* Ad Hincmarum. b) *in marg. not. tir.* Nota librum. c) quamquam *P, corr. Tr.* d) *iter. in marg. not. tir.* e) *ex* formidandi *corr. 2 m.* f) acend. c *add. 2 m.* g) quod.

1) *Marnay (Dép. de l'Yonne), cf. Böhmer Reg. nr. 1682.* 2) *De eodem navigio agit L. in epp. 111. 113.* 3) *Cf. Hincmar. de praedestin. contra Gothescalc. c. 1 (Opp. ed. Sirmond I, 9—10):* Si quis tamen eosdem libros non habet, videat in Collectione venerabilis Bedae presbyteri de opusculis sancti Augustini super apostolum et ibi discere poterit, quod antea ignoravit. — *Desderises adnotat ad has litteras: A rapprocher du synode de Bourges où l'on discuta la question de la prédestination.*

CARISSIMO[a] SUO PARDULO[1] L[UPUS] PLURIMAM SALUTEM. 842—849

Secundum quod statuistis, direxi nuntium, qui, super meis recentibus litteris quid vobis visum fuerit et quaecumque cognitu necessaria iudicaveritis, comprehensa vestris apicibus reportaret. Peto itaque, ne illum vacuum aut tardius remittatis.

Cupio vos valere feliciter[b].

78.

Lupus Ferrariensis abbas Pardulo Laudunensi episcopo se ad conventum regis evocatum non esse scribit. Parduli atque Hincmari interventu ut a militia liberetur exoptat. 849.

Edd. Bouquet, Recueil VII, 502—503; Desd. 79.

UNICE[a] SINGULARITERQUE DILECTO PARDULO EPISCOPO L[UPUS] IN DOMINO SALUTEM.

Sacris domini regis[2] non sum evocatus. Propterea[b] ad conventum non veni[3]. Litterarum ipsarum exemplar dirigendum curavi, ut si forte mentio de me inciderit, iuste me remansisse possitis ostendere. Ceterum, quia me intra conseptum familiaritatis admisistis, quaeso[c], ut et nunc et quotienscumque possibilitatem Deus largitus fuerit, tutum vestra intercessione reddere curetis. Ego, ut nostis, hostem ferire ac vitare non didici, nec vero cetera pedestris ac equestris militiae officia exequi, nec rex noster solis bellatoribus indiget. Admonitu vestro et, si opus fuerit, Hincmari, si expeditio ingruerit, obsecro[d] doceatur, ut, quoniam studia mea non magni facit, vel dignetur considerare propositum et talia mihi iniungere, quae ab illo paenitus[e] non abhorreant. Id, si me sincere amatis, sic potestis efficere, ut non solum offensae contraham nihil, verum etiam gratiae consequar aliquid. Ita mihi comperta et probata est vestra prudentia. Itaque dum tempus et locum habetis, et mihi et quibuscumque valetis, quaeso, succurrite, certi et Deum iustum retributorem futurum et nos sinceram beneficiorum memoriam habituros. Litteras, quae me laetificent, remittite; et mei benigne semper memores, bene valete.

79.

Lupus Ferrariensis abbas Rotramnum Corbeiensem monachum ad conventum regis non evocatus, certiorem facit, quomodo Hilmeradum Ambianensem episcopum Hincmaro Remensi archiepiscopo commendaverit. 849.

Edd. Bouquet, Recueil VII, 503; Desd. 81.

CARISSIMO[a] SUO R[OTRAMNO][4] L[UPUS] SALUTEM.

Quoniam ad conventum non evocatus nolui me ultro ingerere, venerabili episcopo Hincmaro litteras dirigens, inter alia Hilmeradi nostri causam apud eum studui com-

---

77. a) *Lemma:* Ad Pardulum. b) fel. *add. m. 2 in marg.*

78. a) *Lemma:* Eidem. b) proterea. c) quaeso a *induxit m. 2.* d) *in marg. not. tir.* prudens obsecratio. e) pęnitus *ex* penitus *corr. m. 2.*

79. a) *Lemma:* Ad Rotramnum monachum.

1) *Eum nimirum qui Laudunensis dein episcopus fuit; neque enim puto tum fuisse episcopum, cum haec epistola scripta est. BAL. Cf. Almanni Transl. S. Helenae c. 16 (Acta SS. Oct. III, 602):* Remensis ecclesiae et vicedomini nomine Parduli auctoritate, qui fuit postea Laudunensis episcopus. 2) *Cf. p. 25 v. 33.* 3) *Ex epistola sequenti constat hic agi de conventu habito eodem anno, quo Hilmeradus factus est episcopus Ambianensis. Satis autem constare puto Hilmeradi ordinationem peractam fuisse anno 849. Itaque intelligi debet hic locus de conventu, quem mense Iunio illius anni apud urbem Carnutum habuit rex Karolus, ut patet ex Annalib. Bertinianis. BAL. Cf. Ann. Fontanell. (SS. II, 302):* Ipso namque tempore placitum habuit rex Karolus generale cum Francis in urbe Carnotensi. 4) *Corbeiensi in dioecesi Ambianensi. Ideoque ad eum scribit ut in propinquo positus Hilmerado Ambianensi episcopo ostendat fragmentum epistolae ad Hincmarum Rhemensem scriptae. Is vulgo vocatur Ratramnus, vir magnae famae. BAL.*

842—852 mendare. Ex eisdem litteris verba hic posui, ut eidem Hilmerado possitis ostendere, quam velim rebus eius favere. 'Hilmeradus, inquam, quem[a] rex Ambianensium[b] episcopum iussit, quadam mihi necessitudine[c] coniunctus est, cui, supplico, prosit, quod apud vos plurimum valeo. Nam, licet desit ei forsitan aliquid eruditionis[1], tamen poterit esse utilis, cum et vestrae doctrinae parebit, et, si plene non potest docere instituta divina, poterit tamen facere, unde et ipse et eum sequentes efficiantur salutis aeternae capaces.' Haec ad illum sic scripsi.

Vos quaeso, ut in coepta semper amicitia maneatis, certi me numquam ab officio recessurum. Bene valete.

80.

Lupus Ferrariensis abbas Usuardum abbatem et archidiaconum reprehendit, quod synodi decretum et regis praeceptum de Godelgario presbytero nondum exsecutus sit poenasque ei intendit, breves de monasterii eius rebus desiderat. *842—852.*

Edd. Mansi, Coll. concil. XIV, 917; Desd. 38.

DILECTO[a] USUARDO ABBATI[2] ET ARCHIDIACONO L[UPUS] IN DOMINO SALUTEM.

Non estis obliti, quemadmodum vobis, praesentibus maioribus ecclesiae vestrae, constitutum synodi decretumque metropolitani Amuli[3] ostenderim super presbitero Godelgario terruerimque vos, nisi praeceptum domini nostri regis confirmantis, quod sancta synodus et metropolitanus iussisset, impleretis, futurum, ut iacturam gravis exilii pateremini. Verum, quia id hactenus[b] distulistis et memoratus presbiter tam diuturnam calamitatem cupit effugere, synodali et metropolitani simulque auctoritate regia commoneo, ut, quod per me vobis iniunctum est, sine dilatione perficiatis, ne forte pro triplici contemptu multiplicem vindictam sustinere cogamini. Breves etiam, quos de facultate monasterii vestri mittere debuistis, ut apud Sedelocum[4] mihi reddantur, absque ulla excusatione procurate.

Bene valete.

81.

Guenilo Senonensis archiepiscopus et Gerardus Viennensis comes ab Amulo Lugdunensi archiepiscopo petunt, ut ex voluntate Karoli regis Bernum propinquum eius episcopum Augustodunensem et Godelsadum episcopum Cabillonensem ordinet. *843—845.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 486—487; Desd. 39.

REVERENTISSIMO[a] ET CLARISSIMO PRAESULI AMULO[5] G[UENILO] EPISCOPUS ET G[HERARDUS][6] COMES PERPETUAM SALUTEM.

Multa et magna iussu domini nostri regis ex eius parte familiarissime vobis mandata revelassemus, si, quod ipse optavit, quod etiam suis vobis litteris significavit,

---

a) *ex* quae *corr.* b) esse *add. Baluze.* c) *in marg. not. tir.* Nota hanc cognationem.

80. a) *Lemma:* Ad Usuardum abbatem. b) h *add. m. 2.*

81. a) *Lemma:* Ad Amulum episcopum ex parte Guenilonis et Gher[ardi], *ex* Guēr *corr. m. 2.*

1) *Baluzius hic locum affert Hincmari, de praedestin. contra Gothescalc. c. 36 (Opp. I, 317), ubi ille se excusat,* quia indiscussi et inexaminati, scientiaeque litterarum pene ignari, minusque apostolicae praeceptioni adpropinquantes .. per civitates episcopi ordinantur. *Cf. etiam Flodoard. Hist. Rem. eccl. III c. 23 (SS. XIII, 529):* Item *(Hincmarus)* redarguens eum *(sc. Hilmeradum),* quare in torpore negligentiae requiescens pravorum consiliis uteretur, cum et aetate et corporis infirmitate ad finem vitae urgeri videretur, ostendens ei ex sanctarum monitis scripturarum, quibus transgressionibus inveniretur obnoxius. 2) *Cuius monasterii abbas fuerit hic Usuardus mihi compertum non est. Illud ferme affirmare ausim abbatem eum fuisse in dioecesi Augustodunensi. BAL.* 3) *Lugdunensis archiepiscopi 841—852.* 4) *Saulieu (Dép. Côte d'Or, arr. de Semur).* 5) *Haec porro epistola scripta fuit anno saltem 844., cum eo anno datum sit praeceptum Karoli Calvi in gratiam ecclesiae Augustodunensis, in quo Altei episcopi, qui Berno successit, mentio diserta exstat. BAL., sed Karoli diploma datum est potius die 5. Iul. mens. a. 843. (Böhmer Reg. 1544).* 6) *Is nimirum qui Vezeliacense monaste-*

nos quoque plurimum voluimus, ad Augustidunensem[a] urbem vacuum fuisset[b] vobis 843—845
expectationi nostrae occurrere. Sed, quod nuntii vestri certissimas impossibilitatis[c] vestrae causas nobis prodiderunt, quae copiose multipliciterque dicenda verbis nobis commisit, sensuum veritate servata, conati sumus vestrae sapientiae compendiosis litteris aperire. Praecepit itaque, ut eius vobis sermonibus diceremus se fideliter tenere, quod rex[d] regum idemque sacerdos sacerdotum, qui solus potuit ecclesiam regere, quam redemit, postquam humanitatem suam in caelum evexit, semper cum suis futurus divinitate, potestatem suam ad eandem[e] gubernandam ecclesiam in sacerdotes divisit et reges, ut, quod sancti[f] docerent pontifices, et ipsi[g] implerent et impleri facerent devotissimi reges. Quamobrem se cupere debitam sanctitati vestrae impendere reverentiam, sicut ei, quem sciat divinitatis cultum integre velle servare, atque vicissim postulare, ut cum eo tale foedus concordiae ineatis, ut, ubicumque ecclesiasticae utilitati in portione regni divinitus sibi collata vestrae auctoritatis dispositione in re tanta cupit consulere, unanimitate vestri consensus continuo adiuvetur.

Et, ne vos longis ambagibus diutius fatigemus, recens incommodum Augustidunensis[h] ecclesiae et prolixa perturbatio flexit eius pietatem[i], ut sua largitate vestraque promotione talem ei praeficiat, qui ruinas illius et spiritualiter et saeculariter strenue[k] sarcire sufficiat. Est autem, quem benignitati vestrae plurimum commendat, propinquus eius Bernus[1], a beatae[l] memoriae glorioso[m] imperatore Hl[udovico] tenere educatus et claris ornatus honoribus[n]; quem et ipse hoc suo tempore multis experimentis invenit idoneum et, opitulante gratia Dei, tanto negotio credit aptissimum. In hoc probatissimorum eius consiliariorum adquiescit consensus. Idque vestrae prudentiae dominus noster nobis iussit suggerere non esse novicium[o] aut temerarium, quod ex palatio honorabilioribus maxime ecclesiis procurat antistites[p]. Nam Pipinus, a quo per maximum Karolum et religiosissimum Hludogvicum imperatores ducit rex noster originem, exposita necessitate huius regni Zachariae Romano papae in synodo[2], cui martyr Bonifacius[q] interfuit, eius accepit consensum, ut acerbitati temporis industria sibi probatissimorum decedentibus episcopis mederetur, ne forte simplicitate pontificum posset contingere[r], quod in hac Eduorum urbe, cuius nos nunc cura exercet, evenit. Proinde se petere, ut honorem a papa Romano maioribus eius vel regibus vel imperatoribus concessum et a Lugdunensis ecclesiae metropolitanis, cui auctore Deo praesidetis, numquam hactenus[s] infirmatum, a vobis nulla vestra iniuria consequatur. Quod si in hac parte spretus non fuerit, facturum se[t], ut in regno eius vestrum ministerium debitam semper venerationem optineat et optatum exitum sortiatur.

Cuius petitioni nostras nos supplices iungimus preces, ut, quod tantis viris videtur optimum, vobis quoque complaceat; ut in obsequendo vobis non solum nos, verum etiam illos, faciatis, quod optamus, cupidissimos debitores. Idque impetratum a vestra

---

a) *ex* Augustudunensem *corr. m. 2.* b) fuissent. c) *alterum* s *add. m. 2.* d) *in marg. not. tir.* de potestate regia et sacerdotali. e) *ex* eanda *corr. m. 2.* f) *in marg. not. tir.* honeste dictum. g) ipisi *ex* unsi *corr.* h) *ex* Augustudunensis *corr. m. 2.* i) piaetatem a *eraso.* k) strenuae a *eraso.* l) abaetate *m. 1,* a baetatę *altero* a *del. m. 2.* m) *ex* gloriosae *corr. m. 2.* n) *ex* honeribus *corr. m. 2.* o) *in marg. not. tir.* non esse novicium. p) *in marg. not. tir.* procurat antistites. q) *in marg. not. tir.* gloriosus. r) contigere. s) h *add. m. 2.* t) sit *P, corr. Masson.*

rium condidit in dioecesi Augustodunensi, eas enim regiones comitis honore regebat, ideoque ei delegatur a principe ministerium curandi, ut quam primum Bernus ecclesiae Augustodunensi ordinetur antistes. Ob eandem causam Hincmarus, Rhemensis archiepiscopus, ad eum scripsit pro ordinatione Isaac, episcopi Lingonensis, ut Flodoardus docet l. III cap. 26. BAL. V. SS. XIII, 540.

1) *probabile est Bernum haud ita multo post ordinationem excessisse rebus humanis, tuncque in loco eius ordinatum Alteum. BAL.* 2) *apud Liptinas habita, sed in actis eius nihil de tali consensu exstat.*

842—862 fidissima nobis familiaritate volumus, ut quod vobis Deus inspiraverit nobis quam celerrime litteris ostendatis; ut per nos citius dominus noster rex, quod plurimum cupit, benivolam in se vestram cognoscens voluntatem, dignas Deo referat gratias et, antequam necessitate regni longius abducatur, damnosam praesulis dilationem recidat vobisque fidissimum adiutorem dirigat ordinandum.

Godelsadum etiam, quem ex palatio suo more praecessorum[a] regum maiorum suorum, ut ante monstratum est, Cabillonensi praefecit ęclesiae, flagitat idem rex, ut hac quadragesima non gravemini ordinare. Quod si per absentiam Teotbaldi episcopi[1] visum fuerit impossibile, quocumque tempore constitueritis, congruum vobis curabimus ex episcopis nostris facere supplementum, ut, quod prosit populo christiano absque dilatione per vos Deus implere dignetur.

82.

Lupus Ferrariensis abbas Gueniloni Senonensi archiepiscopo Erlegaudum presbyterum S. Petri iniuste vexatum commendat et, ut officii exsequendi libertatem recipiat, petit.

842—862.

Edd. Desd. 115.

REVERENTISSIMO[a] PRAESULI G[UENILONI] L[UPUS] SALUTEM.

Hic presbiter, cui nomen est Erlegaudus, ex ęclęsia sancti Petri et nostra queritur pati se calumniam et de suo gradu periclitari. Proinde vestram poscimus paternitatem, ut ei iuste ac rationabiliter adesse dignemini, ne quorumlibet insidiis opprimatur, qui, forsitan divini timoris obliti, superare innoxium pervicaciter moliuntur. Prosit itaque huic et illis vestra prudentia, ut et hic, si est innoxius, liberetur, et illi, qui peccare in proximi laesione conantur, non inveniant facultatem. Quod donec inspirante Deo perficiatis et synodi tempus adveniat, si potest fieri et vestrae sanctitati videtur, exequendi officii quaesumus recipiat libertatem, ne secundum inimicorum votum, quorum se testimonio purgare possit, invenire non valeat.

Bene vos valere cupimus.

83.

Lupus Ferrariensis abbas Ludowicum abbatem S. Dionysii petit, ut nuntium suum in palatium missum instruat, de rebus Britanniae certior fieri vult, ad recuperandam cellam S. Iudoci petit, ut se adiuvet.

845—846.

Edd. Bouquet, Recueil VII, 493; Desd. 48.

EXCELLENTISSIMO[a] BONISQUE OMNIBUS CARISSIMO HL[UDOVICO] ABBATI L[UPUS] PLURIMAM SALUTEM.

Iussu regis ad palatium dirigens nuntium, ad vos eum iussi accedere, ut, quae mihi agenda essent[b], per vos veraciter atque celeriter possim cognoscere. Proinde vestra insignis benivolentia mihi necessaria cognitu litteris comprehendat, quibus certior factus rebus gerendis occurram.

Unum inpense flagitaverim, ut, si molitiones, quae occulte, ut fertur, cum Britannis exercentur[2], effectum habiturae credantur, non aspernemini significare, quod

---

a) precessorem *corr. in* -um *m. 2.*

82. a) *Lemma:* Ad Guenilonem.

83. a) *Lemma:* Ad Hludovicum ante recuperationem cellae. b) agendae sunt *in* agenda essent *corr. m. 2.*

1) *Lingonensis, 838—856.* 2) *Desdevises haec ad pacem referenda esse, quam Karolus rex a. 846. cum Nomenoio duce fecerit, coniecit.*

frustra expertum, infructuosum periculosumque laborem etiam strenuorum animi valde refugiunt, et compertum atque in litteras relatum est nequaquam invitos[a] ad bellum esse cogendos. 851 in.

De recuperanda cella nostra, si se locus optulerit, quemadmodum in omnibus, nos iuvare contendite, ut vestra industria et rex maximo purgetur peccato et nos tandem aliquando necessitate nimia liberemur. Ita semper, ut cupio, valeatis.

84.

Landrammus archiepiscopus Turonensis et ceteri Franciae occidentalis episcopi in synodo coniuncti Nomenoium, Britannicae gentis priorem, de facinoribus ab eo contra ecclesiam christianam commissis arguunt id aegerrime ferentes, quod epistolam Leonis IV. papae respuerit, Lantbertum rebellem receperit, terram Francorum iniuste invaserit. Nisi resipuerit, cum anathemate condemnatum iri minantur. *851 in.*

Edd. Baronius, ann. 849 n. 14—18; Bouquet, Recueil VII, 503—505; Mansi Coll. conc. XIV, 923—925; Desd. 85.

LANDRAMNUS[a1] TURONUM METROPOLITANUS EPISCOPUS, DODO ANDEGAVORUM, ALDRICUS CENOMANNORUM EPISCOPUS, GUENILO SENONUM METROPOLITANUS EPISCOPUS, HERIBOLDUS AUTISIODORI EPISCOPUS, PRUDENTIUS TRECASSINORUM, AGIUS AURELIANORUM, ERCANRADUS PARISIQRUM, HUCBERTUS MELDORUM, HELIAS CARNUTUM, HERIMANNUS NEVERNORUM, HINCMARUS REMORUM METROPOLITANUS[b] EPISCOPUS, IMMO NOVIOMAGI, PARDULUS LUGDUNI, RHOTHADUS SUESSIONUM, HILMERADUS AMBIANORUM, ERPOINUS SILVENECTI, ERMENFRIDUS BELLOACORUM, PAULUS ROTHOMAGI METROPOLITANUS EPISCOPUS, SAXBODUS SAIORUM EPISCOPUS, FRECULFUS LEXOVIORUM, BALFRIDUS BAIOCACENSIUM NOMENOIO PRIORI GENTIS BRITANNICAE[2] SALUTEM, QUAE EST IN CHRISTO IESU DOMINO NOSTRO.

Diu[c] est quod Deus occulto, iusto tamen iudicio[3] permisit esse te rectorem gentis tuae: in quo tamen regimine qualem te exhibueris, testis est conscientia tua et amarae querimoniae[d] diversarum ecclesiarum et afflictiones nobilium et ignobilium, divitum et pauperum, viduarum et orfanorum, quos damnabili cupiditate et horribili crudelitate vexasti. Sed, quia christianum nomen non paenitus abiecisti et nos ex apostolica successione debitores sumus omnibus, ut bene agentes ad perseverantiam exortemur, delinquentes autem ad paenitentiam auctoritate divina provocemus, vehementissime tuis excessibus condolemus et a tuo interitu paterna et episcopali sollicitudine te cupimus revocare.

Cupiditate tua vastata est terra christianorum, templa Dei partim destructa, partim incensa cum sanctorum ossibus ceterisque reliquiis, possessiones ecclesiarum, quae fuerunt[4] vota fidelium, redemptio animarum, patrimonia pauperum illicite in tuos usus redacta, hereditates nobilium ablatae et maxima multitudo hominum vel interfecta vel servitute oppressa, rapinae crudelissimae perpetratae, adulteria et corruptiones[e] virginum passim commissae, episcopi legitimi sedibus propriis expulsi et, ut

---

a) *in marg. not. tir.* invitos ad bellum non esse cogendos.

84. a) *Lemma:* Ad Nomenoium. b) metripolitanus. c) *in marg. not. tir.* hic. d) quaerimoniae a *del. m. 2.* e) *ex* corrut. *corr. m. 2.*

1) *Hoc concilium Turonis a. 851. Februario ineunte celebratum esse, non Parisiis anno 849., demonstravit Merlet, Moyen âge a. 1898 p. 21—30. Landrammus consecratus c. Nov. mense a. 846., obiit in Febr. vel Mart. a. 851.* 2) *qui obiit 7. die Mart. mens. 851.* 3) *Cf. infra ep. 128:* quamvis occulto, iusto tamen iudicio; *ep. 129.* 4) *Celebris locus per eas tempestates valde laudatus in synodis et in capitularibus regum nostrorum .. sumptus est ex Iuliano Pomerio l. II de vita activa c. 9. BAL. Cf. etiam conc. Vern. c. 12 l. l. p. 386.*

851 in. mitius loquamur[1], quia dicere nolumus fures et latrones[2], mercennarii introducti, patroni nostri beati Martini quondam dioecesis, ex qua vos esse negare non potestis, violata, omnes postremo ecclesiastici ordines perturbati; quod nimis dolendo et compatiendo dicimus.

Satis haec ad tuam perditionem[a] sufficiebant. Sed ad cumulum malorum auxisti temeritatem et omnem laesisti christianitatem, dum vicarium beati Petri Leonem apostolicum, cui dedit Deus primatum in omni orbe terrarum, sprevisti. Cum enim eum postulasses, ut in libro suo te scriberet et pro te Dei clementiam exoraret et ille directis litteris[3] se id facturum promisisset, si se monentem oboedienter audires, non solum nihil eorum, quae mandaverat, fecisti, sed ne litteras quidem ipsas recepisti et, quia nolebas a malo desinere, timuisti bene monentem audire. In eo igitur laesisti apostolos, quorum est princeps Petrus. Laesisti episcopos, qui iam cum Deo regnant in caelis et miraculis coruscant in terris. Laesisti et nos: qui etsi non habemus[b] eorum meritum, idem tamen divina gratia possidemus officium.

Nuper etiam excipiens Lantbertum[4], quem ecclesia materna pietate ex aliqua parte receperat, ea scilicet condicione[c], ut se corrigeret et mala solita perfecte declinaret, fecisti te participem, immo auctorem perturbationis populi christiani. Eum enim amator pacis, dominus noster rex, etiam ad tuam suasionem removerat a finibus tuis et aliis honoribus[d] decoraverat. Et nunc eum rebellare conantem velut in gremium recepisti[e] et, ut in malo proficiat, fovere non desinis. Iube afferri libros tuos. In eis
2. Par. 19, 2. comminantem Deum audies: 'Impio praebes auxilium, et his, qui oderunt Deum,
Rom. 1, 32. amicitia iungeris'; et non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus dignos esse morte invenies.

Nec[f] ignoras, quod certi fines ab exordio dominationis Francorum fuerunt, quos ipsi vindicaverunt sibi, et certi, quos petentibus concesserunt Britannis. Quomodo ergo
Prov. 22, 28. despicis legem Dei, quae praecipit[g], 'ne transgrediaris[h] terminos, quos posuerunt patres
Deut. 27, 17. tui?' et terram Francorum iniuste tibi defendere conaris, nec formidas illud: 'Maledictus, qui transgressus fuerit terminos proximi sui'? O quid facturus es in die magni iudicii, cum tibi reddenda erit ratio de tuis annis, mensibus, horis, momentis? et hoc erit celeriter. Verum est enim[5], quod iuvenis possit cito mori, sed senex diu non possit vivere. Ante te prolixum fuit saeculum; poste quoque Deo certum est quantum durabit. Pro hac vita brevissima noli tibi sempiternam miseriam comparare.

Nisi[i] deponas pervasionem alienorum, oppressiones omnium, societates perditorum et recipias ammonitionem sedis apostolicae nostraeque unanimitatis, non tibi
Matth. 7, 21. prodest fides nec[k] quaecumque putas bona opera: quia salvator dicit: 'Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum[l], sed qui facit voluntatem patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum'. Cogita, quid mereatur
Matth. 18, 6. qui scandalizaverit unum de pusillis; et ita poteris colligere, quam ingentem sis perlaturus, nisi resipueris, damnationem, qui partem maximam populi christiani gravissime perturbasti.

---

a) perdictionem c *del. m. 2.* b) habeamus *corr. in* habemus *m. 2.* c) *corr. ex* conditione *m. 2.* d) honoribus *corr. in* honer. *m. 2.* e) recepistis *corr. in* -ti *m. 2.* f) Ne c *add. m. 2.* g) *corr. ex* precepit *m. 2.* h) transgredieris *corr. in* -aris *m. 2.* i) Nesi *corr. in* Nisi 2 *m.* k) *add. m. 2.* l) c. s. q. f.

1) *Cf. infra ep. 129*: ut mitius loquar. 2) *Cf. Leonis IV. papae epistolae fragmentum (EE. V, 598):* Non furem et latronem, qualem Gislardum sentimus esse in Namnetica sede *etc.* 3) *quae iam non exstant, cf. EE. V, 598.* 4) *comitem primo Namnetensem, tum Andegavensem, qui a. 850. ad Brittones desciverat, ut v. Noorden (Hinkmar p. 48 n. 2) iam adnotavit.* 5) *Cf. supra ep. 3 p. 10, ubi idem Hieronymi locus laudatur.*

Monemus te, obsecramus, optestamur, tuae salutis cupidi, pone finem[a] malis 851
tuis, convertere ad Deum, cuius nemo nostrum potest effugere iudicium. Fac fructus Luc. 3, 8.
dignos paenitentiae. Hoc est: quia granditer deliquisti, granditer bona exerce[b], ut non solum non torquearis cum diabolo et reprobis in inferno, verum etiam gaudeas cum Deo et electis eius in caelo. Id quoque tibi pollicemur, quia, si te Deo restitueris, apud eum intercessores pro peccatis tuis esse cupimus et apud pium principem nostrum, ut tibi tuaeque posteritati benigne consulat, conabimur obtinere.

Maximum reatum te contraxisse scimus, quod epistolam sedis apostolicae respuisti, existimans aliqua in ea tibi noxia contineri. Sed, quia exemplar eius venerabilis papa nobis dignatus est dirigere, notum tibi facimus nihil in ea contineri, quod[c] ad tuam pertineat laesionem; et propterea parati sumus, si vis, secundo legatum sedis memoratae cum scriptis toto mundo venerandis dirigere. Quod si eum non receperis, nos, qui monuimus, excusabiles erimus. Si autem receperis et auscultaveris[d], et Deum et beatum Petrum propitios et nos habebis in fide coniunctos et intercessione proficuos[e]. Si vero nos benigne monentes contempseris, certum tibi sit numquam tibi futurum locum in caelo, et cito non futurum in terra: quia, tua culpa separatus ab apostolica et nostra societate[f], anathematis ultione locum habebis, quod avertat Deus, in tartaro.

Hoc etiam per tuum ministerium denuntiamus Lanberti hominibus et quibuslibet gentis tuae, quia, si communicaverint ipsi et rebellioni eius consenserint, anathemate condemnabuntur et traditi Satanae sine fine peribunt. Conversos autem recipimus et in pace christiana permanere optamus atque pro eis parati sumus domini nostri regis clementiam, quantum possumus, flectere.

85.

Lupus Ferrariensis abbas ex Britannia redux Marcwardum, Egilem, Ansbaldum Prumienses salutat, cuppas ligneas sibi mitti cupit. *851.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 508; Desd. 96.

REVERENTISSIMO[a] ET CLARISSIMO PATRI M[ARCWARDO] L[UPUS] PERPETUAM SALUTEM.

Nuper a magnificentissimis epulis reversus, hoc est a Britannica expeditione[1], vix resumpto spiritu per cursorem hunc prosperitatis vestrae[b] veritatem discere cupio, ut, quia propriis[c] angoribus aestuo, saltem vestris secundis successibus requiescam. Dominus meus rex, vester alumnus, cum me deliciis, quas gravabar[d], liberaret, suo vos nomine salutari praecepit: quod quam libenter faciam aestimare potestis. Carissimum nostrum, hoc est communem filium Egilem, et post eum Ansb[aldum] ceterosque fratres parvitatis meae nomine dignamini salutare.

Cuppas viatico aptas, forma et qualitate pretiosissimas, ligneas dumtaxat, mihi, cum oportunum vobis fuerit, curate dirigere: quia, dum video pretiosiores, quas aliis tribuistis, propemodum invidiae morbum incurro.

Cupio vos valere feliçiter.

---

a) fidem *corr. in* finem *m. 2.* b) exercere re *del. m. 2.* c) sed qui ad *corr. in* quod ad *del.* sed *m. 2.* d) -cul- *add. m. 2.* e) i *supra* pro *eras.* f) sociactate a *del. m. 2.*

85. a) *Lemma:* Ad Marcwardum. b) *corr. ex* nostrae *m. 2.* c) *in ras. m. 1.* d) *ex* gravabat *corr.*

1) *Desdevises (p. 174 n. 2) haec ad annum 851. referebat, cf. Ann. Engolism. 851. (SS. XVI, 486):* Karolus tertia vice Brittanniam repetens, cum Erispoio filio Nemenoi certamen iniit XI. Kal. Sept. partimque exercitus cum Viviano duce amisit; *Ann. Fontanell. 851 (SS. II, 303).*

86.

842—862 *Lupus Ferrariensis abbas Hattonem monachum ad conventum mense Octobre habendum instanter invitat: Odacrum abbatem libram auri a se repetere; a Rathario de rebus eius certiorem factum esse.* *842—862.*

Edd. Desd. 34.

CARISSIMO[a] SUO H[ATTONI][1] L[UPUS] IN DOMINO SALUTEM.

Quamquam[b] occupationes inevitabiles colloquium nostrum, quod frequens esse debuit, impediant[c], tamen eis paulisper dilatis, nobismetipsis consulamus[d] oportet, ne salutaria consilia, quibus invicem auctore Deo iuvare [nos][e] possumus, ad nostrum detrimentum ulterius neglegantur. Curate igitur hoc[f] mense Octobri, die quo significaveritis, ad Arceias[2] vestras mihi occurrere, ut, loco utrisque medio convenientes, oportune possimus de rebus necessariis consultare.

Noveritis etiam Odacrum abbatem[3] et consanguineum nostrum libram auri, quam nostis, instante Viviano[4] repetere, cuius humanitas nulla inhumanitate[g] exaspernanda est. Mature cursorem hunc remittite, ut tempore, quo significaveritis, valeam vobis ad memoratum locum occurrere.

Cum iam emisissem cursorem, supervenit Rath.[5] et causas vestras nuda veritate patefecit: quibus cognitis, accelerandum colloquium multo mihi maxime visum est, ut rebus asperis demonstrante Deo per subtilem tractatum prudenter possimus occurrere. Interim, quemadmodum idem Rath. (qui nihil meritus impetum indignationis excepit) restituatur, elaborate, quia vehemens indignitas est, quod propter rem ad se nihil pertinentem tam diuturni laboris praemio vacuatur.

87.

Lupus Ferrariensis abbas Hugonem[6] abbatem S. Quintini propter praedonem a se morte punitum reconciliare temptat. *842—844.*

Edd. Desd. 29.

Fratres[a] nostri, qui ad vos directi sunt, retulerunt nobis commotionem vestram, quae occasione illius hominis accidit, qui cum aliis malefactoribus rapinam sectando sibi vitam auferri coegit; cuius rei nos non fuisse conscios optime nostis. Unde, cum id venerabilis filius vester nobisque familiaris Steph[anus], non sicut res erat, sed sicut ei falso relatum fuerat, narrasset, misimus praepositum nostrum talium peritum et, ut eius aetatem atque nobilitatem decet, anxie religiosum, qui secundum prudentiam, quam in seculo hauserat, causam cum vestro nuntio discerneret et finiret. Verum, quia, qui iustitiam quaerebat, ipse implere nolebat, exitum res non potuit invenire.

---

86. a) *Lemma:* Ad Hattonem (H *postea addit.*). b) quanquam. c) *ex* inped. *corr. m. 2.* d) *ex* consolamus *corr. m. 2.* e) *suppl. Tr.* f) oc h *add. m. 2.* g) in *suprascr.*

87. a) *Lemma:* Ad Hugonem.

1) *Baluzius, quem Desdevises secutus est, hunc Hattonem Fuldensis monasterii abbatem (842—856) fuisse opinatus est, ego potius eum in Francia occidentali quaerendum esse crediderim. Eundem Ferrariensem monachum eum fuisse, qui in ep. 91 occurrit, suspicatur Tr.* 2) *Arce prope Sens(?), cf. Holder, Alt-Celt. Sprachschatz I, 183.* 3) *monasterii Cormaricensis (Cormeri) in dioecesi Turonensi, cf. Gall. christ. XIV, 256.* 4) *rectore sive abbate S. Martini Turonensis, qui a 851. in Britannia cecidit.* 5) *De Rathario cf. ep. 91 p. 81.* 6) *abbatem monasteriorum S. Quintini, S. Bertini, Laubiensis, qui die 14. Iunii mens. 844. in proelio interfectus est, cf. Prudentii ann. Bertin. ed. Waitz p. 31. Baluzium, qui errore ductus Hugonem abbatem S. Martini (866—887) intellegere voluit, sequitur Sprotte p. 44, sed postea se ipsum correxit p. 186. Bouquet (Recueil VII, 489 n. a) Baluzii errorem iam redarguerat.*

Itaque has litteras celsitudini vestrae dirigendas curavimus, quibus placare cupimus animi vestri motum, quem nequaquam ulla nostra neglegentia aut pervicacia[a] provocavimus. Potentia enim culminis vestri nequaquam personis, sed iustis causis favere debet, nec vilitatem[b] nostram, sed divinam maiestatem, cuius quamquam indigni, servi sumus, et beati Petri reverentiam attendere, nec nobis aliquid mali comminari aut inferre, qui sic iustitiam repetimus, sicut reddere parati sumus. Hoc etiam prudentiam vestri culminis commonemus, ne propter defensionem perditorum hominum patrocinium beati Petri[1] et nostram antiquam familiaritatem aspernemini. Sed cogitantes, quod scriptum est: 'Quia sperantes in Domino misericordia circumdabit'[2] et: Ps. 31, 10.
'Omnis qui se humiliat exaltabitur', ita exortam controversiam sopire dignemini, ut nec Luc. 18, 15.
nos gravari patiamini nec vestros impune male agere permittatis, ne forte, quod absit, Dei vindicta in vos propter iniquorum consensum redundet. 842—844

Optamus vos bene valere et sicut nobilitatem et sapientiam vestram decet in omnibus agere.

88.

Lupus Ferrariensis abbas Hugonem abbatem S. Quintini, ut eum in recuperanda cella S. Iudoci apud regem, qui id promiserat, adiuvet, obsecrat. *842—844.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 489; Desd. 30.

SUMMA[a] VENERATIONE SUSPICIENDO H[UGONI] ABBATUM[b] SUMMO L[UPUS] PRAESENTEM ET FUTURAM SALUTEM.

Postquam vos nosse coepi, diu in vestram venire notitiam, fateor, concupivi[c]. Quod tandem vestra dignatione consecutus, plurimum vobis confidere audeo, dum et singularem in vobis nobilitatem[3] et convenientem nobilitati sapientiam frequenter considero. Qua causa, cum mihi, quod nec timueram nec, ut opinor, merueram, contigisset, ut dominus rex cellam cenobii nostri, unde edictum et ipsius et patris eius domini Hlud[ovici] serenissimi augusti habemus, nobis ablatam Odulfo comiti daret eamque, ut eum decebat, Deo inspirante et amplissimo viro Adalh[ardo][d 4] cooperante, nobis restituisset, vos potissimum hortante ipso Adalh[ardo] credidi expetendos, qui et ipsius Odulfi periculosam aviditatem prudenter compesceretis et nobis benigne memoratam cellam restitueretis. Vestra igitur longe lateque bonitas pervulgata nobis vehementer indigentibus pro Dei amore secundum litteras regias, quam celerrime fieri potest, subveniat, ut et calamitatis nostrae commiseratio praemium vobis pariat sempiternum et a nobis et a posteris nostris beneficii vestri memoria fideliter celebretur.

89.

Irmindrudis regina Pardulo Laudunensi episcopo pro muneribus ab eo acceptis gratias agit, diem ordinationis eius scire cupit, orationes pro eis, qui in defensione patriae obierint, expetit. *847.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 499; Desd. 71.

---

a) *ex* pervicatia *corr. m. 2.* b) utilitatem *P,* vilitatem *corr. Bal.*

88. a) *Lemma:* Ad Ugonem abbatem. b) abatum. c) concupivivi *corr. m. 2.* d) adah 1 *add. 2 m.*

1) *Ferrariensis.* 2) *Eundem locum laudat supra in ep. 33 p. 42.* 3) *Hugo abbas filius fuit Karoli Magni.* 4) *reginae avunculo cf. supra p. 58 n. 4.*

844—847 IN[a] NOMINE DEI SOLIUS ET OMNIPOTENTIS IRMIND[RUDIS][1] DIVINA ORDINANTE GRATIA REGINA VENER[ANDO] P[ARDULO] EPISCOPO SALUTEM.

Res novas, super quibus vos nihil posse scribere significastis, nisi quod per Rhotb. iam mandaveratis, prosperas exuberante Dei gratia provenire cupimus et audire. Diem vero vestrae ordinationis[2] nostris et nostrorum precibus vobis utinam profuturis sollemnem facere studebimus. Praeterea quae misistis munera grata nobis fuerunt; et stolae cuius imposuistis laborem[3] libenter experiri curabimus, et secundum vestram suggestionem propitio Deo, qui nos fecit et tantis bonis cumulavit, noxium studebimus otium evitare. Vestris tamen semper efficacibus iuvemur orationibus: quia nihil unquam nobis praestabitis, quod non de vestra probabili fidelitate praesumpserimus. Hoc a[c] vestra benignitate impetratum volumus, ut pro his, qui in defensione patriae suas posuerunt animas[4], Dei clementiam suppliciter flagitetis et superstitibus eorum hominibus auxiliemini, quanticumque vobis possibile fuerit.

90.

Lupus Ferrariensis abbas ad monasterium reversus Odacro abbati[5] Cormaricensi gratias agit, quod fratres et ceteros monasterii homines benigne receperit. 844 Iul. 5.

Edd. Desd. 32.

Tertio[a] Non. Iulii Deo propitio ad monasterium nostrum reversus, primum ut potui vestrae prudentiae has litteras dirigendas curavi, quibus totis affectibus[b] vestrae benivolentiae[c] gratias refero, quod fratres nostros et ceteros homines tantae calamitatis angustia deprehensos aperto caritatis gremio excepistis et materna pietate fovistis; quorum relaxatio adeo me laetificavit, ut epistolaris angustia vix valeat indicium meae in vos voluntatis aperire, cum et germanos meos singulari dilectione tractetis et amplissima liberalitate nostris omnibus, quanta vix unquam sperare potuerant, praebeatis. Proinde opto, ut divina gratia[6], cuius munere tales estis, exiguitati meae dignetur, ut quantulamcumque vicem rependere sufficiam, integra vero merces ab eo vobis restituatur, qui summam praeceptorum suorum in soliditate caritatis constituit.

91.

Lupus Ferrariensis abbas Marcwardo abbati e periculo se ereptum esse nuntiat, praesentiam eius exoptat, Suetonium Tranquillum ex Fulda monasterio sibi mitti iubet, ut tres pueros instruendos Prumiam dirigat ei proponit, de vini sterilitate queritur. 844 Iul. m.

Edd. Bouquet, Recueil VII, 487; Desd. 33.

---

89. [a]) *Lemma:* Ad Pardulum ex parte reginae. [b]) *ex* episcopos *corr. m. 2.* [c]) a *add. m. 2.*

90. [a]) *Lemma:* Ad Odacrum abbatem. [b]) afflectibus 1 *eraso.* [c]) bonivolentiae.

1) *Irmintrud, filia Odonis comitis Aurelianensis, nupsit Karolo a. 842. exeunte atque obiit a. 869.* 2) *episcopalis a. 847.* 3) *Irmintrudem in lanificii arte excelluisse scimus ex carminibus editis inter Poet. aevi Carol. III, 533. 688.* 4) *Karolus rex a. 847. bellum non gerebat, sed Dani oram Aquitaniae praedati Burdegalam urbem oppugnaverunt.* 5) *Lupi consanguineum, ut docuit epist. 86. BAL.* 6) *Imitatum puto ex Salviano in epistola ad Eucherium episcopum Lugdunensem:* Superest, *inquit,* ut dominus Deus noster, cuius dono admirandissimi iuvenes tales sunt, pares eos faciat libris tuis. *BAL. (Salviani libri rec. Halm p. 116 = Auct. ant. I).*

In[a] Aquitanica congressione[1] manifesta morte liberatus, post captivitatis molestias[b] solutus utroque periculo, ingenti Dei gratia, cui maxime praefidebam, et sanctorum eius beneficio, praeterea cuiusdam Turpionis[2] ereptus, integra valitudine ad monasterium III Non. Iulii remeavi; ubi, quod ultro sciebam, et fratrum meorum Hattonis et Ratharii relatu[3] et litterarum vestrarum lectione certior factus sum mea calamitate vos vehementer commoveri. Iamque mihi videre videor vos ingenti gaudio[c] exultare, cum me, quem[d] dolebatis aut captivum aut mortuum, accipiatis incolumem in monasterio residere. Ego vicissim fratresque omnes de vestra tam fructuosa reversione[4] maxima laetitia gratulamur et domino Deo nostro gratias ingentes referimus, quod non solum vestram excellentiam nobis restituit, verum etiam vestro labore duplex patrocinium sanctorum providit. Pro vestra quidem incolumitate et regressione cotidie Deo supplicabamus; sanctorum autem perlationem voto continentes vestris amabilibus Deo studiis, ut suspicaremur de vobis talia, facile adducebamur. Nam Deum in commune laudamus, qui supra quam petere audebamus largitus est. Illud unum ad cumulum gaudiorum restat, ut praesentiam vestram nobis exhibeatis: quod vos haudquaquam[e] posse litterae vestrae professae sunt, nos hoc eas promisisse tenebimus. Quod si feceritis, cum parvitati nostrae plurimum, tum etiam vobis aliquid conferetis. Siquidem et nobis consolationem et virtutis incitamentum suggeretis et fratrum, qui vestrum post discessum decedentium suppleverunt locum, notitiam et firmiorem, si possit fieri, lucrabimini caritatem. Quaeso praeterea, ut ad sanctum Bonifatium[f 5] sollertem aliquem monachum dirigatis, qui ex vestra parte Hattonem abbatem[6] deposcat, ut[g] vobis Sueton[ĩum] Tr[anquillum] de Vita Caesarum[7], qui apud eos in duos nec magnos codices divisus est, ad exscribendum[h] dirigat; mihique eum aut ipsi, quod nimium opto, afferatis aut si haec felicitas nostris differetur[i] peccatis, per certissimum nuntium mittendum curetis. Namque in hac regione nusquam invenitur et credimus hoc quoque nos beneficium vestra liberalitate consecuturos. 844 Iul. m.

Filium Guagonis, nepotem meum vestrumque propinquum, et cum eo duos alios puerulos nobiles[8] et quandoque, si Deus vult, nostro monasterio suo servitio profuturos propter Germanicae linguae nanciscendam scientiam vestrae sanctitati mittere cupio, qui tres duobus tantummodo paedagogis contenti sint[k]. Quod utrum dignemini praestare, ut primum se facultas obtulerit, ne gravemini aperire.

Sterilitatem vini superiore anno passi sumus. Aliis rebus pro tempore habundamus[l] et largiente Dei gratia aliquantula pace fruimur, nisi quod saeculares quidam, qui vellent nostrum invadere monasterium[9], nobis moliuntur insidias. Unde vobis est studiose propter caritatis debitum persolvendum Deus orandus, ut quod nobis maxime conducit in corde principum operetur.

---

91. a) *Lemma:* Ad Marg̃. abbatem. b) molestia. c) *ex* gaudeo *corr. m. 2.* d) *ex* cum *corr. m. 2.* e) *ex* hautq.˙ *corr. m. 2.* f) *ex* Bonifacium *corr. m. 2, in marg. not. tir.* sanctum Bonifacium. g) *ex* in *corr. m. 2.* h) ex *add. m. 2.* i) differretur r *eraso.* k) *ex* sunt *corr. m. 2.* l) h *add. m. 2.*

1) *Prudentius a. 844 (p. 31 ed. Waitz) dicit de hac pugna, quae a. 844. die 14. Iun.* in pago Ecolesimo *commissa est:* Capti vero Ebroinus Pictavorum episcopus, Ragenarius . . . Ambianorum episcopus et Lupus abbas *etc. cf. Dümmler, Gesch. des Ostfränk. Reiches I, 247—248; W. Pückert Aniane u. Gellone p. 139.* 2) *comitis Engolismensis, de quo cf. Ann. Engolism. 863 (SS. XVI, 486):* IIII Non. Oct. Turpio comis, miles fortissimus defensorque optimus, vir magnificus, amator clericorum, ecclesiarum edificator pauperumque recreator, cum Normannis congreditur et occiso Mauro ab illo occiditur. 3) *De quibus cf. supra p. 78 ep. 86.* 4) *Cf. Bouquet VII, 487 n. f. 'Lupus Marcwardo gratulatur felicem reditum ex urbe Roma, unde reliquias sanctorum martyrum Chrysanthi et Dariae a Sergio pontifice acceptas in suum monasterium retulerat', v. SS. XV, 374.* 5) *i. e. Fuldam.* 6) *a. 842—856.* 7) *Cf. de hoc codice Traube: Neues Arch. XXVII, 266.* 8) *Cf. de his pueris supra epp. 55. 60. 70 p. 58. 61. 67.* 9) *Cf. epistolam sequentem de Egilberto.*

92.

c. 843—844 *Lupus Ferrariensis abbas Ludowico abbati S. Dionysii scribit Adalhardo comite iuvante se cellam S. Iudoci recuperaturum esse. Ex Aquitania reversum se monasterium suum Egilberto tradendum esse audivisse.* *844 aest.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 488; Desd. 35.

PRAECELLENTISSIMO[a] ATQUE CLARISSIMO ABBATUM SUMMO L[UPUS] PLURIMAM[b] SALUTEM.

Occupationum vestrarum considerationes habens, paucis vobis aperio magnum Adalh[ardum], cum adhuc proficisceretur, mihi serio promisisse, quod nunc, oportunitate se ultro ingerente, cellam sancti Iudoci nobis recuperaturus esset et, ne quis apud regem nobis aliquid nocere posset, in omnibus provisurus.

Cum autem[c] ab Aquitania, Dei servatus clementia, reversus essem[1] et a tantis calamitatibus, quas[d] pro regis fidelitate passus fueram, vellem aliquantulum requiescere, fama dispersit datum nostrum monasterium Egilberto. Itaque de utroque, memores amicitiae nostrae, solito more me adiuvare contendite, praesertim[e] cum et meam fidem in regem et servitium cognoscatis et fieri magnam indignitatem[f] facile comprehendatis me cum praedicto Egilberto conferri, nedum mihi eum praeferri. Quae proponere in tali negotio debeatis, breviter complexus essem, nisi naturali prudentia et eruditionis copia vobis ultra suggererentur.

Cupio vos bene valere et parvitatis meae memores laetioribus in dies augeri successibus.

93.

Lupus Ferrariensis abbas Karolum regem ad virtutem adhortatur, Traianum et Theodosium imperatores ei exempla esse vult. *c. 843—844.*

Edd. Baronius, ann. 850 n. 11—12; Bouquet, Recueil VII, 506; Desd. 74.

Explicari[a] facile non potest, quam cupiam, domine mi rex gloriose Karole, ego ultimus vester famulus in omnibus vestram prosperitatem et spiritalem et saecularem. Propterea aliquotiens et verbis et scriptis ultro me ingessi, ut mea devotio, opitulante Dei gratia, vestrae prodesset felicitati. Nunc etiam, quod utilissimum vobis et vestro regno multa meditanti occurrit, paucis aperio. Observantia[b] iustitiae non solum apud Deum meritum vobis comparat, verum etiam terrenam potestatem confirmat. Bonorum societas profectum vobis et laudem parit ad exemplum beati David, qui se imitandum
Ps. 100, 6. proponens ait: 'Ambulans[c] in via inmaculata, hic mihi ministrabat'. Segregatio etiam
ib. 7. perversorum aeque laudabilis est, ut idem ipse David instituit: 'Non habitabit in medio domus meae qui facit superbiam; qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum'. Quod autem fidissimus quisque debeat esse familiarissimus, illa sententia instruimur: 'Quae pestis[d] ad nocendum efficacior[e] esse potest, quam familiaris ini-
ib. 121, 7. micus'[2]? Quorum consilio respublica, Deo faciente, de quo dicitur: 'Fiat pax[f] in
Sap. 6. 26. virtute tua', possit esse tuta et quieta, sanctae litterae his verbis insinuant: 'Multitudo

---

92. a) *Lemma:* Ad Hlud[ovicum]. b) I *in* plurimam *ex* ł *eras.* c) *ex* aatem *corr.* d) quae *P*, quas *scr. Bal.* e) *in marg. not. tir.* generosa sui laus. f) it *add. m. 2.*

93. a) *Lemma:* Ad d[omnum] r[egem] K[arolum]. b) *in marg. not. tir.* adhortatio sancta c) *in marg. not. tir.* exemplum. d) *in marg. not. tir.* exemplum Boethii. e) *ex* efficatior *corr. m. 2.* f) fiat pax *repet. in marg. not. tir.*

1) *eandem reversionem dicit, de qua in epistola antecedente agit.* 2) *Boethii de consol. philos. l. III c. 5 p. 62 ed. Peiper (cf. p. XXIV).*

sapientium sanitas est orbis terrarum'. Hi enim intellegunt, quia 'non est sapientia, non est[a] prudentia, non est consilium contra Dominum'[1]; et in dandis consiliis ab aequitatis tramite non recedunt. Unde et eadem consilia ab ipso Domino ad utiles diriguntur effectus. Alibi etiam satis hinc aperte docemur, ubi legimus: 'Consilium semper a sapiente perquire'. Sapientem[b] hic intellegimus, quem aut experientia docuit aut lectio erudivit aut inspiratio divina caeteris praetulit. Magnum aliquid facturi, quaeso, recolite memoria illud, quod prudentissime dictum est: 'Antequam[c] incipias, consulto et, ubi consulueris, mature facto opus est'[2]. Sic enim et praecipitatio[d] vitabitur et nocitura dilatio. Romani orbis terrarum domini quibus consiliariis usi sint, hac una et brevi sententia ad vestram nostramque utilitatem considerare dignamini: 'Fidum[e] erat et altum reipublicae pectus curia silentique salubritate munitum et vallatum undique: cuius limen intrantes, abiecta privata caritate, publicam induebant'[3]. Tales, quaeso, tales quaerite[f], qui publicam dilectionem, hoc est totius populi, praeferant privatis commodis: et miserante Deo motus isti molestissimi conquiescent. 842—853 Prov. 21, 30. Tob. 4, 19.

Imperatorum gesta[g] brevissime comprehensa[4] vestrae maiestati offerenda curavi, ut facile in eis inspiciatis, quae vobis[h] vel imitanda sint vel cavenda. Maxime autem Traianum et Theodosium suggero contemplandos, quia ex eorum actibus multa utilissime poteritis ad imitandum assumere. Ita diutissime regnetis, ut semper Deus regnet in vobis.

94.

Lupus Ferrariensis abbas Marcwardum abbatem Prumiensem ad patientiam in adversis huius vitae admonet. *842—853.*

Edd. Desd. 101.

RELIGIOSISSIMO[a] PATRI M[ARCWARDO] L[UPUS] IN DOMINO[b] SALUTEM.

Si prudenter cogitemus, quod originalis peccati merito iustissima Dei vindicta exules facti simus[c], cum adversa nobis contingunt, non mirabimur. Repulsi enim a laetitiae patria, in vallem lacrimarum sumus deiecti. Dei potius ineffabilis clementia suspicienda pieque laudanda est, quae nos nec in ipsa ira deserit et tristia blandis plerumque temperat, ne maerore victi in desperationis barathrum corruamus. Unde culpanda quorundam temeritas est, qui gratiae divinae continuis assuefacti[d] beneficiis, dum aliquibus tanguntur incommodis, peccata querelis augent, quorum debita nec admoniti[e] recognoscere debuerunt. Credibile tamen est in numero fidelium aliquos esse sanctitate, quam divinitus acceperunt, egregios, quorum non tam delicta curentur adversis, quam merita augeantur. Neque enim soli beato Iob Deus munus hoc contulit, quem ad imitandum servis suis in arce patientiae collocavit. Qui vicit in illo, vincit in multis, cum quibus se futurum usque in finem saeculi pollicetur. Si cuius cf. Ps. 83, 7.

---

a) est *add. m. 2.* b) *in marg. not. tir.* quis sit sapiens. c) *in marg. not. tir.* sententia. d) it *in* precip. *add. m. 2.* e) *in marg. not. tir.* qualis fuerit olim curia Romanorum. f) quęritę *in* -te *corr. m. 2.* g) *in marg. man. rec.* Imperatorum gesta a B. Lupo descripta. h) *in marg. not. tir.* imperatores qui maxime contemplandi ad imitationem.

94. a) *Lemma:* Ad Marcwardum. b) in d. c) *ex* sumus *corr. m. 2.* d) assuae- *corr.* assue. e) adniti mo *add. man. rec.*

1) *Hunc locum laudat etiam supra ep. 42 p. 50.* 2) *Sallust. in Catil. c. 1, 6, cf. supra ep. 33 p. 42 n. 3.* 3) *Valer. Maxim. l. II c. 2, 1 p. 63 ed. Halm, cf. Traube in Sitzungsber. der phil. hist. Cl. der Münchner Akad. 1891 S. 389.* 4) *non opus Lupi ipsius, sed epitome Sexti Aurel. Victoris de vita et morib. imperator. Romanorum, cf. Traube l. l. p. 402; cf. Hincmar. de divort. Loth. et Tetb. quaest. 6 (Opp. ed. Sirmond I, 695):* etiam in libro, qui inscribitur Vita Caesarum invenitur. — *Hanc epistolam in initio regni Karoli regis scriptam esse opinor neque anno demum 848., ut Desdevises voluit.*

842—862 felicitatem nulla umquam perturbatio interpellet, quam tardus est, nisi metum hinc
Luc. 16, 25. concipiat, ne cum purpurato divite quondam audiat: 'Recepisti[a] bona in vita tua'. Et
Iob 21, 13. quomodo non eum illa veridica terreat sententia: 'Ducunt in bonis dies suos et in
Hebr. 12, 6. puncto ad inferna descendunt[b]'. Ille vero, qui vigili memoria repetat: 'Flagellat Deus omnem filium quem recipit', si morbo gravetur, excessu necessitudinum temptetur, substantiae inminutione vel amissione pulsetur, quomodo non ad affectum gratias agendi pio parenti excitetur, cuius cura se dignum correptionis privilegio, ipso instituente, praesumit?

Futurae vitae dulcedo segnius appeteretur, nisi saepius praesentis amaritudo sentiretur. Multi hac, qualis est, delectantur: nimirum plures delectarentur, si assidua prosperitas vota omnium sequeretur. Proinde quis non videat incomprehensibili Dei pietate[c] per molestam huius vitae mutabilitatem impelli nos quodammodo ad capessendam alterius vitae immutabilitatem[d]? Dominus Iesus, qui cum patre et spiritu sancto beatitudo nostra erit, eos, qui eius magisterio adhaerebant, ad toleranda[e] ad-
Ioh. 20, 21. versa suo exemplo sic informat: 'Sicut misit[f] me pater, et ego mitto vos', ne se diligi desperarent ab eo, cum variis quaterentur incommodis, quando dilectissimum patri
ib. 16, 33. filium per eadem transisse recolerent. Nec quid eis immineret occultans, 'In mundo', inquit[g], 'pressuram habetis, sed confidite, ego vici mundum'; scilicet, ut superandi vires in illo se habere cognoscerent, qui omnipotens esset. Sanctus apostolus, in quo
2. Tim. 3, 12. evidenter Dei spiritus loquebatur, sua tempora videns, nostra praevidens: 'Qui volunt', ait, 'vivere in Christo, persecutionem patientur'. Persecutionem[h] autem hanc religiosis intellegimus inferri vel ab immundis spiritibus[i] vel a pravis hominibus. Verum, sive Deus temptet sive temptari permittat, ne muliebriter pavidi succumbamus, alibi nos
1. Cor. 10, 13. his verbis confirmat: 'Fidelis Deus, qui non patietur[k] vos temptari supra id, quod potestis, sed faciet cum temptatione exitum, ut possitis sustinere'. Nihil itaque importabile nobis evenisse causemur, quoniam qui certamen proponit, si postuletur fideliter, vincendi copiam sumministrat. Benedicamus[l] ergo eum in omni tempore, qui et prosperis nos invitat et adversis castigat; et sit semper laus eius in ore nostro, ut, quod ipso largiente in saecula saeculorum facturi sumus beati, iam nunc meditemur devoti.

Haec ad consolationem strictim vitandi fastidii gratia comprehensa sanctitati vestrae dirigere studui: quae, vobis, ut credo[m], erunt proficua, quia et ex caritatis fonte petita sunt et ex eodem fonte manarunt.

Mei benigne memores cupio vos valere feliciter.

95.

Irmindrudis regina Heriboldum Autissiodorensem episcopum petit, ut fratri (Abboni)[1] indigenti, quem et ipsa adiuvare vult, opem ferat. *842—862.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 502; Desd. 105.

IN[a] NOMINE DEI SOLIUS ET OMNIPOTENTIS IRM[INDRUDIS], IPSIUS GRATIA ORDINANTE REGINA HER[IBOLDO] VENERABILI EPISCOPO SALUTEM.

Quoniam diuturna infirmitas gratum nobis vestrae sanctitatis denegat colloquium, absenti scribimus[b] quod praesenti libentius diceremus. Germanus vester destitutus

---

a) *in marg. not. tir.* exempla de prudentia. b) *ex* descendent *corr. m. 2.* c) piaetate a *del. m. 2.* d) impelli nos pietate per molestam huius vitae mutabilitatem *quae hic sequebantur inducta sunt.* e) *ante* adversa *m. 2 in marg. adnot.* a pre. f) *in marg. not. tir.* exempla evangelica. g) *ex* inquid *corr. m. 2.* h) *in marg. not. tir.* qualis persecutio religiosorum sit. i) *ex* spiritalibus *corr. m. 2.* k) patiaetur a *eraso.* l) *in marg. not. tir.* optime dictum. m) ut cre do d *in ras.*

95. a) *Lemma:* Ad Heriboldum ex parte reginae. b) sc *in ras.*

1) *Abbo abbas S. Germani Autissiodorensis, tum episcopus, cf. supra p. 46.*

honoribus, propter homines, qui ei famulati sunt, maxime anxius, nostrae pietatis[a] opem expetiit, confidens post Deum nostra opera se calamitatis molestiam evasurum; quem, solita mansuetudine miserantes, oportunitatem Deo praebente cupimus adiuvare. Verum, ut in palatio[b] voluntatis nostrae praestolari possit effectum, suademus, ne gravemini eius indigentiam collatis necessariis temperare. Cum enim[c] soleat vestra largitas ministrare postulata externis, etiam germano indigenti non sine spe divinae retributionis idem valet praestare: quod facile sacris monstraremus eloquiis, nisi ultro ea vobis occurrere crederemus et nostrae vestraeque personae haberemus considerationem. Impendite igitur debitum religioni et necessitudini affectum[d], et in orationibus nostri assidue memores bene valete. 842—862 ante quadrages.

96.

Lupus Ferrariensis abbas Karolo regi ante quadragesimam Augustini sermonem contra periurium ac gemmas artificiose expolitas mittit. 842—862 ante quadrages.

Edd. Baronius, ann. 850 n. 13; Bouquet, Recueil VII, 506; Desd. 87.

GLORIOSO[a] DOMINO PRAECELLENTISSIMO REGI K[AROLO] INTEGRE FIDELIS L[UPUS SALUTEM].

Cum a vestra maiestate digrederer, praecepistis, ut impendente quadragesima quiddam vobis dirigerem, unde caperetis fructum aliquem aedificationis. Sermonem itaque beati Augustini, in quo iurandi consuetudinem dissuadet[1] quamque sit ferale periurium ostendit, vestrae prudentiae destinavi, profuturum vobis plurimum credens, si vobis admonentibus quidam assidue[b] iurare desistant et quod recte iuraverint non contempnant. Non adulandi vitio in gratiam vestram[c] dico, sed desiderio salutis eorum, qui nobiscum patrem in caelis invocant: quicumque fidem vobis iureiurando firmaverunt, si ab ea saltem latenter deficiunt, iam sibi mortem animae intulerunt, nec possunt esse filii Dei, qui nolunt esse pacifici. Admoneantur ergo vestra industria sui periculi et saluberrima institutione tanti doctoris ad correctionis remedium invitentur. cf. Matth. 5, 9.

Misi praeterea celsitudini vestrae gemmas, quas dudum opifex noster exculpendas et poliendas acceperat: quarum formam atque nitorem si approbaveritis[d], memorato artifici gratulabor.

Opto et oro, ut bene semper agatis, et propitio Deo felici successu diutissime gaudeatis.

97.

Lupus Ferrariensis abbas Hildvinum abbatem Turonensem ad amorem et timorem Dei adhortatus propinquum suum abbatem Cormaricensem ei commendat. 851—860.

Edd. Bouquet, Recueil VII, 509; Desd. 97.

PRAECELLENTISSIMO[a] ABBATI H[ILDVINO][2] L[UPUS] TEMPORALEM ET PERPETUAM SALUTEM.

Recordans nostri convictus in vestra adulescentia et initio meae iuventutis consuetudinem, et cogitans, quod vestra nobilitas morumque probitas blandimentis fortunae

---

a) piaetatis a *ind. m. 2.* b) *ex* palatium *corr. m. 2.* c) *in marg. not. tir.* Nota rationabilem suasionem. d) *ex* effectum *corr. m. 2.*

96. a) *Lemma:* Ad Kar[olum] regem. b) assiduae a *del. m. 2.* c) vestra m *add. m. 2.* d) aprobav. p *add. m. 2.*

97. a) *Lemma:* Ad Hilduinum.

1) *sermo 180 de verbis apostoli Iacobi, Opp. V, 859—866.* 2) *nepoti Hildvini I, abbati S. Martini post Vivianum († 851) et archicapellano Karoli regis cf. Capit. reg. Franc. II, 296, Flodoard. hist. Rem. III c. 24, SS. XIII, 535. Anno 860. iam Karolus rex de abbatia S. Martini aliter disposuit cf. Prudentii ann. ed. Waitz p. 54. Wattenbach (Deutschlands Geschichtsq. ed. 6. I, 236 n. 4) hunc Hildvinum abbatem S. Dionysii fuisse non recte opinatus est.*

851—860 nullatenus valeat immutari, quemadmodum tunc familiariter loquebamur, ita nunc vobis simpliciter scribo. Omnibus, ut pluribus videtur, vestri propositi [causa][a] in largiendis opibus omnipotens vos Deus praetulit; et sine dubio cui tantum contulit, plurimum ab
1. Reg. 2, 30. eo reposcet. Ipse enim[b] dicit[1]: 'Qui glorificavit me, glorificabo eum; qui autem contempnunt me, erunt ignobiles'. Itaque non sit vobis oneri quod illaturus sum. Honorate illum timore ipsius et amore[c], qui vos tam sublimiter honoravit; et dum vobis bona suppetunt in hoc saeculo, curate illi, qui haec dedit, indesinenter placere; nec vos decipiat transitoria felicitas mundi, cui perpetua promittitur beatitudo caeli. Exercete, ubicumque potestis, iustitiam, et quibuscumque sufficitis impendite[d] misericordiam: quia, qui vobis bene agendi facultatem largitus est, quamdiu id permissurus sit, ignoratis.
Matth. 25, 13. Ipsius vox est: 'Vigilate, quia nescitis diem neque[e] horam'. Nos etiam, qui vos unice diligimus et per vos solatium[f] aliquod[g] habituros confidimus, aliquantulam diuturnitatem dignitatis vos possessuros credimus, si vos largitori bonorum omnium devote submiseritis. Donec vos videre merear, absque fastidio haec frequenter legite aut recolite, ut, sicut de vestra excellentia gloriamur, ita de probitate certius exultemus.

Peto etiam, ut propinquum meum, abbatem cellae vestrae, quae dicitur Cor.[2], quia Deo, ut credimus, et bonis omnibus, ut palam est, pro sua probitate placet, honorifice suscipiatis, benigne tractetis et, quod sufficere credo, sicut vestram decet[h] nobilitatem et honestam eruditionem ac bonae famae augmentum, sic dignemini consulere illi semper in omnibus tantum semper, quantum cupiunt qui bene sciunt.

In saeculo et in Domino valeas.

98.

Clerus Parisinus Gueniloni archiepiscopo Senonensi ceterisque episcopis se post obitum Ercanradi episcopi ex voluntate Karoli regis Aencam episcopum exoptare nuntiant.

Edd. Bouquet, Recueil VII, 512—513; Desd. 116. *856—857.*

RELIGIOSISSIMIS[a] PATRIBUS ET FRATRIBUS G[UENILONI] METPOPOLITANO SENONICAE SEDIS ANTISTITI ET UNIVERSO CLERO EIUS ET CETERARUM ECCLESIARUM PRAESULIBUS, QUAE DYOCESI MEMORATAE SEDIS CENSENTUR, CUNCTISQUE IN EIS DEO FAMULANTIBUS CLERUS MATRIS ECCLESIAE PARISIORUM ET FRATRES CENOBII SANCTI DYONISII ET SANCTI GERMANI ET BEATAE GENOVEPHAE AC FOSSATENSIS DIVERSORUMQUE MONASTERIORUM[b] UNANIMITAS PRAESENTEM ET FUTURAM SALUTEM.

Venerabilem pastorem nostrum Ercanradum[3] nuper decessisse cum longe lateque vulgatum sit, tum sanctitatem vestram latere non potuit; nosque affici[c] maestitia de vocatione patris defuncti ac sollicitudine permoveri de electione successuri prudentia vestra intellegit. Cum enim principaliter se futurum dominus Iesus polliceatur cum
Prov. 28, 1. his, qui principes religionis existunt, non patimur diu carere antistite, cuius doctrina ad salutem nostram instituamur, exemplo informemur, benedictionibus in nomine Domini muniamur. Eius, utpote bonorum omnium auctoris, nequaquam nos cura destitutos firmissime credimus, dum ipse curas nostras sua clementia sustulit et vota ultronea benignitate praevenit. Namque ipse, in cuius manu cor regis est, gloriosi

---

a) *suppl. Tr.* b) *in marg. not. tir.* exemplum. c) *corr. ex* amare *m. 2.* d) impedite n *add. m. 2.* e) n. h. f) *ex* solacium *corr. m. 2.* g) *ex* aliquod *corr. m. 2.* h) *ex* docet *corr. m. 2.*

98. a) *Lemma:* Ad Guenilonem eiusque suffraganeos. b) or *add. m. 2.* c) *corr. ex* adfici *m. 2.*

1) *Hunc locum laudat etiam supra p. 41. 57. 64.* 2) *Odacrum cf. supra p. 78. 80 et Ancient Manuscripts II, 68.* 3) *Parisiensem episcopum, qui obiit die 9. Mai. anno 856, cf. Schrörs, Hinkmar p. 275 n. 23.*

domini nostri Karoli, quemadmodum plene confidimus, menti infudit, ut eius nos regi- 856—857
mini committeret, quem in divinis et humanis rebus sui fidissimum multis experimentis probasset. Igitur Dei pronam in nos amplectentes misericordiam et regis nostri piam suspicientes providentiam, Eneam[1], cuius praeconia praemisimus[a], concorditer omnes elegimus, Eneam patrem, Eneam pontificem habere optamus. Quamvis enim tanta prudentia ac probitate praecellentissimus rex noster polleat, ut solum eius iudicium de viro memorato posset sufficere, tamen conditionis humanae non[b] nescii futurorumque curiosi, aulicorum[c] nos ipsi propositum ac mores longe prius inspeximus; et inter graves probabilesque[d] personas et sanctitate ferventes hunc, quem antistitem habere cupimus, quotquot eum nosse potuimus, ut[e] nunc palam est[f], absque errore annumeravimus. Proinde, sancti patres, annitimini, ne dilatione divini et regii beneficii torqueamur, sed nobis suspensis, nobis desiderantibus, nobis flagitantibus, ponatur celeriter cf. Matth. 5, 15.
lucerna super candelabrum, ut lumen veritatis populus Dei videat et aemula[g] devotione, praesulis vestigia tenens, sempiternae beatitudini praeparetur. Professionem vero nostri consensus in Eneam Deo annuente per vestrum ministerium nobis futurum antistitem subscriptionibus nostris certatim roboravimus, ut, nostra unanimitate comperta[h], votum summa properantia compleatis.

99.

Guenilo Senonensis archiepiscopus et suffraganei eius de Ercanradi morte dolentes Aeneae electionem approbant et laudant. *856—857.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 513; Desd. 117.

GUENILO[a], SANCTAE SENONICAE SEDIS METROPOLITANUS[b] EPISCOPUS, HERIB[OLDUS] AUTISIODORI EPISCOPUS, AGIUS AURELIANORUM, PRUDENTIUS TRICASSINORUM[2], HER[IMANNUS] NEVERNENSIUM, FROTBALDUS CARNUTUM, HILDEGARIUS MELDORUM CLERO MATRIS ECCLESIAE PARISIORUM ET CUNCTIS DIVERSIS CAENOBIIS SUB EA DEO MILITANTIBUS SALUTEM.

De excessu reverentissimi coepiscopi nostri Ercanradi non mediocriter anxii, vestrique maeroris participes, tandem iustissimae dispositionis[c] Dei memores, consolationem[d] recepimus[e], dum vos sub[f] pastore bono agentes, qui summe bonus est, vicarium eius scilicet visibilem ministeriique nostri consortem absque dilatione expetere vestris litteris tenentibus lineas rationis cognovimus. Praeparatum enim a Deo ei bonum exitum credimus, cuius munere talem videmus patere ingressum. Quamquam[g] nobis futurus nunc socius[h] olim fuit praecognitus[i] et merito suae probitatis amabilis; quis enim vel leviter tetigit palatium, cui labor Aeneae[k] non innotuit et fervor in divinis rebus non apparuit? Quamobrem electionem vestram in eo factam Deo propitio libenter sequimur, ut eum profuturum populo eius ad dignitatem pontificatus promovendum

---

a) premissimus *uno* s *del. m. 2.* b) non *add. m. 2.* c) l *in ras. add. m. 2.* d) propab. *corr. in* probab. *m. 2.* e) *ex* et *corr. m. 2.* f) *ex* palet ē *corr. m. 2.* g) *in marg. not. tir.* aemula devotio. h) per *ante* comperta *ind. m. 2.*

99. a) *Lemma:* Rescritum *(sic)* episcoporum ad ipsos. b) *ex* metropolitanis *corr. m. 2.* c) *ex* dispositiones *corr. m. 2.* d) *ex* consolationes *corr. m. 2.* e) *ex* recipimus *corr. m. 2.* f) *ex* sup *corr. m. 2.* g) quanquam. h) *ex* sotius *corr. m. 2.* i) g *add. m. 2.* k) *in marg. not. tir.* laus Eneae.

1) *Aeneas notarius praeceptis Karoli regis subscripsit inde a die 23. Ianuar. m. 843. usque ad diem 28. Februar. m. a. 856., episcopus a. 857. ante Februar. mens. consecratus obiit a. 871.* 2) *Cf. Hincmari de praedestin. dissertat. poster. c. 21 (Opp. ed. Sirmond I, 118)*: Postea autem *(Prudentius)* in epistola ad Wenilonem suum archiepiscopum de ordinando Aenea Parisiorum episcopo directa quatuor ponens capitula *ea* pro ordinationis consensu *subscribi iubet.*

842—862 concorditer decernamus. Sit igitur vobis pastor, qui pro suis in Deum meritis bene complacuit; et sequentes eius veracem doctrinam et sancta opera imitantes, ad caelestis regni pascua properate felices. Ordinationi autem eius subscripsimus concorditer universi, ut securi ministerio potestatis eius fruamini.

100.

Admonitione[1] *publica populus ad pacem et concordiam impellitur. 842—862.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 514; Desd. 119.

Diversis[a] malis afflicti, causam eorundem malorum debemus cognoscere et cognitam, auxiliante Dei misericordia, evitare. Causam prosperitatis et adversitatis Spiritus
Prov. 14, 34. sanctus aperte demonstrat his verbis: 'Iustitia elevat gentem, miseros facit populos peccatum'. Peccatum, quo miseri efficimur, hoc esse credibile est, quod, cum simus fide christiani, destruimus[b] factis nostram professionem. Et quia beatitudini sempiternae felicitatem praeponimus temporalem, et illam, nisi resipiscamus, perdimus et hanc, quae quantulacumque posset esse, si recti esse vellemus, non apprehendimus. Quia ergo vindicta Dei et in hac vita temporaliter incipit et usque ad alteram, quae finem non habet, nisi conversio subveniat, pertendit et hic saepe[c] bonos bona temporalia comitantur, alibi autem eosdem bonos aeterna bona coronant, sive praelati, sive subditi, omnes deponamus excusationem; et cum sibi unusquisque nostrum sit conscius, in quibus maxime Deum offendit, communiter eum et oboedienter audiamus monentem:
Isai. 46, 9. ib. 1, 16. 'Redite[d], praevaricatores, ad cor'. Itemque: 'Lavamini, mundi estote, auferte[e] malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere'; ut per paenitentiae[f] salubrem cursum perveniamus ad indulgentiae tutissimum portum. Ita enim valebimus non solum effugere mala praesentia, verum etiam bona sperare ventura. Dediscamus sola carnalia appetere; de consequendis spiritualibus aliquando cogitemus. Et, ut nostrae cupiditates temperentur et modum aliquem teneant, veniat nobis in memoriam celer eorum transitus, quos in dignitatibus vidimus, nec obliviscamur, quod eos cotidie[g] sequimur; ad mortem enim sine intermissione properamus. Repetamus mores, quibus hoc regnum crevit et viguit. Nullae sint factiones, nullae conspirationes inter nos, qui patrem invocamus Deum, quibus dicunt pontifices: 'Pax vobis'[2], et pro quibus omnes concorditer orant sacerdotes: 'Da propitius pacem in diebus
Matth. 5, 7. nostris', et 'Pax Domini sit semper vobiscum[h]', et quibus polliceri Deus dignatur: 'Beati[i] pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur'.[3] Illa comminatio eius non videatur nobis
ib. 18, 7. contemptibilis: 'Vae illi, per quem scandalum venit', ne forte, quod ipse avertat,
Isai. 28, 19. 'sola vexatio det aliquando intellectum auditui', ut infelici experimento quod nunc non credimus aut nos nescire fingimus, in tormentis positi sentiamus. Praedas et rapinas conversationi christianae nimis contrarias et a regno Dei miserrimos ex-
1. Cor. 6, 10. cludentes paenitus deponamus. Contra hoc enim sic sermo[k] apostolicus fremit: 'Neque rapaces regnum possidebunt'.[4] Pro Dei timore atque amore lucra propria intermitta-

---

100. a) *Lemma:* Admonitio. b) destruimus — beatitudini *quae in contextu desunt add. m. 2 in marg.* c) *corr. ex* sępae. d) *in marg. not. tir.* exempla. e) aferte u *suprascr.* f) *ex* penit. *corr. m. 2.* g) -dię *corr. in* -die. h) *ex* nobiscum *corr. m. 2.* i) *ad marg. not. tir.* exempla. k) *in marg. not. tir.* sermo fremit.

1) *Baronius, quem Baluzius et Desdevises secuti sunt, hanc admonitionem Carisiaci a. 857. a Karolo rege iussam esse opinatus est, sed in errore versatur, cum admonitio Carisiacensis ab hac diversa nobis servata sit, v. Capitul. reg. Francor. II, 287. De tempore igitur nihil certi definire ausim.* 2) *Haec et quae sequuntur verba sunt missae, cf. Muratori, Liturgia Rom. vetus I, 698; II, 6.* 3) *Conf. Concil. Vern., Capit. II, 383.* 4) *Hunc locum laudat etiam supra p. 55.*

mus, bono communi et publico certatim et unanimiter consulamus, ut, dum tranquilli- 855—858
tatem fidelibus praestare nitimur, et vires resistendi infidelibus recuperemus et ab eo, qui est omnipotens, utriusque pacis (id est: et qualis nunc esse potest et illius consummatae, quae solis electis dabitur) gaudia consequamur. Illud autem neminem nostrum fugiat quibusque doctissimis usque ad nostram aetatem probatum et creditum, quia per concordiam parvae[a] res crescunt, per discordiam vero maximae dilabuntur[1], ne forte, dum cupimus nostra securius tenere vel ad maiorum[b] capienda felicius conscendere, iusto Dei iudicio ruina nos regni, quam nostris dissensionibus praeparamus, involvat et in perniciem[c] animae et corporis pertrahat.

101.

Guenilo archiepiscopus Senonensis episcopis Italiae et Galliae Aldulfum et Acaricum presbyteros et monachos Ferrarienses Romam ituros commendat. *855—858.*

Edd. Desd. 109.

[a]REVERENTISSIMIS[b] PRAESULIBUS ITALIAE ET GALLIAE CAETERISQUE DEI FIDELIBUS G[UENILO] SENONUM METROPOLITANUS EPISCOPUS IN DOMINO SALUTEM.

Quoties iusta[c] extante causa sanctitatem vestram alloquimur, caritas, quae diffusa Rom. 5, 5.
est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, id agendi tribuit fiduciam, praesertim cum gratuito negotio pietatis[d] proveniat incrementum. Monachi[e] provintiae[f] ac dyoceseos nostrae ex monasterio, quod appellatur Bethleem sive Ferrarias, nomine Al[dulfus][g] et Ac[aricus][h], presbiterii gradu ornati, divino, ut credimus, instinctu Romam proficisci orandi studio destinarunt et nostra abbatisque sui nobis admodum dilecti Lupi accepta licentia propositum executur[i]; quos vestrae paternitati de more commendamus, implorantes, ut, quia laborem peregrinationis[k] pro aeterna remuneratione susceperunt, consolationem in vobis in eundo ac redeundo eam inveniant, qua devoti a religiosis foventur. Eritis enim[l] mercedis eorum participes, si laboris fueritis benevoli adiutores.

Cupimus vos valere feliciter.

102.

Lupus Ferrariensis abbas episcopis Italiae et Galliae Aldulfum et Acaricum presbyteros et monachos Ferrarienses Romam ituros commendat. *855—858.*

Edd. Desd. 110.

[a]PLURIMA[b] VENERATIONE SUSPICIENDIS EPISCOPIS ITALIAE AC GALLIAE RELIQUISQUE CHRISTIANA RELIGIONE POLLENTIBUS LUPUS ABBAS EX MONASTERIO, QUOD DICITUR BETHLEEM SIVE FERRARIAS, SITUM[c] IN DYOCESI SENONICAE URBIS, CUI PRAEEST REVERENTISSIMUS G[UENILO], PRAESENTEM ET FUTURAM SALUTEM.

Quamvis vergente in occasum mundo, non dubito in electorum corde fervere caritatem, quae merito in sacris eloquiis latum appellatur mandatum. Ac propterea Ps. 118, 45.

---

a) parvae — discordiam *addid. m. 2 in marg.* b) maiora *Masson.* c) *ex* perneciem *corr. m. 2.*

101. a) *Lemma:* Ad episcopos de peregrinorum receptione ex parte Gu[enilonis]. b) *ex* Reverentissimus *corr.* c) iuxta. d) piaetatis a *del. m. 2.* e) *in marg. not. tir.* commendatio suorum Romam pergentium. f) *ex* provinciae. g) -dulfus *suppl. m. rec.* h) -aricus *suppl. m. rec.* i) *ex* exequuntur *corr. m. 2.* k) et *ante* pro *del.* l) enim *bis scr. semel del.*

102. a) *Lemma:* Item ex parte abbatis. b) *in marg. not. tir.* initium. c) *ex* sitim *corr. m. 2.*

1) *Sall. Iug. c. 10, cf. Concil. Vern. l. l.:* qui maximas res vestras discordia pene dilapsas videtis.

2) *Tempus huius epistolae ex epistola 103. accuratius definiri potest.*

855—858 non erubesco postulare ab illis aliquid, quibus nihil praestiterim vel quos paenitus facie nesciam. Ea bonis usitatissima caritate Deus, qui nos facit unanimes habitare in domo[1], perpetuis bonis transeuntia mutare lucrum esse maximum instruit. Proinde suggero sanctae[a] paternitati vestrae monachos et presbiteros, quorum alter vocatur Aldulfus, alter Acaricus, ex nostro collegio Romam supplicatum proficisci statuisse et antistitis memorati ac nostro permissu, quod exoptaverant, adimplere. Vestra ergo benivolentia euntibus illis ac redeuntibus subsidium dignetur impendere, quia et sufficiens viaticum tanto itineri[b] ferre fuit eis impossibile et mercedis eorum vos credimus fore[c] consortes, si experti fuerint laboris sui pro Dei nomine cooperatores.

103.

Lupus Ferrariensis abbas Benedicto III papae Romano Aldulfum et Acaricum presbyteros Romam profectos commendat; Hieronymi commentarios in Ieremiam, Ciceronem de Oratore, Quintiliani Institutiones, Donati Commentum in Terentium ab eo commodandos requirit. *855—858.*

Edd. Desd. 111.

[a]DOMINO [b]PRAECELLENTISSIMO ET OMNIBUS CHRISTIANIS UNICE SINGULARITERQUE VENERANDO UNIVERSALI PAPAE BENEDICTO[2] ULTIMUS ABBATUM L[UPUS] EX MONASTERIO GALLIAE[c], QUOD VOCATUR BETHLEEM SIVE FERRARIAE[d], PRAESENTEM PROSPERITATEM ET FUTURAM BEATITUDINEM.

Tempore decessoris[e] vestri beatae memoriae Leonis[3] functus legatione Romae, cui auctore Deo praesidetis, et ab eodem antistite exceptus benigne atque tractatus, postquam vos non esse inferiores religione fama declaravit, nec tantum potestatis
Act. 10, 26. beatissimi Petri participes, verum etiam humilitatis, quam in allocutione Cornelii vulgavit, heredes vera morum vestrorum expensio certa ratione perdocuit, ausus sum[f] ego tantillus[g] cognitioni vestrae sublimitatis me scriptis ingerere meamque exiguitatem et fratrum meorum monachorum unanimitatem eximietati vestrae committere, ut vestris sanctis orationibus mereamur a Deo et in praesenti vita consolationem et in futura communionem salutis feliciter consequi. Fratres praeterea et compresbiteros nostros Ald[ulfum] et Ac[aricum], qui spontaneam peregrinationem pro nomine Domini susceperunt et, quamquam[h] laboriosissime, ad memoriam beatissimorum apostolorum ceterorumque sanctorum tandem aliquando pervenerunt, specialiter vestrae mansuetudini commendamus, ut eos pietate[i] competenti fovere dignemini et consuetudinibus ecclesiasticis, quae varie[k] in diversis locis tenentur, diligenter instruere, ut per eos ad nos et ad caeteros[l] quosque talia pie quaerentes institutio Romana perveniat. Siquidem in quibuscumque ad religionem vel honestatem pertinentibus ambiguitatem creat varietas[m]. Ut optima quaeque eniteant, illuc sollicita investigatione credimus recurrendum, unde ubique fidei manavit exordium.

2. Cor. 12, 14. Caeterum[n], quia 'parentes thesaurizare debent filiis'[4], ut doctor gentium manifestat, nosque vobis obsequentissimi filii esse cupimus, commentarios[o] beati Hieronimi in Iere-

---

a) *ex* sancti *corr. m. 2.* b) *ex* itinere *corr. m. 2.* c) *in ras.*

103. a) *Lemma:* Ad domnum apostolicum. b) *in marg. not. tir.* initium. c) *ex* ill *corr. m. 2.* d) *ante* pres. e *erasum esse videtur.* e) s *in ras. add. m. 2.* f) *in marg. not. tir.* sui pervigil commendatio. g) *iter. in marg. not. tiron.* h) quanquam. i) piaetate a *del. m. 2.* k) variae a *del. m. 2.* l) *ex* cet. *corr. m. 2.* m) variaetas a *del. m. 2.* n) *ex* Ceterum *corr. m. 2.* o) *in marg. not. tir.* libri in Ieremiam a sexto deinceps.

1) *Cf. supra ep. 17 p. 25.* 2) *III, 855—858.* 3) *IV, 847—855, cf. de hoc Lupi itinere supra epp. 66—68 p. 65. 66.* 4) *Cf. supra ep. 59 p. 60.*

miam, post sextum librum usque in finem praedicti prophetae[1], per eosdem fratres nobis mitti deposcimus in codice reverendae vetustatis[a], vestrae sanctitati, si id optinuerimus, postquam celeriter excriptus fuerit, sine dubio remittendos[b]. Nam in nostris regionibus nusquam ullus post sextum commentarium potuit inveniri; et optamus in vobis recuperare, quicquid parvitati nostrae deesse sentimus. Petimus etiam Tullium[c] de Oratore et duodecim libros Institutionum oratoriarum Quintiliani, qui uno nec ingenti volumine continentur, quorum utriusque auctorum partes habemus, verum plenitudinem per vos desideramus obtinere. Pari intentione Donati[d] Commentum in Terentio flagitamus. Quae auctorum opera, si vestra liberalitas[e] nobis largita fuerit, Deo annuente cum memorato sancti Ieronimi codice fideliter omnino restituenda curabimus[2].

c. 838—853

Sanctitatem vestram ad totius ecclęsiae utilitatem divina clementia diuturnis temporibus conservare dignetur.

104.

Lupus vel monachus vel abbas Ferrariensis Reginb. amico suadet, ut propter frequentiam latrocinii in itinere Gallico sibi provideat; Sallustii et Verrinarum codices ab eo se recepturum esse sperat. *c. 838—839?*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 515; Desd. 45.

CARISSIMO[a] SUO REG.[3] L[UPUS] IN DOMINO SALUTEM.

Desideramus[b] quidem adventum vestrum, ut dignum est, quem[c] iam certae litterae spoponderunt, sed suademus vigilantissima cautione tutum iter eligendum, propterea quod in regno Karoli regis nostri[4] novis exortis rebus impune latrocinia committuntur et nihil securius atque constantius quam rapinarum violentia frequentatur. Talis igitur est commeantium quaerenda societas[d], quorum numero atque virtute improborum factio evitetur aut, si necesse fuerit, repellatur.

Catilinarium et Iugurthinum Sallustii[e] librosque Verrinarum[f] et, si quos alios vel corruptos nos habere vel paenitus non habere cognoscitis, nobis afferre dignemini, ut vestro beneficiio et vitiosi corrigantur et non habiti numquamque[g] nisi per vos habendi hoc gratius quo insperatius adquirantur.

Cupio vos valere feliciter.

105.

Lupus Ferrariensis abbas Marcwardo abbati et Eigili monacho Prumiensibus ad placitum regis profecturus de monacho quodam infido, sed ad propositum redeunte scribit, Lothario imperatori quoque se de eadem re scripturum esse profitetur. *842—853.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 509—510; Desd. 102.

CARISSIMIS[a] SUIS M[ARCWARDO] ET EIGILI L[UPUS] PLURIMAM SALUTEM.

VIII Id. Aug. litteras vestras accepi, cum essem in Farae monasterio[5], proficiscens ad generale placitum, quod rex noster indixerat futurum VI Id. praedicti

---

a) veritatis *P, corr. Manitius (Rhein. Mus. 48, 317).* b) s *add. m. 2.* c) *in marg. not. tir.* Tullium de oratore et alios. d) *in marg. not. tir.* Donati commentum in Terentium. e) liberabilitas bi *del. m. 2.*

104. a) *Lemma:* Ad Reginb. b) Desiderabimus bi *del. m. 2.* c) *corr. ex* quae *m. 2.* d) *ex* sociaetas *corr. m. 2.* e) p *ante* Sall. *del. m. 2.* f) verrinarium i *expunx. man. rec.; in marg. not. tir.* libros Verrinarum. g) nunquamque.

105. a) *Lemma:* Ad Marcwardum et Eigilem; et *not. Tiron. scr.*

1) *Cf. supra ep. 62 p. 62.* 2) *'Neque abs re est hic appellare Iohannem papam VIII, qui in epistola ad Hludowicum imper. missa Ciceronem citavit (ap. Deusdedit Coll. can. p. 417 can. 103), in alia vero ad episcopos regni Hludowici scripta Terentium (Migne CXXVI ep. 22 p. 670 A)'. Lapôtre, De Anastas. biblioth. p. 46.* 3) *De Reginb. cf. supra epp. 6 et 7 p. 18, ubi de eodem fortasse itinere agitur.* 4) *Vixit igitur Reg. non in Francia occidentali.* 5) *Faremoustier en Brie.*

842—862 mensis[1]. Quia itaque quattuor mecum tantummodo fratres habebam et ceterorum voluntatem plene scire non poteram et mira nimium res contingerat (quod scilicet G. in monasterio nostro ęducatus, postquam divinam admonitionem assidue[a] audierat, nullam persecutionem passus matura aetate non eremum expetierat, sed proprio relicto habitu dignitatem saecularem, quod diu meditatus et confessus plurimis fuerat, lucraturus abierat, similibus paria facturis felix iter paraturus, et nunc ad suggestionem vestram proposito mutato ad Deum reverti velle scribebatur a vobis) sanctitati vestrae notum facio, verae illius conversioni, si contigerit, me valde gratulaturum et quaecumque in me commisit paenitenti ex animo dimissurum. Vos, dum a placito regredior, quod propter Deum coepistis, instanter elaborate perficere, videlicet ut integre ad Deum revertatur et suam culpam in alium deinceps transfundere non nitatur. Temperantiae studeat, conspirationes non repetat, murmurii nec[b] auctor nec particeps existat, seditiones nec faciat nec foveat, sed quietem et ipse habeat et alios habere permittat
1. Petr. 3, 11. et generaliter iuxta Dei praeceptum 'declinet a malo et faciat bonum'[2]: et in diebus nostris in loco nostro nihil patietur, unde iuste queratur.

Mox autem ut rediero, favente Dei gratia, ut vestrae suggestioni fratres pareant, elaborare contendam illorumque consensum sanctitati vestrae litteris exprimam et domino imperatori[3], cui propter singularem et ubique divulgatam pietatem devotissimi sumus, digno rescripto satisfacere curabimus. Benigne memorem nostri sanctitatem vestram felicissime [valere][c] optamus, unice singulariterque nobis patres dilecti.

106.

Guenilo archiepiscopus Senonensis Dolivaldum monachum Ferrariensem Romam profecturum omnibus commendat. *842—862.*

Edd. Desd. 112.

OMNIBUS[a] DEI OMNIPOTENTIS FIDELIBUS GUENILO SENONUM METROPOLITANUS EPISCOPUS SALUTEM.

Monachus quidam[b] nostrae dioceseos, nomine D[olivaldus], ex monasterio quod appellatur Ferrarias[c], divino, ut credimus, instinctu (est enim valde religiosus) laborem peregrinationis assumpsit, ut pro se fratribusque suis monachis ac pro nobis apud beatissimos apostolos Petrum et Paulum ceterosque sanctos Dei misericordiam imploraret et, quod suis non posset, eorum orationibus obtineret. Hunc vestrae committimus caritati, obsecrantes, ut pro amore Dei, sicut servum eius, eum excipiatis, tractetis atque dimittatis sive euntem sive redeuntem. Decet enim, ut ubicumque religionem suam, hoc est christianam, invenerit, suam quoque patriam recognoscat et inter ceteros hunc quoque faciatis amicum, qui sunt vos in aeterna tabernacula recepturi.

107.

Lupus Ferrariensis abbas Dolivaldum monachum Ferrariensem Romam profecturum omnibus fidelibus commendat. *842—862.*

Edd. Desd. 113.

---

a) assiduae a *del. m. 2.* b) murmurum *P, corr. Tr. (cf. Reg. S. Bened. c. 5).* c) que *add. m. 2,* valere *coni. Tr.*

106. a) *Lemma:* De receptione peregrinorum. b) *ex* quidem *corr.* c) ferr̄.

1) *De hoc placito cf. etiam ep. 109:* Tandem a placito me reverso ad monasterium, *sed nihil certi enucleare potui.* 2) *Hunc locum laudat etiam conc. Vern. (Capit. reg. Franc. II, 386).* 3) *Lothario cf. infra ep. 108.*

DOMINIS[a] REVERENTISSIMIS, CHRISTIANA RELIGIONE POLLENTIBUS, LUPUS ABBAS EX MONASTERIO GALLIAE, QUOD APPELLATUR BETHLEEM SIVE FERRARIAE, PLURIMAM SALUTEM. 842—862

Monachus noster, cui nomen est Dolivaldus[b], magna simplicitate ac[c] laudabili devotione, vir spiritu Dei, ut omnino credimus, accensus, cum venerabilis metropolitani episcopi nostri G[uenilonis] ac nostra benedictione pro se ac[c] pro nobis Deum et sanctos apostolos Petrum et Paulum precaturus Romam proficiscitur, quo maiorem laborem assumpsit, hoc certius se exaudiendum confidens. Hunc vestrae sanctitati, probitati eius testimonium perhibentes, commendamus, ne dubitetis huic inpendere, quod bono cuique indigenti praebendum est, quoniam[d], licet sit expers litterarum, mandata Dei, quae non legit in codice, demonstrat in opere omniumque, inter quos versatur, non amorem solum, verum etiam venerationem brevi[e] meretur. Vos itaque sic eum quaesumus vel euntem vel revertentem tractare dignemini, ut ab illo, cuius verus est cultor, securi perenne praemium expectetis.

108.

Lupus Ferrariensis abbas Lothario imperatori de fratre G. devio ad monasterium reverso gratias agit, sed ei officium condendarum epistolarum in aula committere vetat.

842—853.

Edd. Bouquet, Recueil VII, 510; Desd. 104.

PRAECELLENTISSIMO[a] DOMINO HL[OTHARIO] GLORIOSO AUGUSTO ULTIMUS ABBATUM LUPUS ET OMNIS MONASTERII FERRARIENSIS UNANIMITAS PRAESENTEM FELICITATEM ET FUTURAM BEATITUDINEM.

Quamquam inter administrationem terreni regni de caelestis adquisitione vos cogitare magnam spem vestrae salutis tribuat his, qui sincere vos diligunt, quod sempiternum praemium bonis operibus comparatis, tamen hoc eos maxime[b] laetificat, ut absque fuco adulationis quod sentimus simpliciter eloquamur, quod potestatem culminis vestri gratissima Deo et hominibus pietate[c] ornatis. In hac enim perseverantes inter eos annumerabimini[d], quibus promittere dignatur salvator: 'Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur'[2]. Matth. 5, 7.

Nos devotissimi famuli vestri specialiter maiestati vestrae gratias agimus, quia fratrem nostrum G. (ideo fratrem, quia audimus conversum) a suo proposito devium et auctoritate revocastis et mira dignatione, etiam intercessione, quae vim iussionis merito optinet, ad nostrum collegium reduxistis. Debemus[e] igitur vobis assignare post Deum nos eius correctionem, ille suam salutem. Nam quod sacra vestra[3] significabant, ut resumpto habitu in officio condendarum epistolarum[4] perseveraret, nec vos decebat et nobis consentire erat inpossibile, quoniam propositum nostrum vix mediocriter inter claustra monasterii custoditur, nedum inter tumultus mundanos a quolibet, praesertim non satis cauto, valeat adimpleri.

Dominus et salvator noster ad tutelam et pacem populi christiani, quem redemit, diuturna sospitate in hac vos vita contineat et in futura gloria sempiterna coronet.

---

107. [a]) *Lemma:* Item unde supra. [b]) d olivaldus *add. man. recentior; in marg. not. tir.* commendatio Dolivaldi. [c]) hac. [d]) *ex* quod *corr.* [e]) *iter. in marg. not. tir.*

108. [a]) *Lemma:* Ad domnum Hlotharium, *not. tir. in marg.* initium. [b]) maximae. [c]) piaetate a *del. m. 2.* [d]) annuberabimini m *ex* b *corr. man. saec. XVI.* [e]) *in marg. not. tir.* Nota haec nimis prudenter dicta.

1) *Haec epistola cum epistola 105. coniungenda est, cum in utraque de eodem monacho G. agatur et in hac Lupus expressis verbis ad Lotharium se de hac re scripturum esse profiteatur.* 2) *Eundem locum v. in epist. 119 p. 101.* 3) *V. supra p. 71 n. 2.* 4) *Cf. quae supra in ep. 13 p. 23 Lupus de Felice Anglo dicit:* qui epistolarum vestrarum officio fungebatur.

109.

842—853 *Lupus Ferrariensis abbas Marcwardo abbati et Eigili monacho Prumiensibus de fratre G. converso, quem ad monasterium redire cupit, refert, litteras suas Lothario imperatori offerri iubet, Folchricum et Maurum cum G. reverti vult, ut piracio delectentur.*

Edd. Desd. 103. *842—853.*

CARISSIMIS[a] SUIS M[ARCWARDO] ET EIG[ILI] LUPUS OMNISQUE FERRARIENSIS CENOBII SOCIETAS PRAESENTEM ET FUTURAM SALUTEM.

Tandem a placito[1] me reverso ad monasterium fratribusque vestra diligentia conversione G. exposita, ab omnibus talium capacibus sanctitati vestrae relatae sunt dignae gratiae, illi autem congratulatum, quod audiebant depositam certae perditionis temeritatem et resumptam optinendae salutis intentionem. Redeat itaque securus, si
Luc. 15, 10. ex animo est, ut optamus, conversus: quia, unde angeli, totius expertes peccati[b], gau-
Iac. 3, 2. dium habent, crudele est nos non exultare, qui in multis offendimus omnes. Siquidem
Luc. 15, 20. quacumque occasione quis ad Deum recurrat, gaudendum esse nobis luxuriosus ille filius[c] misericordia patris receptus informat, cui apud eundem patrem non fuit egestas opprobrio, quam gratis reformata dignitas[d] abolevit. Litteras domino imperatori vobis legendas ac sigillo munitas maiestati eius per vos honorifice offerendas[2] direximus, ut voluntatem nostram etiam in eis rectam inspiceretis.

Folchricum[3] et Maur.[e] cupimus cum fratre memorato redire, ut piracio[f 4], quo unice delectantur (nam hoc anno penuria vini timetur)[5], nobiscum fruantur. Raritas tamen fructuum id ipsum defuturum, ut prodamus veritatem, minatur, cervesiam vero sterilis annonae proventus. Tuto igitur naturali potu, quo salubritas animae[g] corporisque nonnumquam adquiritur, omnes utemur, non hausta lutulenta cisterna, sed puteali perspicuitate aut vitrei rivi decursu.

Optamus vos valere feliciter et parvitatis nostrae benigne in omnibus meminisse.

110.

Lupus Ferrariensis abbas Hildvino abbati Turonensi a thesauro ecclesiae suae Ferrariis conservando vehementer dissuadet propter situm monasterii minus tutum. 853.

Edd. Bouquet, Recueil VII, 510—511; Desd. 100.

NOBILITATIS[a], DIGNITATIS ET MODERATIONIS APICE CONSPICUO HILD[VINO], ECCLESIASTICORUM MAGISTRO[6], L[UPUS] PRAESENTEM ET FUTURAM PROSPERITATEM.

Non est mirandum amplitudinem vestram putasse tuto committi nobis thesauri custodiam, propterea quod monasterii nostri situs vobis[b] non erat compertus. Hunc enim si cognovissetis, non modo diuturno non conservandum, sed ne tridui quidem spatio habendum eum nobis direxissetis. Namque, tametsi piratarum[7] huc difficilis

---

109. a) *Lemma:* Ad Marcwardum et Egilem. Marcum cum *in* d *corr. m. 2.* b) experte speccati *alterum* c *ex* t *in* pecc. *corr. m. 2.* c) *in marg. not. tir.* exemplum luxuriosi filii. d) *ex* dignatas *corr. m. 2.* e) Maur̄. f) *ex* piratio *corr. m. 2.* g) e *add. m. 2.*

110. a) *Lemma:* Ad Hildvinum. b) nobis *P*, vobis *scr. Bal.*

1) *eodem placito, de quo supra in ep. 105 p. 91 scripsit.* 2) *litteras quae his antecedunt.* 3) *qui postea a. 861. episcopus Trecensis factus est, cf. ep. 125.* 4) *potionem ex piris confectam, cf. Du Cange s. v. piratium.* 5) *de vini sterilitate agit etiam in ep. 112 p. 96.* 6) *i. e. archicapellano cf. supra ep. 91 p. 81.* 7) *Desdevises (p. 180 n. 1) haec anno 853. contigisse coniecit, cf. Prudentii ann. Bertin. 853 (p. 43 ed. Waitz):* pyratae Danorum . . mense Novembri, VI videl. Idus, urbem Turonum inpune adeunt atque incendunt cum ecclesia S. Martini . . Sed quia evidenti certitudine hoc praescitum fuerat, corpus b. Martini ad Cormaricum monasterium . . et inde ad civitatem Aurelianorum transportatum est.

videtur accessus (quibus iam, peccatis nostris talia merentibus, nihil longinquum non est propinquum, nihil arduum est invium), tamen infirmitas nostri loci et exiguitas hominum, qui sint idonei resistere, accendit rapacium aviditatem, praesertim cum silvis tecti possint advolare, nulla munitione, nulla hominum obstante frequentia et vicinia saltuum recepti sic diversi diffugere, ut ipsi pecunia securi potiantur, inanem laborem inquirentibus derelinquant. Haec ita esse et homines vestri nuper inspexerunt et hic Ivo, qui diu nobiscum versatus est, poterit approbare. Proinde vestra merito laudata et laudanda prudentia prospiciat nostrae formidini et suae rei ac pretiosa pericula[a] alio transferenda procuret, ne, si quod veremur contigerit, vos sera paenitudine torqueamini, nos vero, quam non meremur, incurramus[b] offensionem. 851—859

Eximietatem vestram cupio valere feliciter.

111.

Lupus Ferrariensis abbas Odoni abbati Corbeiensi de veteri amicitia gratias agit, aliquos ex hominibus eius a Normannis in proelio sauciatos esse admodum dolet, de ferro emendo, Fausto afferendo refert, persica promissa se misisse addit. *851—859.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 511; Desd. 98.

CARISSIMO[a] SUO OD[ONI][1], ABBATUM CLARISSIMO, L[UPUS] PLURIMAM SALUTEM[b].

Magnis et innumeris vestrae liberalitatis affectus beneficiis, si[c], quas animo retineo, gratias verbis explicare conarer, non epistolae[d] solum, verum etiam voluminis modum excederem. Amplitudo vestra nostram[e] exiguitatem non despexit, egestatem ubertate nimia sublevavit; nec tale quid me suspicari audentem, utpote longe imparem, fidissima sibi amicitia coaequavit: cuius ego suavissimis fructibus perfruens, tametsi facultate destituor, non desino anxie[f] meditari saltem affectum mei animi declarare. Omnium siquidem amicorum, quos ab ineunte[g] aetate[2] divina mihi pietas contulit, firmissime vos teneo principes nec cuiusquam alterius ut vestra dignatione et largissima humanitate me sentio obligatum, adeo ut, cum haec repeto, ruboris molestiam haudquaquam valeam evitare; atque unum ac singulare fessus reperio solacium, quod divina gratia, quae me nihil huiusmodi merentem in tantum culmen societatis evexit, collatura sit, ne in perpetuum erubescam. Quaeso, ne putetis me[h] delinimentis fallacibus[i] vobis illudere, quandoquidem tam sint apud me, quae leviter tango, seria, ut in eis digne explicandis quaesita laboret oratio. Ceterum utinam fallax fama[3] vulgaverit in procinctu contra barbaros quosdam vestrorum graviter sauciatos, in quibus admodum dilectum nobis G. loetalibus confossum vulneribus vix evasurum[4]. Hinc vehementi dolore[k] afflictus opemque intercessionis cum fratribus meis continuans, super statu eorum cupio vestris litteris mature fieri certior. Ingenti quoque vestri cura sollicitor, cum vos inermes incaute in media discrimina prorumpere solitos recogito, in quae iuvenilem agilitatem vincendi rapit aviditas. Proinde benigna devotione suadeo, ut,

---

a) *ex* peciculu *corr. m. 2.* b) incuramus *alterum* r *add. m. 2.*

111. a) *Lemma:* Ad Odonem abbatem (Dodonem *in* Odonem *corr. m. 2).* b) plurima s. c) si *in ras. add. m. 2.* d) ępistole. e) m *add. m. 2.* f) anxiae a *del. m. 2.* g) inabunte in *induxit,* ine *add. m. 2.* h) putetissime. i) fallacimus. k) *bis scriptum, prius induxit man. rec.*

1) *Corbeiensi post Radbertum inde ab a. 851., postea episcopo Bellovacensi inde ab a. 861. Eidem dedicavit Ratramnus monachus opus suum deperditum de anima, cf. Mabillon, Acta SS. saec. IV, 2 p. LXXVII.* 2) *Cf. ep. 97 p. 85:* initio meae iuventutis. 3) *Cf. supra ep. 33 p. 41:* fallax fama iactaret. 4) *De quo infra in ep. 112 p. 97 agit. Desdevises (p. 177 n. 1) haec ad annum 852. pertinere putavit, cf. Dümmler, Gesch. des Ostfränk. Reiches I, 355.*

851—859 sola dispositione contenti, quae tantummodo vestro proposito congruit, armatos exequi permittatis, quod instrumentis bellicis profitentur. Denique multum proficit, qui prudentibus consiliis competenter sibi et aliis prospicit. Quare servate vos vestro loco, servate vos amicis, servate bonis omnibus nec committatis, quod mecum plurimi lugeant.

Emptionem ferri, quod propter messem erat difficillima, distulimus, parati in navem[1], quam aedificamus, vos recipere, nisi naulum recusetis auferre. Dirigite impendenti[a] Septembri, si prius non fuerit oportunum, quemadmodum nobis convenit, fratres, qui saltus partem assignent. Infaustum etiam Faustum afferant[2] et responsa de omnibus, quae mandaveritis, fideliter referant.

Persica, quae pollicitus sum, per cursorem[b], quem iam bene cognoscitis, misi. Ea si, ut vereor, voraverit vel vi sibi erepta questus fuerit, extorquete precibus, ut vel[c] ossa tradat[d], nisi tamen et ipsa consumpserit, ut iucundissimorum persicorum sitis quandoque participes.

112.

Lupus Ferrariensis abbas Odoni Corbeiensi abbati se litteras eius aegre tulisse refert, pro sauciatis preces se fusurum esse, de vino aliisque rebus lepide iocatur. 851—859.

Edd. Bouquet, Recueil VII, 511—512; Desd. 99.

CARISSIMO[a] SUO ODONI L[UPUS] PERPETUAM SALUTEM.

Nuper mihi litteras redditas si possem divinare a vobis ipsis quam ab alio compositas, conveniens forsitan repperissem responsum. Nunc ambiguo deterritus, quibus verbis uti valeam quibusve sententiis, anxie[b] quaero, ne apud vos metas moderationis excedam, quandoquidem vestrae personae singulariter mihi consideratio iugiter sit habenda. Quis enim me ferendum iudicaret, si vos, quibus praeter gratias plurima, immo omnia, debeo, sinistrae suspitionis arguerem? Nam, si alium scirem epistolae auctorem, cohibito dolore doceri flagitarem, quibus tandem modis fidei studium aperire praeciperet, qui litteras, ut ita dixerim, calamo in veritate tincto perscriptas suspectas tam inverecunde fecisset. Ego enim nihil umquam de humanis rebus homini locutus sum verius, nihil amico revelavi purius, nihil retinere decrevi constantius. In rebus aliis libenter exercendi aut delectandi gratia admitto ridicula. Porro in professione amicitiae, contemplatione tanti tamque divini muneris, seria sola complector. Hinc quiddam acute de persicorum numero inventum approbarem[c 3], si sic commendaretur sublimitas virginalis, ut non sperneretur humilitas coniugalis. Denique virginis filius non modo non damnavit coniugium, verum etiam eius initium, nuptias videlicet, primo
Ioh. 2, 11. miraculo illustravit. Placet itaque ac vehementissime virginalis integritas, sed non despicitur, ne ab ipso quidem Deo, coniugalis societas.

Iam illud quam lepidum est, quod recipi mecum in navem imponendae vobis mercedis taxatione refugitis? Sed si vos necessitatis articulus, quod futurum arbitror, constrinxerit[d], quem offerentem tam insolenter repellitis, iuste recusantem prospicite, ne impudenter implorare cogamini.

Verum ut gravitatem stilus[e] repetat, strenue profligatos barbaros et ad internecionem caesos vestra immo Dei virtute gaudeo vosque ipsos et vestros ineffabiliter

---

a) n *prius add. m. 2.* b) percussorem. c) ut vel *ex* vel ut *corr. m. 2.* d) tradat — ipsa *in marg. m. 2.*

112. a) *Lemma:* Item ad eundem. b) anxiae a *del. m. 2.* c) *'Le défaut de suite des idées semblerait indiquer qu'il existe une lacune dans ce passage(?) DESD., sed aenigma vetus potius respicere videtur (Tr.)* d) constrinxerint n *del. m. 2.* e) stillus.

1) *Navem commemorat in epp. 75. 113 p. 70. 98.* 2) *De Fausto cf. ep. 112 p. 97.* 3) *de persicis cf. supra ep. 111 p. 96 v. 10.*

exulto discrimine liberatos, nec minus partim admonitos, partim expertos tandem vos credere non temere fortunam nec saepe temptandam. Pro G. reliquisque in defensionem patriae sauciatis non cessabimus preces fundere, quousque vestra relatio parvitatem nostram sanitate illis restituta laetificet. 851

Faustum dirigi postulavi, non quem refellit Augustinus[1], sed quem notat in decretis Gelasius[2].

Vinum vobis mercandi curam deposueram, propterea quod desperabatis possibile vobis futurum ad nos destinare, nostrorum discordia et barbarorum impediente audacia. Quoniam vero recenti me sollicitastis admonitione, quamquam vindemiae apud nos non est quantus iactabatur proventus, vincere sterilitatem anni labore contendam, si consilium[a], quod vobis nuntius meus exponet, placuerit. Illud autem, quod pollicitus sum, cum direxero, cognoscetis, quanta proprietate[b] intellegam indulgentiam apostoli, qua se avidiores vini tuentur: 'Modico vino utere'. Circumsepti enim conditionis necessitate non aliud quam a me missum bibendi modum dedisse nomen modicis[3] me sentire animadvertetis. 1. Tim. 5, 23.

Licet minaciter epistolam terminaverim, cupio vos valere feliciter.

113.

Lupus Ferrariensis abbas Ludowico abbati S. Dionysii pro beneficiis in se collatis gratias agit, post expeditionem Britannicam et placitum regis se eum visurum sperat. 851.

Edd. Bouquet, Recueil VII, 508; Desd. 94.

CLARISSIMO[a] ABBATUM H[LUDOVICO] L[UPUS] PRAESENTEM ET FUTURAM SALUTEM.

Non dubito ubertate divinae gratiae factum, ut vestra sublimitas meae humilitati dignaretur condescendere et me in qualicumque amicorum ordine numerare. Per vos enim et saepe alias et proxime intolerabili me incommodo divina pietas[b] liberavit, cum molesta nimis et diuturna statio imponeretur. Vestris itaque innumeris et assiduis beneficiis me imparem credens et confitens respondere omnipotentem imploro, cuius munere tantam et in me et in omnes opis egentes estis benivolentiam consecuti.

Ceterum homines mei frequentibus exhausti expeditionibus, audita profectione domini regis Brittanniam versus[4] et denuntiati olim placiti aliquam sperantes dilationem, poposcerunt, ut vos consulerem, ubi et quando vobis iungi deberem. Proinde vestra indulgentissima moderatio nostras metiens difficultates dignetur nobis litteris exprimere, quamdiu post praestitutum placiti[5] diem tuto morari possimus, ita ut nec desimus placito et aliquid spatii, vestro nos consilio regente, lucremur. Illud etiam ne fastidiatis subiungere, si absque periculo piratarum navis nostra expensam vehens possit tenere cursum per Sequanam et inde per confluentem Isarae[6] usque ad Credilium[7] progredi.

De vestra exoptabili sospitate super omnia parvitatem meam laetificate meique benigne memores bene semper valete.

---

a) *ex* sicut silium *corr. man. 1.* b) propriaetate a *ind. man. 2.*

113. a) *Lemma:* Ad Hludoguicum abbatem (H *addid. m. 1).* b) piaetas a *del. m. 2.*

1) *Cf. infra p. 114 epistolam ad Karolum regem datam:* Opuscula Fausti Regensis Galli apocrypha, *Augustinus scripsit 33 libros contra Faustum Manichaeum.* 2) *ed. Thiel I, 468.* 3) *scil. vinis.* 4) *anno 851. factae, cf. supra p. 77.* 5) *in Rauziaco (Roussy) ad Axonam, cf. Ann. Fontanell. 851. (SS. II, 303).* 6) *Oise.* 7) *Creil, de navi cf. epp. 111. 112 p. 96.*

114.

842—856 *Lupus Ferrariensis abbas gratiis in Ludowicum abbatem actis de expeditione bellica a suis facienda certior fieri vult.* *851.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 508—509; Desd. 95.

CLARISSIMO[a] ABBATUM LUD[OVICO] L[UPUS] PLURIMAM SALUTEM.

Vestris frequentibus, immo assiduis, beneficiis obligatus doleo rebus me non posse rependere gratias. Propterea id proxime[1] conatus sum litteris agere nec ruboris mei angustias amplitudinis vestrae dignatio fastidivit. Unde, quod solum possum, ingenue fateor artiori parvitatem meam debiti vinculo devinxistis. Haec tam ingens vestra benivolentia et in me et in omnes, a quo solo infunditur, ab eo credo remunerabitur. Nos, qui vestri post Deum indigemus[b], continuis petitionibus aeternae illius retributionis augmenta praebemus. Positus in[c] itinere[2] comperi dominum regem ne tunc quidem, quando constituerat, ad vos reversum. Proinde dilationem flagitantibus hominibus meis, ut soleo, ad praesidium consilii vestri confugio. Quod sic, quaeso, moderamini, quae mihi agenda sint, praescribentes, ut et ab offensa tutus esse valeam et, si in retundendis aut opprimendis barbaris[3], inspirante Deo, efficax molitio statuitur, pro viribus meae tenuitatis adiutor existam.

Quantum cupio in perpetuum[d] valeatis.

115.

Synodus apud Murittum convocata Ercanradum Parisiensem episcopum petit, ut et ipse concilio intersit. *842—856.*

Edd. Mansi, Coll. conc. XIV, 943; Bouquet, Recueil VII, 507; Desd. 90.

REVERENTISSIMO[a] PRAESULI E[RCANRADO] G[UENILO] H[ERIBOLDUS][b] ET AG[IUS] EPISCOPI ET UNIVERSA SYNODUS[c] APUD MURITTUM[d][4] IN DEI NOMINE CONGREGATA PERPETUAM SALUTEM.

Sanctitati vestrae gratias agimus, quod, quamquam[e] tardiuscule, tamen vestrum vicarium direxistis, qui pondus deliberationum nostrarum nobiscum exciperet definiendisque rebus necessarium conamen adhiberet. Sed persona vestra apud simplices quosque tantum amplius contulisset auctoritatis, quantum praecedit apice dignitatis. Proinde, quia, peccatis nostris merentibus, turbulentissimum tempus est et tot sibi succedentibus annis, exuberante iniquitate, defuit facultas celebrandi conventum ac
cf. Iob 23, 16. regis cor Deus ita mollivit, ut nobis aliquam correctionis largiretur oportunitatem, momenta vero vitae nostrae nullam sui transitus dilationem[f] recipiunt, causam ipsius Dei nostri haudquaquam segniter debemus curare nec nos ab executione[g] officii, quod indigni suscepimus, ulla nisi impossibilitatis necessitate subtrahere[h], quoniam, ut
1. Reg. 16, 7. scriptum est, 'homo videt in facie, Deus autem in corde'; 'qui redditurus est', ut alibi
Matth. 16, 27. verissime dicitur, 'unicuique secundum opera sua'. Atque utinam supererogaremus aliquid, ut ipse rediens optata mercede cumularet. Caritatis igitur[i] .....

---

114. a) *Lemma:* Ad eundem. b) indignemus n *del. m. 2.* c) in *add. m. 2.* d) per *add. m. 2.*

115. a) *Lemma:* Ad Ercanr[adum] ex Gu[enilonis] et aliorum personis. b) Heriboldus *incerto supplemento cf. supra ep. 84.* c) *ex* synodum *corr. m. 2.* d) murmurittum rmu *induxit m. 2.* e) quanquam. f) *ex* dilationum *corr. m. 2.* g) excut. e *add. m. 2.* h) subthraere *corr. in* subtrah. *m. 2.* i) *finis folii 56', cetera huius epistolae desunt cf. Baluzium: 'Post haec verba arbitror deesse unum folium in veteri codice. Cetera enim non cohaerent, neque profecto pertinent ad hanc epistolam synodicam.' Quaternionem totum deperisse suspicatur Tr.*

1) *epistolam 113 dicit.* 2) *ad denuntiatum olim placitum cf. supra p. 97 n. 4.* 3) *id est Britannis: adversus hos enim expeditionem moliebatur rex Carolus, de qua heic agitur. BAL. (qui haec ad epist. 83 refert).* 4) *Moret ad fluvium Loing in dioecesi Senonensi.*

115a.

.....[1] nostri[a] detrimenta, ubi aliquot[b] discipuli bene iam instituti immatura morte decesserunt, conpensare illorum eruditione, qui vel in profectu positi suae profectionis augmenta desiderant vel eorum, qui felicibus indiciis spem sui profectus, plurimum id nobis cupientibus, iam dederunt, nimirum crederem me totius boni auctorem tam fructuoso promereri labore. Ut ergo particeps efficiatur doctrinae memoratus puer, cui[c] iuste consulitis[d], si licentiam et litteras sui habet episcopi, perducatur ad nos a dilectissimo Remigio[2] IIII Kal. Iul. et, gratia Dei opitulante, conabimur cum aliis illi quoque prodesse. 862 in.

116.

Lupus Ferrariensis abbas monachis S. Germani Autissiodorensis gratias agit, quod eum proximo autumno comiter excepissent atque ornamenta ecclesiae servassent. Fratrem suum S. inter eos versantem et Bernegaudum commendat. *862 in.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 515—516; Desd. 121.

SANCTIS[a] PATRIBUS IN MONASTERIO BEATI GERMANI DEO EXCELLENTER MILITANTIBUS, LUPUS, SOCIA CONGREGATIONE FERRARIENSI, COPIOSAM IN DOMINO SALUTEM.

Semper quidem in coenobiorum nostrorum habitatoribus vera caritas viguit, sed numquam tam certis indiciis, ut nostro tempore, sui magnitudinem declaravit[b]. Ac in nobis, si quid praeter solitum exercuisset, supprimendum videretur, ne immemoris beneficii exprobrationem nos formare aliquis aestimaret; de vobis liberum nobis est praesertim vera narrare ad divinae laudis augmentum[c]. Et quoniam confidentius experta asserimus quam audita, a memetipso inchoandum decrevi, fidem propositioni facturus. Cum proximo autumno insignis rex noster K[arolus] Autisiodorum[3] venisset et comitatus eius proxima loca paene omnia occupasset, egentes hospitii vos potissimum adeundos credidimus. Nec spe nostra falsi officiosę sumus excepti et, publicum vestrum convictum regio famulatu nobis paenitus adimente, quacumque hora elabi potuimus, nequaquam sensimus importunitatem nostram vobis honeri extitisse. Postquam per carissimum propinquum Remigium et gratissimum auditorem meum Fridilonem[4] sanctitati vestrae satis fecimus, ostendentes votum nostrum, quibus reniti non valebamus, mandata regis, alio quam vellemus avertere. Discessuri ne gratias quidem in conventu referendi copiam[d] habuimus, quoniam moras omnes differendae legationis inpossibilitas[e] auferebat; unde in hac parte memoratos amantissimos fratres vicem nostram implere obsecravimus, donec per nos id ipsum exequi divinitas largiretur. Ad haec, quae supra retulimus, terrente praedonum[5] improbitate[f], ornamenta eclesiae nostrae occultanda curastis nec ad id praestandum inventi estis[g] difficiles. Quae secum reputans dilectissimus frater noster S. et cum sibi tum etiam pluribus aliis

---

115a. a) nostri *inc. fol. 57 alia manu scr.* b) t *add. m. 2.* c) cu i *add. m. 2.* d) consultis.

116. a) *Lemma:* Fratribus ex coenobio sancti Germani. b) declaruit. c) argumentum *m. 2 corr. in* augmentum. d) *ex* quopiam *corr. m. 2.* e) inposibilitas. f) improbitace. g) esti s *add. m. 2.*

1) *hoc fragmentum minime pertinet ad epist. 115, sed finis est epistolae deperditae. (Scribit enim dein Lupus familiari cuidam suo, ut manifestum est. BAL.)* 2) *idem fortasse, quem infra in ep. 116* carissimum propinquum Remigium *vocat.* 3) *Baluzius, quem Desdevises (p. 205) secutus est, hanc epistolam anno 859. assignare voluit, rectius autem A. Giry l. l. p. 118 n. 3, cum Karolus rex a. 861. die 14. Sept. m.* Autisiodoro civitate *monasterio S. Germani praeceptum concesserit (Boehmer nr. 1697, Quantin Cartul. de l'Yonne I, 73), has litteras a. 862. ineunte datas esse cognovit.* 4) *De Fridilone cf. Traubium, Neues Archiv XVIII, 99. 724—725.* 5) *Haec ad annum 861. pertinere possunt, in quo Normanni* usque ad castrum Milidunum *(Melun) ascenderunt, cf. Hincmari ann. ed. Waitz p. 56.*

860—862 nostrum multa benigne collata recensens, impendente, ut metuebamus, ruina nostri loci, quam et nostra peccata et pyratarum vicinia minabantur, vos elegit, non apud quos peregrinaretur, sed intra quorum collegium admissus, vicarium nostri loci contubernium possideret. Verum id etiam alii postulaverunt, optantes, licet diversi, in monasteriis consistere quam cum maiore suorum parte in villa versari. Quamquam[a] igitur Deus incertum[b] utrum sua pietate in perpetuum subversionem nostri monasterii removerit, an aliqua latente causa ad tempus distulerit, tamen praedictus frater, quod optinendum conceperat, perseveravit flagitare: quod utinam vobis annuentibus consequatur, ne simili casu coactus, ulteriora compellatur sectari! Supplicamusque, ut eum apud vos consistentem pie[c] foveatis: quia meorum laborum diu particeps fuit et pro sua probitate ac strenuitate semper gratus omnibus et universaliter utilis est iudicatus. Praeterea, vestrae sanctitati plurimum confisi, ausi sumus fratrem Bernegaudum[1], rudem adhuc monachum, roganti vestrae paternitati dirigere[d], vestrae voluntati obsecuturum et in suo proposito perfectiorum exemplis atque doctrina studiosius confirmandum.

Exiguitatis nostrae benigne memores[e] obtamus vos valere feliciter.

117.

Lupus Ferrariensis abbas Ansboldum abbatem Prumiensem salutat, cellam S. Iudoci monasterio adiumento esse professus. *860—862.*

Edd. Desd. 124.

REVERENTISSIMO[a] A[NSBOLDO][2] ABBATI ET UNIVERSIS FRATRIBUS EIUS[b] L[UPUS] ET OMNIS FERRARIENSIS COENOBII SOCIETAS IN DOMINO SALUTEM.

Asperrimis[c] difficultatibus evictis, gaudemus vos tandem aliquando gratia divina loco proprio restitutos. Nec illud non libenter accipimus, quod nostram in vos[d] pronam voluntatem pio affectu iucundisque sermonibus prosequimini, quamquam[e] longe plura atque maiora vobis praestita cuperemus. Tribulationes nostras partim dolenter[f] audistis, partim[g] anxii aspexistis, sed eas, temperante vel penitus auferente domino Deo nostro, cum vestro commodo vobis vestrisque, qui nos adierint, desideramus usui esse ac sincerissimae voluptati. Ut igitur familiaritas olim inita uberiori proficiat incremento, in occidua plaga recuperatae facultates[3] fuerint adiumento, dum excursus et recursus per nos, quae utrimque gerantur, aperiet.

Cupimus vos nostri benigne memores semper valere feliciter.

118.

Lupus Ferrariensis abbas Herardo archiepiscopo Turonensi gratias agit, quod fratri T. monachos in cella Roclena regendos commiserit. *855—862.*

Edd. Desd. 107.

---

a) Quanquam. b) *ex* incerti *corr. m. 2.* c) piae a *del. m. 2.* d) dirigere — voluntati *suprascr. m. 2.* e) mores.

117. a) *Lemma:* Ad Ansb[oldum]. b) *ex* ei *corr. m. 2.* c) *ex* asperrimus *corr. m. 2.* d) *ex* nos *corr. m. 2.* e) quanquam. f) d *in ras. m. 2.* g) *ex* partem *corr. m. 2.*

1) *De quo cf. infra ep. 124 p. 104.* 2) *Ansboldus Eigilum a. 860. in abbatis dignitate secutus est, cf. Ann. Prum. (SS. XV, 1291), Reginonis chron. 860.* 3) *Salomon dux Britanniae confirmavit a. 860. die 7. Oct. m. Ansbaldo abbati omnes res in potestate sua sitas (Beyer, Mittelrhein. Urkundenb. I, 99).*

REVERENTISSIMO[a] TURONICAE ECCLESIAE ANTISTITI HERARDO[b 1] L[UPUS] ET BETHLEHEMITICI COENOBII UNANIMITAS PLURIMAM IN DOMINO SALUTEM. 855—862

Quemadmodum scribere dignati estis, divinitus cum exiguitate nostra familiaritatis foedera sociastis. 'Caritas' enim, ut scribit apostolus, 'a Deo est', quae maxime[c] in his eminet, qui sincera amicitia foederantur. Utinam autem vel orando spiritualiter vel obsequendo saeculariter, aliquid vobis conferre possemus: profecto nostram[d] in vos voluntatem fideliter aperiremus. Quod in carissimo nobis fratre T. declaramus, quem secundum petitionem vestram ad regendos monachos in cella Roclena[2] concedimus: qui, cuius momenti apud nos sit, ex officio, quod laboriosissime gessit, facile est aestimare. Supplicamus autem sanctitatem vestram[e], ut eum assidua pietate foveatis sentiatque paternum in vobis affectum, cuius dulcedine semper inter mundi amarissimas molestias recreetur. 1. Ioh. 4, 7.

119.

Lupus Ferrariensis abbas Aeneae Parisiensi episcopo de Karoli regis studio liberalium artium scribit petitque, ut Hildegarii modo defuncti filio patris beneficium concedat. *857—862.*

Edd. Desd. 118.

CARISSIMO[a] SUO AENEAE[3] L[UPUS] AETERNAM SALUTEM.

Doctrinae studiosissimo regi nostro, quemadmodum vobis, post alia intentionem meam aperui, quod liberalium disciplinarum laborem recolendo et alios instituendo, favente totius boni auctore Deo, vellem repetere, si otium ipse habiturus praemii communionem sua indulgentia concessisset. Quod votum meum sereno vultu sermonibusque blandis amplexus[b] ut ad effectum valerem perducere se curaturum promisit. Id vobis continuo significandum credidi, ne oblata occasione nesciretis, ad tantae rei adnisum quibus esset invitandus alloquiis.

Me vero monasterium ingredientem tristis excepit nuntius[c], ostendens Hildegarium[4] vestrum, qui neptem meam habebat in coniugium, decessisse. Unde proprio affectu et propinquorum utriusque lineae impulsu asserentium me apud vos plurimum posse, sanctitati vestrae has litteras destinavi, supplicans ut filio ipsius, super quo postulavit, concedere dignemini beneficium, tutorem vero, qui et moribus vestris congruat et militare obsequium exigat, laudabili prudentia statuatis. Relicta memorati viri eiusque propinqui decenter vos, si optinuero, venerari studebunt, Deus autem, aliis etiam bonis suffragantibus meritis, in eorum collegium aggregabit, quibus pollicetur[d]: 'Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur'.[5] Matth. 5, 7.

Cupio vos valere feliciter.

120.

Lupus Ferrariensis abbas Ardvicum Vesontionensem episcopum petit, ut locum et diem secum conveniendi signet. *c. 861—862.*

Edd. Desd. 123.

---

118. a) *Lemma:* Ad Herardum episcopum. b) herad. *alterum* r *add. m. 2.* c) maximae a *del. m. 2.* d) m *add. m. 2.* e) m *add. m. 2.*

119. a) *Lemma:* Ad Eneam episcopum. b) ampexus, am *ex* a *corr. m. 2 in ras.* c) *ex* nuntium *corr. m. 2.* d) *ex* pollicemur *corr. m. 2.*

1) *Amalrici successor c. 855 vel 856—871.* 2) *Peut-être Ferrières-Larcon (dép. d'Indre-et-Loire) DESD.* 3) *De quo cf. supra epp. 98. 99 p. 87.* 4) *vassallum episcopi.* 5) *Eundem locum laudat in ep. 45. 108 p. 52. 93.*

858—862 DESIDERABILI[a] PONTIFICI A[RDERICO][1] L[UPUS] ET FRATRES[b] EIUS MONACHI SEMPITERNAM SALUTEM.

Suspensi ad benignissimas promissiones vestras, tempus frustra fluere dolemus, cum infestationes praedonum non possumus non[c] habere suspectas. Proinde, ut vestrum acceleretur votum nostrumque depellatur periculum, suppliciter imploramus, ut propter caelestem retributionem ipsi dignemini ad aliquem locum fatigari, quo non sit mihi et quibusdam fratribus impossibilis accessus, ut et vos nobis exponentibus nostram necessitatem et nos vobis aperientibus vestram voluntatem plene valeamus cognoscere. Cum loco autem diem mensis exprimite, ne dubietate aliqua confundamur.

Cupimus vos valere feliciter.

121.

Lupus Ferrariensis abbas per Vulfadum abbatem S. Medardi de adventu Karoli regis certior fieri vult. *858—862.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 516; Desd. 129.

UNANIMI[a] SUO V[ULFADO][2] L[UPUS] OMNIMODAM SALUTEM.

Fama vulgavit adventum regis aliter futurum, quam fuerat ab eo dispositum. Causas igitur huius immutationis, et quo tandem tempore venturus sit[3], aut ubi interim moraturus, familiaribus litteris aperite, ut ex eis, quid mihi agendum sit, inspirante Dei favore, valeam aestimare. Relatio enim cursoris fidem non invenit, quoniam frequenter evidenti mendacio maculatur.

Valete.

122.

Lupus Ferrariensis abbas Gerardo duci et Berthae coniugi eius de victoria super Normannos deportata gratulatur, Adonem monachum, qui studio discendi Prumia Lugdunum se contulerat, ad episcopatum suscipiendum commendat. *860.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 516—517; Desd. 125.

PRAECELLENTISSIMO[a] DUCI G[ERHARDO][4] ET CLARISSIMAE CONIUGI EIUS B[ERTAE][5] L[UPUS] PRAESENTEM ET FUTURAM SALUTEM.

Semper insignis fama de probitate vestra bonos quosque laetificavit, sed nunc in omnium notitia uberius effloruit, cum eandem probitatem vestram successu profuturo christianis omnibus divinitas comprobavit[6]. Illi laudes, illi gratiae, illi exquisita praeconia, quo[b] auctore hostes molestissimos partim[c] peremistis, partim fugastis. Cum vero quae primo polliceri, postea promittere dignati estis, largiti fueritis, conabimur gratias cumulare. Ceterum, quod diligenter scrutamini, noveritis monachum et discipulum meum Ad[onem][7] numquam a nostro monasterio aufugisse, sed ad petitionem

---

120. a) *Lemma:* Ad Ardvicum episcopum. b) *ex* fratris *corr. m. 2.* c) non *add. m. 2.*

121. a) *Lemma:* Ad Vulfadum abbatem.

122. a) *Lemma:* Ad Gerhardum. b) qua *post ras., corr. Tr.* c) partim peremistis *add. m. 2 in marg.*

1) *Vesontionensem 850—871. Giry (l. l. p. 119 n. 2) hanc epistolam annis 861—862. scriptam esse putavit.* 2) *clerico quondam Remensi, tum abbati Resbacensi et S. Medardi (858—866), Karoli regis familiari cf. Poet. Carol. III, 519 n. 4. 690.* 3) *Cf. infra ep. 124 p. 104 v. 23 sqq.:* Quod aliunde compereram, ... si Deus annuerit, dominus rex fiet nobis vicinus. 4) *De Gerardo comite cf. supra ep. 81 p. 72.* 5) *Berta commemoratur in praecepto Karoli (Böhmer nr. 1746), apud Flodoardum, Hist. Rem. eccl. l. III c. 27 (SS. XIII, 550) et apud Hincmarum, ann. 871. p. 115 ed. Waitz.* 6) *Anno 860. Dani aliquamdiu in Rhodano morati tum Italiam petiverunt (Prudentii ann.), sed nescimus, an Gerardus comes cum eis dimicaverit.* 7) *Adonem post archiepiscopum Viennensem 860—875. dicit.*

beatae memoriae Marc[wardi] abbatis ex Prumia aut Proneam a nobis eum honeste directum et, cum illo aliquandiu conversatum, quorundam invidiosorum[a] vitasse insidias[b] et inde discendi[c] studio et quietis amore in urbe Lugdunensium constitisse. Reverentissimis autem viris Rem[igio], memoratae urbis metropolitano [1], et H[ebbone] [2] Gratianopolitano instanter postulantibus et conversationem memorati fratris laudantibus, quamquam olim meam verbis habuisset licentiam, etiam regulares litteras accepisse; quae prolatae, quid de eo sentiam, fidei relatione fatebuntur. Litteras etiam eum ecclesiasticas habere a venerabili episcopo nostro G[uenilone] certissime scio, nec impedire aliquid, si Deus eum vocat, quo iuste eius infirmari possit electio[d]. Bene apud nos conversatus est. Quo plurimum indiget ecclesia, idoneus est ad docendum, regularibus et pontificalibus fultus est epistolis, progenitorum nobilitate ornatur [3]. In sancto proposito[e], iudicio praedictorum antistitum, inter quos degit, devote perdurat. Quid restat, nisi ut quod sanctis praesulibus Deus inspiraverit fiat? Quid autem mirum, si aliquando asperius aliquid super eo locutus sum? Illud culpa fuit inimicorum eius impudenter falsa vulgantium. Istud quod nunc litteris alligo, meum est iudicium[f] constanter prius visa et postea comperta narrantis. 860—862

Cupio vos valere feliciter.

123.

Lupus Ferrariensis abbas aegre fert, quod cum Ansboldo Prumiensi abbate colloquium habere sibi non licuerit. *860—862.*

Edd. Desd. 126.

CARISSIMO[a] SUO ANS[BOLDO] L[UPUS] INDEFICIENTEM SALUTEM.

Vehemens ac generalis necessitas, ut comperistis, abduxerat [4]; ac propterea nequivimus, quemadmodum uterque nostrum cupiebat, dum reverteremini, fido recreari colloquio. Erit autem divinae gratiae istud quandoque compensare dispendium. Interim sinceritate amoris probabiliter delectemur. Ceterum redditae sunt nobis dudum litterae diem ingressus vestri in monasterium ostendentes: quibus in conventu recitatis et ab omnibus merito collaudatis, rescripsimus quae nobis consequentia videbantur. His autem recentibus inspectis, intelleximus illas necdum vobis fuisse perlatas. Nunc vero, id est Nonis Martii, vos easdem habere opinamur, atque ideo quae continentur eisdem otiosum esse repetere. Fratres omnes affabiliter salutate et, ut pro nobis, utpote sibi devotissimis, orare dignentur[b], suppliciter obtinete.

Optime vos valere optamus.

124.

Lupus Ferrariensis abbas apud Gueniloneni archiepiscopum Senonensem se contra accusatores defendit: decessum eius se numquam voluisse; de Bernegaudo fratre et de fugitivo addit. *859.*

Edd. Desd. 122.

---

a) invidiorum. b) si *in ras. add. m. 2.* c) de- *ex* di *m. 1.* d) *ex* ecectio *m. 1.* e) preposito *P, corr. Masson.* f) indicium.

123. a) *Lemma:* Ad Ansboldum. b) *ex* dignantur *corr. m. 2.*

1) *Lugdunensi 852—878.* 2) *Hebbone 855—869(?).* 3) *Anastasii bibliothecarii familiaris et propinquus fuit, filius fortasse sororis Arsenii Hortensis episcopi, cf. Lapôtre, De Anastasio bibliothec. p. 39. 226. 325.* 4) *scil. a monasterio suo: aut placitum aut expeditionem dicere videtur.*

859—862 REVERENTISSIMO[a] GUENILONI PONTIFICI LUPUS PRAESENTEM ET FUTURAM SALUTEM.

Non est mirum, si vos tamdiu metropolitanus episcopus[1] mendatio fefellit, quando
cf. 2. Reg. 16, 3. 4; 19, 27—30. David nequam servus verisimili figmento ad horam decepit. Praediorum, quibus donatus fuerat, medietate servus ille multatus est: episcopo vero timendum est, ne promissionum caelestium integritate privetur, cum, teste sapientissimo Salomone, eum detestetur
Prov. 6, 16. 19. anima Dei, 'qui seminat inter fratres discordias'. Et hoc et omnia, quae ab inprudentibus velut taedio et impossibilitate contemnenda[b] ducuntur[c], facillime iudicii exitum sortientur, cum tanta evidentia[d] in memoriam cuncta revocabuntur, ut nec auctores malorum purgare obiecta, immo declarata conentur nec ulla rationalis creatura inde dubitare praevaleat, quae creatoris aequitas omnibus proposuerit cognoscenda. Ibi, nisi satisfecerit, eum trepidare frustra videbitis, quem vera referre ut homo falsi credidistis. Quomodo enim tantae possem effici pravitatis, ut depositionem eius cuperem[2], cuius acceperam divinitus consecrationem? Testem eum securus facio, cuius experiemur uterque iudicium, quoniam, postquam praeesse coepistis et dignati estis me in familiaritatem assumere, semper optavi vos et in sanctitate proficere et dignitate augeri; et, si, meis rebus integris, sinistrum aliquid, quod Deus avertat, vobis contigisset, paratus fui opem ferre pro viribus et me amicissimum modis omnibus evidentissime comprobare. Quodsi me perfidiam incurrisse recolerem, tantum scelus negatione non tegerem, sed confessione simplici veniam optinere conarer. Nam cui
ib. 26, 27. vel parum sacras intuenti litteras non ultro ac saepissime[e] occurrat: 'Qui parat foveam proximo suo, incidet in eam'. Haec quam vera sint, utinam aperiat in praesenti, qui, omni ambiguitate remota, patefaciet in futuro, ac me in hac parte paenitus innocentem insolubilem familiaritatem vestram[f] ad utilitatem utriusque tribuat optinere! Quod aliunde compereram vosque dignati estis mandare, si Deus annuerit, dominus rex fiet nobis vicinus: post cuius digressum, si vobis placet, ut primo fieri potuerit, desidero in congruo utrique loco vos adire et sequestra Spiritus sancti[g] gratia reciperare amicitiam, quam spiritus maligni malivolentia aliquantulum perturbavit. Tunc etiam referre potero, quid super fratre Bernegaudo[3] sancti Germani monachi annuerint quidque solum absque nostro damno praestare valeamus fugitivo nostro, qui nuper clementiam vestram precibus inquietavit.

Exiguitatis meae memores semper cupio vos valere feliciter.

125.

Lupus Ferrariensis abbas Fulcrico Trecensi episcopo gratias agit de praedio Aquense ab eo monachis donato, Normannorum periculum aversum esse gaudet, de penuria monasterii queritur. *862.*

Edd. Bouquet, Recueil VII, 517; Desd. 127.

REVERENTISSIMO[a] PRAESULI FOLCRICO[4] LUPUS TEMPORALEM ET AETERNAM SALUTEM.

Affluentiam gratiae divino munere vobis indultam litteris comprehendere placuit ad laudem illius, qui dedit, et ad condempnationem avaritiae commendationemque

---

124. a) *Lemma:* Ad Guenilonem episcopum. b) *ex* contennenda *corr. man. 2.* c) *ex* dicuntur *corr. m. 2.* d) aevidentia. e) *ex* saepissimae *corr. m. 2.* f) uram. g) sancti *add. in marg. m. 2.*

125. a) *Lemma:* Ad Folcricum *(spatium titulo destinatum vacuum est relictum).*

1) *Herardus Turonensis archiepiscopus, cui post synodum ad Saponarias habitam a Karolo cura commissa erat adeundi Wenilonem ad eumque referendi mandata synodi, cf. Herardi commonitorium, Mansi, Coll. conc. XV, 541.* 2) Lupus abba *interfuit concilio ad Saponarias habito (Capitul. reg. Franc. II, 450), in quo de proditione ac poena Wenilonis agebatur.* 3) *De Bernegaudo cf. supra ep. 116 p. 100.* 4) *Trecensi, qui Prudentio a. 861. successit, amico Lupi, de quo cf. supra ep. 109 p. 94.*

invictissimae caritatis. Nam cum ad quandam[a] insulam Saequanae pagani crudelissimi 862
pyratae[b] applicuissent, quae sita est sub Melleduni oppido ab aliis recens exusto[1], et eorum viciniam nobis, ut erat, periculosissimam, nisi Dei miseratio subveniret, duceremus, nec in monasterio consistere audebamus nec quo migrare possemus, depressi[c] aerumna tantae calamitatis, inveniebamus. Inter haec, cum me graviter aegrotantem visitatum venissetis ac nos[d] ingenti exterritos metu offendissetis, illico absque ullo deliberationis tae[dio][e] nostrum exhonerastis pudorem et, praevenientes nostram supplicatio[nem], obtulistis[f] praedium Aquense[2], dominationis vestrae praecipuum, in quo tu[to][g] malitiam temporis vitaremus, tenendae nostrae professionis oportunit[ate] non paenitus destituti. Praeterea largissimam humanitatem vos praebituros vix credibili benivolentia[h] ostendistis. Hic incomparabili consolatione per vos ultro nobis divinitus oblata[i], praesertim in tam immani discrimine, quid faceremus? Conati sumus[k], ut par erat, Deo et vobis saltem gratias referre, sed, succumbente[l] ingenio[m], nequivimus eas digne mente concipere, nedum ore proferre. Ergo attoniti, habundante[n] ubique iniquitate Matth. 24, 12.
et refrigescente caritate multorum, admirati sumus diebus nostris aliquem repertum, qui cum tanto rei familiaris detrimento et imminutione indigentibus subveniret. Nimirum hoc fuit a fratribus necessitatem patientibus non claudere viscera, hoc fuit epi- cf. 1 Ioh. 3, 17.
scopaliter compati, hoc postremo caritatem implere. Verum, quoniam exuberans Dei nostri clementia, tegens indulgentia innumeras maximasque culpas nostras, minas praedonum, quibus, vastatis longe lateque celeberrimis locis, etiam sedem negotiatorum Cappas[3] se petituros iactabant, subvertit ac eos a nobis, quod utinam ab omnibus christianis faciat, avertit nec hac vice avulsi a nostro coenobio cogemur peregrinari, optamus omnes, quasi concesso nobis usi beneficio, ut sit vobis tam copiosi boni salva merces repraesentanda a Deo, cum coeperit electos glorificare et gratiam pro[o] gratia reddere. Parvitas autem nostra, paene[p] [in]audita vestra liberalitate obligata, numquam erit vobis ingrata[q] [sed i]t ad obsequendum paratissimam quibuscumque valuerit indiciis com[prob]abit[r]. Sit tamen Aquensis fundus tempore praelationis vestrae, quod Deus [di]uturnum[s] esse concedat, nostro perfugio[t], si infelicitas similis acciderit, destinatus. Contineantur aedificia, hortus[u] etiam diligentius excolatur, quod recte facere disposuistis. Agri ad hoc apti vitibus conserantur, acervi frugum iusti laboris industria multiplicentur, ut et vobis suppetat, quod de more quotannis domesticis tribuatis, et quod opem quaerentibus misericorditer largiamini et, si illo nos, quemadmodum[v] formidamus, peccatis nostris id exigentibus, ultima necessitas traxerit, latibuli nostri asperitas memoratis subsidiis leniatur. Quid autem velimus super his, quae a nobis dignati estis accipere, cur quaeritis? quare non aspicitis[w], quota portio sit nostrae servitutis, si vestro[x] maximo beneficio[y] conferatur? Ac ne huiusmodi, quam praeferimus,

---

a) aliquandam *P, corr. Tr.* b) *ex* pyrate *corr. m. 2.* c) depresi *alterum* s *add. m. 2.* d) *ex* agnos *corr. m. 2.* e) tae', *abscissa folii 61 parte desunt cetera, quae man. saec. XVI in marg. suppl.* f) optul. *corr. in* obtul. g) tu . ., *Bal. suppl.* tutius, *fortasse* tuto, *quod manu saec. XVII in infer. marg. scriptum est.* h) benivolentia — incomparabili *suppl. m. 2 in marg.* i) *post* oblata *induxit m. 2 verba* praesertim per vos ultro nobis divinitus oblata. k) *ex* conatissimus *corr. m. 2.* l) *primum* c *in ras. add. m. 2.* m) *ex* ingenuo *corr. m. 2.* n) h *add. m. 2.* o) *ex* per *corr. m. 2.* p) *tres fere litterulae desunt,* in- *suppl. Desd.* q) *quattuor fere litt. desunt,* sed ut *suppl. Tr.* r) con . . . abit *P,* confirmabit *suppl. Bal.,* comprobabit *Desd.* s) . . uturnum, *man. saec. XVI in marg. suppl.* t) *ex* profugio *corr. m. 2.* u) *ex* ortus *corr.* v) *ex* quodadm. *corr. m. 2.* w) *ex* aspicitas *corr. m. 2.* x) *ex* siuro *corr. m. 2.* y) beeneficio.

1) *Cf. Hincmari ann. 861 (ed. Waitz p. 56):* Welandus autem per Sequanam usque ad castrum Milidunum *(Melun)* cum sociis suis ascendit. 2) *Aix-en-Othe.* 3) *Chappes ad Sequanam, id quod Giry p. 119 vidit, sed iam ante eum Bonamy, Mémoires de l'acad. des inscriptions t. XVII, 288 (a. 1751): à trois lieues au-dessus de Troyes.*

862 dissimulatione nos callide ampliora suspicemini[a] elicere meditari, quae cogitamus absque obscuritate expromimus. Comperistis, quamquam[b] locus noster Bethleem, hoc est 'domus panis', appelletur[1], panis nos penuriam cito passuros, nisi vestra aliorumque amicorum benignitas suffragetur. Proinde, pollicitationis vestrae memores, potestis nos clientes vestros mense gratis alere dimidio, non sine usura quasi ex debito sustentare. Ac ne nos impudentiae, immo stultitiae, arguatis, recolite rhetoricae a nobis non improbari peritiam, quae instituit, ut, cum minora impetrare disponimus, maiora[2] poscamus.

Cupimus vos valere feliciter et vestrae dignitatis eminentiam honestis iugiter moribus et sanctis actibus exornare.

126.

Lupus Ferrariensis abbas aegritudine diuturna impeditus apud Guenilonem archiepiscopum Senonensem se venire non posse excusat; licentiam omnium vitiorum eo regente lamentatur. *862.*

Edd. Desd. 130.

REVERENTISSIMO[a] PONTIFICI GUENILONI LUPUS PRAESENTEM ET FUTURAM SALUTEM.

Sanctitatis vestrae litteris alacriter paruissem, nisi votum meum molestia corporis impedisset. Nam, cum post diuturnas et asperas huius anni aegritudines bene revalescerem, subito tussim incurri, quae, meatus obstruens, paene[b] totam mihi spirandi facultatem adimebat. Hinc factum est, ut multum sanguinis detraherem maximamque inbecillitatem contraherem. Proinde nusquam audeo progredi, donec quietis ac medicamentorum, immo divinitatis, ope mihi quantulacumque sospitas reformetur. Unanimis tamen vobis in omnibus supplicabo et ad idem agendum fratres meos ortabor, ut Deus inspiret vobis consilium, quo generaliter prositis omnibus christianis, ne[c] peccatum iniustitiae, quae nos iam miseros fecit, in damnationem pertrahat sempiternam. In diebus pontificatus vestri ad tantam libertatem vitia proruperunt, ut vindicata inpunitate[3] apertis quibusque nec Deus nec rex nec episcopus timeatur. Quid moramini? Quid ultra expectatis? Aut Deus vestra industria et auctoritate ad aequitatem reducet res humanas aut haec malorum incrementa, post inauditas contumelias, paene[b] omnes, qui pauci remanserunt, obpriment innocentes. Videtis, quia
Isai. 59, 15. secundum beatum Esaiam 'qui recedit a malo, praedae patuit'. Nec tutus quisquam contra violentiam raptorum est[4], nisi qui viribus praevalet aut in eorum concessit collegium.

Cupio vos valere feliciter et parvitatis meae memoriam habere benignam atque continuam.

127.

Lupus Ferrariensis abbas Odoni Bellovacensi episcopo se Kal. Iunii navigio eum visitaturum esse spondet. *861—862.*

Edd. Desd. 128.

---

a) -ni *add. m. 2.* b) quanquam.

126. a) *Lemma:* Ad Guenil[onem]. b) *ex* pene *corr. m. 2.* c) nec c *del. m. 2.*

1) *Isidor. Etymol. XV, 1, 23.* 2) *Cf. supra ep. 68 p. 66; Quintil. Instit. orat. V, 11, 9. 10:* ex maioribus ad minora. 3) *Cf. supra ep. 64 p. 64:* malorum impunitas vitiorum semper peperit incrementum. 4) *V. ep. 104 p. 91:* nichil securius atque constantius quam rapinarum violentia frequentatur. *Hanc epistolam eum in ultimo vitae suae tempore scripsisse patet.*

UNICE[a] SINGULARITERQUE DILECTO PRAESULI ODONI[1] LUPUS PLURIMAM SALUTEM. 861—862

Maximis pluribusque vestris[b] beneficiis adiutus, securus ad vos decurro, his etiam usurus[c], quae per nuntios meos vos praebiturum esse mandastis. Verum, quia non misistis equum nec idoneum, qui me tolutim[d] ferret, habebam, navi ad vos, si Deus vult, cursum tenebo. Ergo vestra indulgentissima pietas, quae me gratis et ultro fovendum recepit, navi egressum ne patiatur durioris equi succussatura[2] vexari. Locum ubi tendamus vobis vicinum et congrua equis pabula cum vestris, sicut mandare dignati estis, vos procuraturum non dubito. Cursor noster, donec veniamus (quod oppinor futurum, suffragante Dei clementia, Kal. Iunii), pauperis apud vos locum implebit et, si permissus fuerit, observabit fragmenta, ne pereant; pocula etiam, ne gratiam amittant humore, siccabit.

EPISTOLARUM LUPI ADDITAMENTUM.

1.

Lupus monachus Buno abbati et fratribus Hersfeldensibus vitam S. Wigberti confessoris rogatu eorum compositam mittit; de temporum longinquitate inde a Wigberti morte se excusatum vult. 836. 836

Codd. Erfurtinus 21 s. XII (E), Monacenses (M 1. 2) (quond. Windberg.) 22242 s. XII et (quondam Fürstenfeld.) 6910 s. XIV, Erlangensis (quondam Halisbrunnensis) 321 s. XIII in., Guelferbyt. Helmstad. 322 s. XVI, quos omnes adhibuit Holder-Egger.

Edd. Io. Busaeus, Hincmari epistolae, Moguntiae 1602 p. 339; Surius, Vitae SS. Coloniae 1618 III, Aug. 124; Mabillon, Acta SS. III, 1, 673; Acta SS. Bollandi Aug. III, 133. 134; Baluzius, Lupi opp. p. 292. 293; Migne Patrol. CXIX, 679, SS. XV, 37—38.

REVERENTISSIMO[a] ABBATI BUNO CUNCTISQUE FRATRIBUS EIUS LUPUS PLURIMAM SOSPITATEM.

Cunctanti mihi viribusque propriis diffidenti, ut vitam sancti Wigberti stilo conarer prosequi, vestra, dilecti patres, extorsit instantia. Et aequum fuerat, ut in obstinatissima negatione persisterem, quando ad id, quod me imparem tantae materiae tenuitas deficit ingenii, accessit, ut hoc opus a vobis eo potissimum tempore, quo essem occupatissimus, peteretur, ni[b] me caritas, remotis gravissimis necessitatibus meis, vestrae voluntati morem gerere compulisset. Siquidem huic qui pareat, suis neglectis, interdum fraternis prospicit commodis. Igitur succubui vestro imperio. Ceterum divinae erit clementiae simul et intercessionis beati viri, cuius gesta ex aliqua parte contingere statui, ut digna memoria digno sermone scribantur[c] et, quae clarissima sunt qualitate, sensibus incultis deformata non horreant.

Nec vero cuiquam haec ideo iudicentur infirma, quod octingentesimo tricesimo sexto anno dominicae incarnationis, indictione autem quarta decima, praesens opusculum cudens, ante nonaginta annos acta repetere videar, cum profecto, si vel leviter est

---

127. a) *Lemma:* Ad Odonem praesulem. Dodon. *corr. in* Odon. *m. 2.* b) vestris *add. m. 2.* c) *ex* usuros *corr. m. 2.* d) mexolutim *P, corr. Tr. (cf. Non. Marcell. ed. Mercier p. 105).*

Add. 1. a) Reverentissimis *codd. praeter Guelferb.* b) nisi *E.* c) describantur *M.*

1) *Bellovacensi inde ab a. 861., antea abbati Corbeiensi, cf. supra p. 95.* 2) *Cf. Nonium Marcellum, ed. Mercier p. 17 (Tr.).*

836—839 eruditus, non ignoret Salustium Crispum Titumque Livium non pauca, quae illorum aetatem longe praecesserant, partim auditu, partim lectione comperta narrasse et, ut ad nostros veniam, Hieronimum[a] Pauli sui[b] vitam[1], quae certe remotissima fuerat, litteris illustrasse et antistitem Ambrosium virginis Agnes[c] passionem[2], cui profecto contemporalis non fuerat, editam reliquisse. Neque nova haec est et quae sola deprecationis egeat maiorum neglegentia, scilicet[d] tanti viri facta non mandata memoriae, cum non ab his modo, qui haut longe ante nos vixerunt, verum ab eis[e] etiam, qui quam longissime praecesserunt, gravissima quaedam suppressa cognoscimus. Proinde, cur mihi fides derogetur, non video, cum, si culpa fuit hactenus virtutes huius eximii viri litterali non comprehensas officio, hac profecto nos exuo[f], nihilque praeter quam firmissime vobis comperta mihique[g] quodammodo assignata legere volentibus praebeo. Id autem a periti benivolentia lectoris optinuerim, ut, sicubi Latini sermonis lenitas[h] hominum locorumve nominibus Germanicae linguae vernaculis[i] asperatur[3], modice ferat ac meminerit non carmen me scribere, ubi poetica[k] licentia nonnumquam[l] nomina mutilantur atque ad sonoritatem Romani diriguntur eloquii vel paenitus immutantur[m], sed historiam, quae se obscurari colorum obliquitatibus rennuit. Verum iam propositum ordiamur.

Haec inchoata, ut voluistis, quam absoluta oratione direxi, qua neque commenticium aliquid extrinsecus addidi et quae vestra sollertia suggessit inserenda, servato tramite veritatis, expressi. Quae beatus confessor Christi Wigbertus utinam pio prosequatur favore ac vobis, qui ministrastis materiam, una mecum, qui hanc in aliquam redegi formam, intercessionis vicem compensare dignetur.

2.

Lupus monachus Waldoni monacho vitam S. Maximini rogatu eius dedicat, quamquam de rebus ab eo gestis parum accurate instructus. *839.*

Codd. Berolinensis, quondam Cheltenhamensis 16372 f. 131 s. IX—X, de quo cf. N. Arch. XXII, 688 (C); Monacensis (quondam Tegernseensis) 18625 f. 11' s. XI (M), Berolinensis Phillipicus 1839 f. 250 s. XIII (B)[a], quos contulit Hampe.

Edd. Surius de prob. SS. historiis, Col. 1572 III, 427; Baluzius, Lupi opp. p. 275—276, Migne Patrol. CXIX, 665; SS. rer. Merowing. III, 74.

LUPUS WALDONI SUO SALUTEM.

Amicos honestis certare officiis seque invicem velle sinceris praevenire obsequiis, inter praecipua humanae vitae negotia non inmerito deputatur. Quippe nostra inbecillitas mutuis[b] freta subsidiis, cooperante divina[c] gratia, nec laetis inaniter extollitur et, par effecta tristibus, ab eis haudquaquam[d] facile superatur. Huius tantae rei subtilis consideratio me tibi, Waldo karissime, suasit morigerari et, quod iam[e] inde ab initio nostrae cognitionis magnopere flagitasti ne tibi negarem[f], effecit[g], scilicet ut vitam beati Maximini meo stilo elucubrarem[h] et res, quae ad nos usque qualibuscumque litteris decurrerunt[i], accuratiori sermone convenienti restituerem digni-

---

a) Iheron. *E.* b) Paulae suae *E;* Ieron. presbyterum sui *M 2.* c) Agnetis *E.* d) *om. M 1.* e) his *M 1.* f) excucio *E.* g) nichilque *corr. in* michique *M 1.* h) lęnitas *M 1,* levitas *M 2.* i) verbiculis *M 2.* k) lingua *add. M 1.* l) nominum quam *M 2.* m) inminutantur *M 2.*

2. a) *Lemma:* Incipit vita sancti Maximini episcopi *C,* Incipit prologus de vita sancti Maximini confessoris *M.* b) rite *add. M.* c) dei *B.* d) haud quamquam *B.* e) *om. C.* f) me tibi non negare *M pro* ne — negarem. g) effectu *B.* h) elugubrarem *C.* i) decurrerat *M.*

1) *eremitae primi, Opp. ed. Vallarsius II.* 2) *Ambrosio falso adscriptam, Acta SS. Ian. II, 350—363.* 3) *Cf. infra c. 5 (SS. XV, 39):* cenobio suo, cui nomen est gentili Germanorum lingua Friteslar.

tati. Huc accessit, quod memoratum virum clementi apud Deum intercessione mihi 839—850
plurimum confido profuturum, si eius actus, quanta possim[a] diligentia, celebrans[b], proponam nescientibus imitandos. Verum in hoc opere illud me admodum coartat, quod, multis, quae[c], dum adviveret[d], egit, ut[e] palam est, silentio suppressis, vix parva gestorum illius monimenta extant et in his[f] ipsis quaedam fabulosis inveniuntur similia.

Quo fit, ut amplissimi viri opinatissimae[g] maiestati angusta scribendi materia parum respondere videatur. Omissis itaque his[f], quae[h] fidem ceteris poterant derogare, non ingenii[i] mei, verum divinae gratiae fiducia digna dumtaxat memoratu[k] hinc narrare aggrediar[l1].

3.

Lupus Ferrariensis abbas Hincmaro Remensi archiepiscopo de praedestinatione bonorum et malorum strictim exponit. *849—850.*

Cod. Valentianensis (quondam Elnonensis) 293 f. 144'—145' (E) s. X, de quo cf. Catal. des départem. XXV, 321.

Edd. Sirmondus, Opp. var. II, 981; Gallandus, Bibl. patr. XIII, 589; Baluzius, Lupi opp. p. 191—193 n. 128; Desd. 89.

REVERENTISSIMO[a] PRAESULI H[INCMARO] L[UPUS] PERPETUAM IN DOMINO SALUTEM.

Scrutanti mihi diu multumque de praedestinatione[2], de qua in pace, in qua vocati sumus a Deo, quaerimus et deliberamus, quid probabiliter esset sentiendum, ne illud apostoli, 'quos praescivit et praedestinavit' pateat, illud vero, 'vasa irae perfecta' Rom. 8, 29. ib. 9, 22.
sive 'parata' sive 'apta' 'in interitum' et illud quod divinitus alibi scribitur: 'nescit homo Eccl. 9, 1.
utrum amore an odio dignus sit', itemque 'Considera opera Dei, quod nemo possit ib. 7, 14.
corrigere quem ille despexerit', et similia passim[b] in divinis reperta eloquiis dignum non habeant exitum, haec verissima videtur sententia, ut praedestinatio sit in bonis iuxta intellectum doctissimi Augustini[3] gratiae praeparatio, praedestinatio autem in malis secundum nostram capacitatem gratiae subtractio. De quibus idem certissimus auctor[4] ita sentit[c5]: Quibus non vult subvenire non subvenit, de quibus in sua praedestinatione aliud iudicavit, ita tamen, ut in utrisque creator aequissimus inveniatur, dum et illis gratiam misericordia impertitur et istis eandem gratiam, quamquam[d] occulto, iusto tamen iudicio non largitur. Denique[e] in Adam omnes recti[f] creati sumus et libertatem arbitrii absque ullius difficultatis impedimento[g] accepimus, sponte autem

---

a) possum *M, B.* b) celebratos *M.* c) multis eius miraculis *M pro* multis quae. d) quoad viveret *M.* e) nunc *add. M.* f) hiis *B.* g) opinantissimae *scr. Krusch ex duobus codd.* h) qui *M.* i) ingenui *M.* k) memor tui *B.* l) Explicit prologus *add. B.*

3. a) *Lemma:* Ad Hincmarum praesulem. b) sparsim *Sirm.* c) scribit *Sirm.* d) quanquam *E.* e) Dumque *Sirm.* f) *corr. ex* recte *E.* g) *in marg. suppl. E,* et interpellatione *add. Sirm.*

1) *Ex vita ipsa duos hic affero locos ad Lupi mores cognoscendos aptos (ed. Krusch p. 75. 76) c. 2:* Hoc utinam homines nunc intueri vellent et imitari! Profecto numquam ecclesiasticos honores, qui sanctis et eruditis tantummodo competunt, corruptelis vitiorum obnoxii oraculorumque caelestium nescii pecunia mercatum irent seque velut gravem et oppressuram sarcinam nolentibus ac reclamantibus nequaquam prorsus inponerent; *c. 5:* Sed o nostri temporis mores degeneres! Omnes pene iam nervi pristini roboris conciderunt. Levibus terroribus fracta cessit constantia, pluris pecunia quam iustitia aestimatur. Quis iam imperatoribus divinorum praeceptorum reserare salutarem non reformidet severitatem? Quis eis sua pericula zelo divini timoris accensus absque fuco adulationis aperiat? 2) *Cf. de trib. quaestion. p. 208:* super memoratis quaestionibus . . anxie diuque scrutatus sum, *v. etiam Schrörs, Hinkmar v. Reims p. 109, Sprotte, Biogr. des Abtes Serv. Lupus p. 132—135.* 3) *immo Fulgentii, de fide ad Petrum c. 35, Augustini opp. VI append. col. 25.* 4) *De trib. quaest. p. 235:* hic auctor certissimus, quia divinarum scripturarum observantissimus. 5) *Ib. p. 249:* Item malos praedestinatos in libro de bono perseverantiae . . sic sentit *etc., v. De dono perser. c. 11 § 25, Augustini opp. X, 834.*

849—850 peccante Adam, in quo, ut apostolus testis est, omnes peccaverunt[1], omnes cum
Rom. 5, 12. ipso[a] dumtaxat utroque sexu progeniti condicionis dignitatem amisimus et poenam peccati, hoc est concupiscentiam et mortem, non animae solum, verum etiam corporis, merito nostro incurrimus. Hinc est[2], quod, qualis Adam a Deo creatus est, non
f. 23′. nascimur, sed originaliter peccatores damnatique *poena peccati, quorum alterum fecit spontanea culpa nostri primi parentis, alterum culpam puniens tremenda severitas
Rom. 9, 18. iustissimi iudicis. Cum ergo communiter omnes damnati simus, cuius nostrum vult Deus miseretur et quem vult indurat, hoc est in propria duritia derelinquit[b]: miseretur magna bonitate, indurat nulla iniquitate. Sic itaque hos, quos indurat, praedestinat, non ad supplicium impellendo[3], sed a peccato quod meretur supplicium non retrahendo,
Exod. 9, 12. quemadmodum induravit cor Pharaonis, non id[c] ad culpam cogendo, sed gratia emollitum a culpa non revocando. Sic recte possumus dicere, induci a Deo in tempta-
Matth. 6, 13. tionem qui non exaudiuntur orantes: 'ne nos inducas in temptationem', non quod ipse
Iac. 1, 13. inducat in malorum temptationem, qui[d] utique, ut alibi docetur, intemptator malorum est, sed quodam locutionis genere inducere dicitur, cum iudicio desertos patitur in temptationem induci, quos a temptatione gratia non educit.

Nemo tamen opinetur aut iustis aut reprobis[e] praedestinationis veritate fatalem necessitatem[4] induci, cum in utrisque suspicionem necessitatis libertas voluntatis ex-
cf. Phil. 2, 13. cludat[f]. Siquidem electi, accipientes a Deo et velle et perficere, libenter agunt, unde sempiternum praemium consequantur, perversi autem, deserti ab eodem Deo, non inviti, sed et ipsi libenter agunt, unde in aeternum merito puniantur. Quis vero, nisi, ut mitius loquar[5], tardissimus[g], ibi asserat necessitatem, ubi videat regnare voluntatem vel adiutam misericordia vel desertam divino iudicio[6]? Bonorum[h] voluntatem sic
Ps. 111, 1. divina commendant eloquia: 'Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius volet
Ps. 35, 4. 5. nimis'. Porro malorum voluntatem talem insinuant: 'Noluit intellegere ut bene ageret, iniquitatem meditatus est in cubili[i] suo, adstitit omni viae non bonae, malitiam autem non odivit'. Permissus est ergo iniustus agere quod elegit, ut de malo bene operante Deo claresceret, quid esset inter servientem ei et non servientem, et salvati, quantas
f. 24. habere et agere deberent ipsi Deo gratias, agnoscerent, *dum eandem habentes damnationis causam in isto aspicerent, quod liberatoris gratia evasissent. Haec assertio voluntatis ne in recens quidem ortis[k] nutat infantibus[l]. Nam aut percepta baptismatis gratia si decedant[m], voluntate Dei salvantur aut eadem gratia eiusdem Dei iudicio fraudati hereditarii peccati merito paterna commissi voluntate damnantur.

Ego quod sentio simpliciter vobis aperui, vos vicissim, si in aliquo diversi estis, ne gravemini revelare[n].

Similem[o] Pardulo[7] nostro direxi.

Cupio vos valere feliciter.

---

a) ex eo *Sirm. pro* cum ipso. b) *corr. ex* derelinquid *E.* c) *om. Sirm.* d) quod *Sirm.* e) iniustis reprobis *Sirm.* f) excl. vol. *Sirm.* g) tardus sit *Sirm.* h) ergo *add. Sirm.* i) c. s. a. o. v. n. b. m. a. n. odivit *E.* k) natis *Sirm.* l) locum non habet *pro* nutat infant. *Sirm.* m) decedunt *Sirm.* n) reserare *Sirm.* o) Simile *Sirm.*

1) *Cf. de trib. quaestion. 212—213.* 2) *Cf. Collectan. p. 251, de trib. quaest. p. 214—215.* 3) *Ibid. p. 226:* Indurat autem non ad peccatum impellendo . ., sed in peccato deserendo. 4) *Cf. epist. ad Karol. datam p. 112 v. 7:* fatalem periturorum necessitatem. 5) *Cf. supra p. 76 v. 1.* 6) *De trib. quaest. p. 229:* Utrosque discernit voluntas vel misericordia Dei adiuta vel iudicio non adiuta. 7) *Laudunensi episcopo 847—857, cf. supra p. 22. 71.*

4.

Lupus Ferrariensis abbas Karolo regi rogatu eius de praedestinatione, libero arbitrio ac redemptione secundum patres breviter exponit. 850—851. 850—851

Codd. Valentianensis 293 f. 145'—147' (E); Parisini 12292 (Liber sancti Petri Corbeie) *f. 82—83' (G), 188556 (Bouhier 149) f. 29' (P).*

Edd. Sirmondus, Opp. var. II, 977; Gallandus, Bibl. patr. XIII, 587—588; Baluzius, Lupi opp. p. 184—190 n. 128; Desd. 88.

DOMINO[a] GLORIOSO REGI KAROLO SINCERE FIDELIS LUPUS.

Dudum in urbe Biturigum[1] quaesistis, de praedestinatione et libero arbitrio ac redemptione sanguinis Christi quid sentirem; et ego, quod[b] in divinis litteris didiceram et in maximis auctoribus inveneram, vestrae maiestati strictim aperui. Et, quoniam aliter videtur quibusdam, qui me putant de Deo non pie fideliterque sentire, ipso Deo, cui ab intellegibili aetate plurimum confisus sum, sensum et stilum meum regente, memoratas quaestiones, quas audacter multi ventilant, intellegenter pauci capiunt, breviter, veraciter perspicueque[c] dissolvam. Neque enim longa disputatione vos tenere debeo aut in aliquo fallere aut obscuritatibus retardare, cum vestras occupationes in disponenda re publica non ignorem vobisque post Deum fidem debeam singularem.

Deus Adam rectum condidit, ut sancta scriptura docet, et originaliter in eo nos omnes rectos creavit[2]. Hic parens humani generis rectitudinem deserens naturalem nullo cogente peccavit tam granditer, ut et se ipsum perderet et in se omnes utroque sexu natos condempnaret[d]. Deus ergo fecit excellenter[e] bonam hominis naturam, sed eandem ipse homo vitiavit[f] miserabiliter per spontaneam culpam[3]. Denique fuit Adam, ut ait beatus Ambrosius[4], et in eo fuimus omnes: periit Adam et in illo omnes perierunt. Laudemus igitur Dei opificium et cognoscamus culpae nostrae nihil aliud deberi nisi supplicium. Sed Deus, cui praeterita, praesentia et futura aeque praesto sunt[5] — ipse est enim qui est nec scientiae illius accedit aliquid aut decedit — cum sciret in Adam massam totius humani generis peccato corrumpendam, nec abstinuit ab ea bonum suae creationis, bene usurus etiam malis[6], et ante constitutionem mundi[7] elegit ex ea quos a[g] debita poena per gratiam liberaret, ut ait apostolus: 'Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem', ceteros autem, quibus[h] hanc gratiam misericordia non impendit, in dampnatione[i], quam ipsi peccando meruerant, iusto iudicio[k] dereliquit[l], et hoc modo, ut docet apostolus[8], 'cuius vult miseretur et quem vult obdurat[m]'. Miseretur eorum, quos assumit per gratiam, indurat illos, quos per eandem gratiam non emollit, sed quamvis[9] occulto, iusto tamen iudicio[n] derelinquit. Hi ergo, quorum miseretur, praedestinati sunt ad gloriam secundum illud apostoli: 'quos praescivit et praedestinavit', et appellantur vasa in honorem. Hi[o] Deo debent

Eph. 1, 4.

Rom. 9, 18.

ib. 8, 29. ib. 9, 21.

---

4. a) *Lemma:* Incipit libellus Lupi Servati de praedestinatione ad Carolum regem *G*, Ad domnum regem *E*. b) qui *G*. c) perspicuęque *P*. d) condemnaret *corr. ex* -tos *E*. e) *corr. ex* excellender *P*. f) *corr. ex* vitavit *P*. g) de *superscr. G*, a *al. m. superscr. P*. h) non *superscr. P*. i) damnat. *P, E*. k) iuditio *P*. l) dereliquid *P*. m) indurat *P*. n) iuditio *P*. o) *corr. in* Hii *P*.

1) *Ann. Fontanell. 849 (SS. II, 302):* inde dominus rex Carolus ad Bituricas civitatem mense Decembri venit. *Cf. de tempore huius epistolae Schrörs, Hinkmar v. Reims p. 112, ubi librum de tribus quaestionibus post hanc epistolam scriptam esse recte exponitur, ac de auctoribus eius Sprotte, Biogr. des Abtes Serv. Lupus p. 130—132.* 2) *Cf. Collectanea de trib. quaestion. p. 251:* idem Deus Adam rectum fecit et in eo originaliter rectos nos omnes condidit. 3) *Ibid. p. 212:* in omnibus eius vitiata est natura ex utroque sexu progenitis. 4) *Expos. sec. Lucam lib. VII § 234, Opp. I, 1467. Eundem locum laudat Lupus De trib. quaestion. p. 251.* 5) *Ib. p. 230:* nam Deo simul praesto sunt omnia. 6) *Collect. de trib. quaest. p. 254:* qua *(sc. potentia)* bene utitur etiam malis. 7) *Cf. de trib. quaest. p. 228, ubi eundem locum laudat.* 8) *V. eundem locum in libro de trib. quaestion. p. 251.* 9) *Cf. supra p. 109 v. 28; de trib. quaestion. p. 214. 225; Collect. p. 258; de tr. q. p. 239:* cuius quanquam sit subinde occultum, nunquam tamen est iniustum iudicium.

850—851 totum quod sunt et quod habent, siquidem eius[a] bonitate facti sunt, cum non essent; eius benignitate salvati sunt, cum perditi essent. Illi vero, quos indurat, hoc est non emollit, qui in dampnatione[b] relinquuntur, quam originaliter vel actualiter meruerunt,
Rom. 9, 21. 22. dicuntur vasa in contumeliam, perfecta vel apta in interitum. Hi quod creantur, Dei donum est, quod puniuntur, malum ipsorum. Hos beatus Augustinus[1] in multis libris et in eo, quem fecit ultimum, non dubitat dicere praedestinatos ad poenam, non intellegens fatalem perituroruṁ[c] necessitatem, sed inmutabilem relictorum desertionem.
Iob 12, 14. Legebat enim[d] de Deo[2]: 'Si concluserit hominem, nullus est, qui aperiat', itemque[3]:
Eccli. 7, 14. 'Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit'; illud etiam[4]:
Ps. 80, 13. 'Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis'. Et, ut opinor, dirigebat eum in hunc sensum illud maxime testimonium de Deo, qui fecit
Ioh. 2, 25. quae futura sunt; cui et dicitur[5]: 'Reddes unicuique secundum opera sua'. Quod nimirum facturus est omnibus, nisi quos fecerit beatos, remittendo iniquitates eorum et tegendo peccata. Qui gratiam ipsius Dei summis efferentes praeconiis dicere
Ps. 102, 10. possunt: 'non secundum peccata nostra fecit nobis neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis'. Consentiunt Augustino verbis aliis Hieronimus[e 6] et Gregorius[7], eodem autem verbo Beda[8] et Isidorus[9], quod ex ipsis auctoribus, si vestrae placuerit celsitudini, facile potero demonstrare.

Liberum sane arbitrium[10] in bono quod contempsit[f] primus homo peccans perdidit, in malo autem quod elegit retinuit. Quemadmodum vero[11] si velit quis vel subtrahendo sibi cibum se potest perimere, peremptum autem non potest vivificare: ita potuit homo voluntate delinquens usum in bono liberi arbitrii perdere, sed id, etiam si velit, non potest suis viribus resumere[12]. Non erit igitur in bono liberum illi arbitrium, nisi fuerit divina gratia liberatum. Dominus Iesus[13], qui[g] sciebat, ut scriptum
Ioh. 15, 5. est, quid esset in homine, id salubriter aperiens: 'Sine me, inquit, nihil potestis facere', nihil scilicet boni. Nam ipsi mali auctor et cooperator esse non potest[14], qui, ut
ib. 1, 29. Iohannes[h] ait baptista, agnus Dei est, qui tollit peccata mundi', et quae scilicet facta
ib. 8, 36. sunt et ne fiant. Item alibi Dominus[15]: 'Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis'. Sanctus Cyprianus[i 16], martyr gloriosissimus et[k] doctor suavissimus, bene ex-
1. Cor. 4, 7. pendens verba apostoli: 'Quid habes quod non accepisti? si autem non accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?' statuit in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.
Phil. 2, 13. Unde bona quoque voluntas praeparatur a Domino, ut memoratus apostolus docet[17]: 'Deus est qui operatur in vobis et velle' [id est][l] opus bonae voluntatis, propter quod subiungit 'et perficere pro bona voluntate'. Ipsam etiam bonam cogitationem a Deo
2. Cor. 3, 5. nobis esse doctor gentium manifestans[18]: 'Non quasi sufficientes[m] simus, inquit, cogitare

---

a) *superscr. G.* b) damnat. *P.* c) peritorum *P.* d) e *eras. P.* e) Ieronimus *P, E* f) tempsit *P.* g) Incipit *P.* h) *corr. ex* Hiohannes *P.* i) Ciprianus *E, G.* k) et — suav. *in marg. inf. suppl. P.* l) et *P, E,* perficere *suppl. in marg. G,* id est *coni. Tr.* m) *corr. in* sufficienter *P.*

1) *Enchirid. c. 100 (Opp. VI, 234); Collectan. p. 247:* Hic clarissimus doctor ... in libro ad Laurentium de fide, spe et caritate, quem iam episcopus et senex edidit, praedestinatos bonos et malos ita insinuat *etc.* 2) *V. eundem locum ibid. p. 258.* 3) *V. de trib. quaest. p. 239.* 4) *Collectan. p. 252.* 5) *De trib. quaest. p. 235.* 6) *Cf. testimonia eius Collect. p. 256—257.* 7) *Ibid. p. 257—258.* 8) *Ibid. p. 259—260.* 9) *Ibid. p. 261—262.* 10) *De trib. quaest. p. 212—213.* 11) *Hoc exemplum ex Augustino (enchir. c. 30; Opp. VI, 207) sumptum est, cf. Collect. p. 262, simile in libro de trib. quaest. p. 213.* 12) *Cf. de trib. quaest. p. 216:* verum non posse unquam sua virtute resurgere. 13) *Eadem in libro de trib. quaest. p. 218, ubi dicitur:* nihil scilicet boni, nihil saluti conducibile; *cf. Collect. p. 270.* 14) *Cf. de trib. quaest. p. 229:* qui non est auctor ullius omnino reatus *etc.* 15) *De trib. quaest. p. 218, Collect. p. 264.* 16) *Ad Quirin. l. III c. 4, Opp. ed. Hartel I, 116; cf. de trib. quaest. p. 222:* Itaque gloriosissimus martyr Cyprianus et doctor suavissimus, omnia nostris viribus adimens, Deo assignans *etc.* 17) *De trib. quaest. p. 220:* Itemque non de fide solum, sed de ipsa bona voluntate *etc.* 18) *Ibidem.*

aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est'. Dei gratia nos praevenit, propter quod scriptum est: 'Deus meus, misericordia eius praeveniet me', ut bona velimus et inchoemus. Dei gratia nos subsequitur, ut scriptum est: 'Et misericordia tua subsequetur me', ne frustra velimus et coeperimus. Haec principaliter Dei sunt, ut praemissis testimoniis claruit, et consequenter nostra, quia voluntate a nobis fiunt, ut[a] scriptum est[1]: 'Domine pacem dabis[b] nobis, omnia enim opera nostra operatus es nobis'. Reatus quidem peccati in baptismate solvitur, sed conflictus eius propter exercendam fidem servatur, ita ut adiutorio Dei semper et comprimendis vitiis et optinendis virtutibus egeamus. Hoc et unusquisque Deo pie militans in semetipso sentit et apostolus, iam Christi sacramentum consecutus, sic humiliter confitetur[2]: 'Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivum me ducentem in lege peccati, quae est in membris meis'. De libero arbitrio concorditer ita senserunt quicumque mentem divinorum eloquiorum probabiliter perceperunt. 850—851 Ps. 58, 11. Ps. 22, 6. Isai. 26, 12. Rom. 7, 22. 23.

Postremo, quos redemerit[c] Dominus sanguine suo, evangelica lectione colligitur. Apud Matheum[3]: 'Bibite, inquit[d] Dominus, ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum'. Apud Marcum: 'Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur'. Apud Lucam vero: 'Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur'. Duo ergo evangelistae[e] ponunt 'pro multis', unus 'pro vobis' (quia et discipuli multis annumerantur), nullus 'pro omnibus'. Et, ne id ego temere scrutatus existimer, sanctus Hieronimus[f 4] explanans locum evangelii: 'Sicut filius[g] hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis', quando, inquit, formam servi accepit, ut pro mundo sanguinem funderet, et non dixit dare animam suam redemptionem pro omnibus, sed pro multis, id est pro his, qui credere voluerint[h]. Qua expositione[i] iuxta fidem catholicam docuit solos fideles esse intellegendos sive [in][k] gratia permansuros sive ab ea suo vitio recessuros. Item beatus Augustinus[5] aperiens populo sententiam evangelii[l]: 'Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis', Quomodo, ait, istis dixit, non estis ex ovibus meis? quia videbat eos ad sempiternum interitum praedestinatos, non ad vitam aeternam sui sanguinis pretio comparatos. Matth. 26, 27. 28. Marc. 14, 24. Luc. 22, 20. Matth. 20, 28. Ioh. 10, 26.

His tam claris luminibus doctrinam suam evangelico sensu roborantibus qui audeant contradicere, nisi qui non[k] erubescunt sine[m] luminibus apparere? Ut pace tamen et reverentia tanti viri dictum sit, hunc intellectum evangelico fonte manantem non videns Iohannes Constantinopolitanus episcopus[6], cum exponeret illud apostoli, qualiter: 'gratia Dei pro omnibus gustaverit mortem': Non pro fidelibus tantum, inquit, sed pro mundo universo et ipse quidem pro omnibus mortuus est; quid autem si non omnes credunt? Ille quod suum erat implevit. Verum, cur hoc senserit, nullo divino testimonio comprobavit. Quodsi quis excellentiae culminis vestri ostendit aut ostenderit Faustum quendam de his longe diversa scribentem, ne adquieveritis erranti, quoniam doctus papa Gelasius[7] cum LXX episcopis viris eruditissimis, qui scriptores essent Hebr. 2, 9.

---

a) et *V, corr. ex* et *P.* b) da *superscr.* bis *P.* c) redimerit *P.* d) *corr. ex* inquid *P.* e) euuangeliste *P.* f) Ieronimus *P.* g) *superscr. man. coaeva P.* h) *corr. ex* noluerint *P, rad. ex* voluerunt *G.* i) expos.— recess. *in marg. E.* k) *om. P, E* l) euuangelii *P.* m) sive *corr. in* sine *P.*

1) *Cf. de trib. quaest. p. 219—220. 225.* 2) *De trib. quaest. p. 218:* Paulus iam baptizatus *etc.* 3) *Cf. Lupi collectan. p. 273.* 4) *Comment. in Matth. l. III c. 20, Opp. VII, 157, cf. Collect. p. 272:* Beatus quoque Hieronimus commentario in Matheum se idem sentire manifestat *etc.* 5) *Tractat. in Ioh. evangel. 48 c. 10 § 4, Opp. III, 1, 615, cf. Collect. p. 271:* Et manifestissime explanans populo sancti evangelii locum secundum Iohannem *etc.* 6) *Cf. de trib. quaest. p. 224, Collect. p. 273—274. Enarr. in epist. ad Hebr. hom. 4 c. 1 § 2, Opp. ed. Montfaucon XII, 41.* 7) *ed. Thiel I, 468, ep. 42 § 8; Collect. p. 274, ubi fere eadem verba.*

850—858 vel[a] non essent recipiendi, statuens post commendationem Augustini et singulares laudes Hieronimi[b], memorati Fausti scripta his verbis exauctoravit[c]: Opuscula Fausti Regensis Galli[d] apocrifa[e]. Hanc fidem, quam expressi in supradictis quaestionibus, tenuerunt ecclesiae catholicae invictissimi defensores, hanc ego minimus omnium custodio, hanc volentibus absque invidia ostendo: nolentibus meae mediocritatis conscius non ingero. Nec, ut quidam suspicari se simulant, inaniter, hoc est vanae gloriae studio, cupio innotescere, cum terreat me plurimum illa de scribis et pharisaeis Domini
Matth. 23,5. sententia: 'Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus', et de ypocritis[f]:
ib. 6,2. 'Amen dico vobis, receperunt mercedem suam', sed asserendae[g] veritatis intuitu, quod in divinis auctoritatibus earumque sensum sequentibus praecellentissimis auctoribus, Deo inspirante, deprehendi[h], quaerentibus absque contentione manifesto.

Vestrae igitur opinatissimae[1] prudentiae si iam satisfactum est, gaudeo. Sin autem, vel nunc vel cum Deus noster optatam vobis quietem contulerit, propter alia etiam negotia ecclesiastica, evocatis ad conventum doctioribus quibusque recte perperamne[i] sentiam, suptilior[k] plurium tractatus poterit invenire. Sic Deus vos, opto et oro, diu feliciterque faciat regnare, ut secum vos in aeternum regnare concedat.

5.

Lupus nomine Guenilonis archiepiscopi Senonensis eiusque suffraganeorum a Nicolao I papa doceri vult ex statutis Melchiadis papae, quid de Herimanno Nivernensi episcopo mente capto faciendum sit. *858.*

Cod. Aurelianensis 191 s. XI p. 200, ex quo descr. Cuissard bibliothecarius.

Edd. Sirmondus, Opp. var. II, post 944. Baluzius, Lupi opp. p. 194 n. 130; Mansi, Coll. conc. XV, 397. Desd. 120.

[a]Suggerimus mansuetissimae paternitati vestrae in nostra diocesi in oppido quod Nevernum dicitur esse quendam episcopali officio praeditum nomine N.[2], qui, frequenter admonitus et diu expectatus ut revalesceret, implere non sufficit ipsum officium mente non integra. Dicitur autem Melciades[b] papa decrevisse[3], ne quis unquam pontifex sine consensu papae Romani[c] deponeretur. Unde supplicamus, ut statuta illius integra, sicut penes vos habentur, nobis dirigere dignemini, ut hinc dictis ipsius confirmati aut, sicut beatus Gregorius[4] doctor fecit de Arimenensi episcopo incommodo simili laboranti, sequamur aut, sicut sanctus Gelasius docet[5], removendus sit mente percussus. Quae cum absque dubietate sciamus, expetimus et expectamus vestrum iudicium, ne in temeritatis calumniam aliquatenus incidamus, sed vestro instituti moderamine veritatis et rectitudinis tramitem nullatenus deseramus.

6.

Anonymus respondet ad Fredilonis amici quaestionem: quid sit ceroma.

Codd. Parisini 12949 (quondam S. Germani 1108) s. IX f. 38'—39', quem descripsit V. Cl. Rand (P), 8070 (Colbert. 1829) s. X—XI f. 124—126, quem contulit H. Lebègue (C); Lugdunensis Batavor. Lat. 36 (quondam Petri Scriverii, orig. Gallicae) s. X f. 130, quem contul. de Vries (L); Londiniensis Mus.

---

a) vel — essent *suppl. G in marg.* b) Ieronimi *P.* c) exactoravit *P.* d) e *add. G supra lin.* e) *ex* apocrifo *corr. E.* f) hipocritis *P.* g) asserende *P.* h) deprẹhendi *P.* i) ne *superscr. G.* k) subtilior *P.*

5. a) *Lemma:* Scriptum Servati L[upi] ad papam Nicholaum. b) Meltiades *c.* c) Romanie *c.*

1) *Cf. supra p. 109 v. 6.* 2) *V. Convent. Suession. a. 853 c. 2 (Capitul. reg. Franc. II, 264); Synod. Vermeriens. c. 1 (ibid. 422):* de venerabili fratre nostro Herimanno Nivernensis urbis episcopo questionalis est ratio nobis oblata, videl. quia infirmitate praeoccupatus seu praepeditus corporea saepe ineptire et quaedam . . agere indiscrete soleret. 3) *Ad episcop. Hispan., Decretales Pseudoisid. ed. Hinschius p. 243.* 4) *Gregorii Reg. II, 24. 25, IX, 138. 139, EE. I, 186; II, 136. 137.* 5) *Fragment. 8. ad Rustic. et Fortunat., ed. Thiel I, 487.*

Britann. Reg. 15 B XIX (quondam S. Remigii Remensis) f. 196'—198' s. IX—X, de quo cf. Zangemeister in Wiener Sitzungsber. der phil.-hist. Cl. LXXXIV, 517; Rhein. Mus. XXXI, 93 (R), cont. G. F. Warner; Cheltenhamenses 8462 (quondam Novaliciensis) s. X—XI f. 12' (N), 16395 s. X f. 61' (I), de quibus cf. H. Schenkl, Wiener Sitzungsber. CXXVII (a. 1892) IX, 22. 58; Memorie della Accadem. di Torino ser. II t. XLIV, 198, utrumque contul. Reginald Poole; S. Galli 831 s. XI p. 173—175, cf. (Scherrer) Verzeichniss p. 282, cont. H. Wartmann (G). Initium repperit V. R. Plenkers in codice Barcinonensi Ripoll. 206 s. XII f. 159'—160 usque ad vocem sententiarum.

Edd. Steph. Baluzius Miscellaneor. l. IV (Parisiis 1683) p. 417—420 ex C; Migne, Patrol. XCVI 1385—1388; Traube, Neues Archiv XVIII, 100—102. 725 ex P.

QUID SIT CEROMA[a].

Quaestiunculum mihi[b] datam a vestra reverentia his diebus attulit familiaris noster Fredilo[c].[1] In[d] qua requirebatur, quid proprie viri non incelebres[e] intellexerint[f] esse ceroma. Id verbum fertur in auctoribus ingenuarum artium disciplina summopere[g] praeditis necnon et apud nostros, qui palmam Romani[h] eloquii[i] suo saeculo meruerunt. Quamvis[k] igitur pueros et imbecilles[l] nos iudicent illi, qui nervos et medullas[m] ipsumque, ut dicitur[2], sanguinem ex libris antiquorum eliciunt[n], sententiarum potius altitudinem quam verborum humilitatem persequentes, nobis tamen[o] conpetens[p] magis videtur a primis ad secunda conscendere, quam, primis neglectis, temere ad secunda proripere[q]. Cum enim virtus eloquentiae verborum splendore et[r] sententiarum gravitate formetur[s], verborum decor[t] primum est appetendus[u]: tum demum[v] sententiarum robur et lux intima est requirenda. Quamobrem[w] lumen[x] et sensus dilectusque[y] verborum semper a studiosis est habendus[z], ne violata magistrorum regula confusa et inordinata commenticiaque[a] tradicio[b] prorumpat[c]. Haec quidem generaliter prolata inconsultam[d] extraordinariamque praesumptionem[e] confutant. Nunc specialem[f] huius vĕrbi habeamus[g] considerationem et, ut[h] evidentior[i] via se ad hoc astruendum[k] aperiat, altius quiddam[l] censeo repetendum.

Ludi, qui[m] diebus festis causa religionis[n] ad delectandum populum a iuvenibus agebantur[3] et quorum causa spectacula vario genere populo[o] permittebantur[p], aut gymnici aut gladiatorii aut circenses aut scenici[q] nominabantur[4]; quos tamen sibi[r] diabolus sub invocatione[s] deorum, immo daemonum, voluit[t] exhiberi[u] a mortalibus, ut sub obtentu[v] pietatis et religionis[n] miserorum animas in suum ius transfunderet. Ergo principalis[w] ludus[5], quem gymnicum diximus fuisse, velocitatis ac virium gloria constabat. Is locus, ubi[x] exercebantur, gymnasium et hi qui exercebantur[y] athletae[z] vocabantur. Genera[6] autem gymnici[a] ludi extitisse traduntur[b]: cursus, saltus, iactus, virtus[c] et luctatio.

---

6. a) *Lemma om. C, L, I, G; in marg. inf. f. 38' P;* De ceroma *N,* Quid proprium ceroma *R.* b) michi *L.* c) *om. L,* F. *R,* Fredili *G.* d) *om. G.* e) incęlebres *N.* f) intellexerunt *G.* g) sumopere *I.* h) romanu *I.* i) *corr. ex* eloquio *C.* k) Quanvis *L.* l) inbecilles *C, G,* inbecillos *N.* m) *corr. ex* medullos *P.* n) elitiunt *P,* reliciunt *R.* o) autem *corr. in* tamen *P.* p) magis competens *R, N.* q) preripere *G.* r) *manu poster. superscr. C.* s) rimetur *G.* t) prium decor *P.* u) apetendus *C.* v) cum de rivolis *pro* tum demum *G.* w) *ex* Que ob rem *corr. C.* x) *suppl. in marg. P.* y) -que *om. C.* z) *Cf. Cic. de Orat. III, 37, 150 Tr.* a) cummenticiaque *P,* commentitiaque *L,* commenticiosaque *G,* commentiaquae *C,* commentitia (que *om.*) *N.* b) tradit *C.* c) non erumpat *G.* d) inconsulta *G.* e) presumcionem *P,* presumt. *G.* f) spetialem *P.* g) consid. hab. *G.* h) *om. R.* i) *corr. ex* eved. *C.* k) astruendam *P, C.* l) quidem *N.* m) quibus *C.* n) relegionis *L.* o) *om. L.* p) permitebantur *C.* q) schenici *N, I, G,* h *del. L, ex* schonici *corr. C.* r) *bis scr. uno del. R.* s) invocationem *G.* t) *bis scr. semel del. N.* u) exiberi *P.* v) optentu *C, R.* w) printipalis *P.* x) haec *add. G.* y) exercebant *C, L, R, I, G.* z) atlętę *L.* a) *corr. ex* gymnaci *N.* b) trahuntur *C.* c) *om. N.*

1) *De quo Lupi discipulo cf. supra ep. 116 p. 99.* 2) *Cf. A. Gellii Noct. Attic. XVIII, 4, 2:* neque primam tantum cutem ac speciem sententiarum, sed sanguinem quoque ipsum ac medullam verborum eius eruere *(Tr.).* 3) *Isid. Etym. XVIII c. 16, 2:* iuvenes per dies festos solebant ludi exultatione populum delectare. 4) *Ibid. c. 16, 3.* 5) *Ib. c. 17, 1. 2.* 6) *Ib. c. 18.*

Sed, quia priore tempore[1] cincti[a] athletae[b] exercebantur, ne nudarentur, quousque quidam remisso cingulo prostratus exanimatusque[c] in ludo apparuit: inde nata[d] dicitur consuetudo, ut deinceps iuvenes nudi exercerentur campestribus[e] in parte celanda[f] corporis succincti[g]. Athletae[b] autem Graeca appellatione a laterum complexu[h] et commissione dicuntur, quibus[i] comminus[k] decertantes adnixi persistunt. Et[l], ne alter alterum quocumque casu falleret aut astu[m] impediret[n], peruncto corpore olei liquamine exercitatio agebatur[o], donec iusta[p] palma alteri eorum cederet[q]. Id genus certaminis, quod taliter nudato et perfuso corpore agebatur, proprie[r] ceroma[s] vocatur.

Locus[2] autem destinatus[t] luctationi palestra vocabatur; quae[u] trahit ethimologiam[v] vel a luctatione, vel a motu urnae, id est sortis[w], eo quod ad[x] palestram sortito[y] eligerentur[z]. Est ergo sensus proverbii[3]: 'Oleum et inpensas perdit, qui mittit boves ad ceroma[a]', quod sicut stolidum et brutum animal, quanquam robustum et vegetum, tam[b] exquisitae[c] arti est inutile[d], quae non tantum[e] viribus, sed etiam subtilitate et ingenio propter lacertorum complicationem multiformem agitur, — quippe cum sint eadem animalia vasti[f] corporis ac propterea nequaquam[g] scenicis[h] motibus idonea, etiamsi more athletarum[i] eis perfricatio adderetur[k] —: ita[l] illi inertes[m] iudicantur[n], qui a primis[o] pueritiae temporibus ludis[p] scolaribus[q] deputati, variarum studia[r] doctrinarum nequaquam[s] in se admittunt, sed inexercitati et invalidi veluti stolida et insensata animalia a[t] profunda et multiplici rerum indagine reiciuntur[u]; de quibus merito supradictum proverbium cantatur. Et, quoniam propriis huic arti cibis[v] ipsi athletae[w] vescebantur, sicut erant colyphia[x 4], unde scilicet et vires augerentur et corporis[y] habilitas[z] industriaque non periclitaretur, idcirco[a] subsequitur in eodem proverbio, quod etiam inpensae perdantur, quae indebite[b] neglegentibus[c] et minime aptis ingeruntur[d].

Nonnulli ceroma[e] intellexerunt esse artificium[f] quoddam iuxta morem antiquum pingendi; cui, ne facies[g] et pulchritudo picturae[h] vetustate temporis aboleretur[i], cerae[k] mixtura[l] apponebatur, modico igni huic temperamento adiecto, ut aequa mensura colorum ceraeque[m] concordante, nec venustas et gratia coloribus nec cerae[n] perspicuitas deesset. Hoc genus perpingendi[o] etiam[p] a Boetio[q 5], viro doctissimo, commemoratum

---

a) cuncti *P, L,* cinti c *poster. man. add. C.* b) atlętę *L.* c) examinatusque *P, C, L, G, corr. N.* d) dicitur nata *P.* e) capistribus *C.* f) cęlanda *L.* g) sunccinti *P,* succinti *C.* h) cumplexu *P,* complexatione *G.* i) qui *C, N, I.* k) cominus *R, N.* l) *om. C.* m) hastu *P.* n) inpediret *C, G.* o) agebatur — corpore *om. C, add.* quae. p) et ista *R.* q) cęderet *I,* cederetur *G.* r) proprię *P.* s) cęroma *R,* cer. — luctationi *in L legi non possunt.* t) destinatus *superscr. P.* u) qui te *corr.* de *C,* qui inde *corr. Bal.* v) etymol. *C.* w) sortes *P.* x) *om. N.* y) sortito — sensus *legi non possunt in L.* z) digerentur *C.* a) cęroma *R.* b) tamen *C, R.* c) exquisitae — etiam *legi non possunt in L.* d) inutilis *C, R.* e) notandum *pro* non tant. *R.* f) vasti — propter- *legi non possunt in L.* g) quam *add. P.* h) schenicis *N, I, G.* i) adlętarum *L.* k) adderet *L.* l) ut *add. L.* m) *ex* inerces *corr. C,* inhertes *I.* n) ludicantur *N.* o) primis — tem- *legi non possunt in L.* p) *om. N.* q) schol. *N, I.* r) scudia *C.* s) nequam *L, R.* t) ac *R.* u) redduntur *P, I, G.* v) cybis *P, I, G.* w) adlętę *L.* x) coliphia *R, N.* y) corporum *P, L.* z) abilitas *P, N.* a) iccirco *C.* b) indebitae *L, G.* c) negligent. *P, R, L.* d) ingerentibus *R.* e) cęroma *R.* f) artifitium *post ras. N.* g) faties *P.* h) *om. N.* i) abholer. *R.* k) cęrę *L,* cęrae *G,* certe *corr. in* cere *C.* l) mixture *P.* m) caerraeque *P,* cęręque *L,* caereque *G.* n) cęrę *L,* cęrae *G.* o) pingendi *P, N.* p) industriam *add. G.* q) botio e *superscr. C.*

1) *Isid. Etym. XVIII c. 17, 2; XIX c. 22, 5:* Haec et campestria nuncupantur pro eo, quod eisdem iuvenes, qui nudi exercentur in campo, pudenda operiunt. 2) *Ib. XVIII c. 24, ubi pro* ruinae fortis *corrigendum est* urnae id est sortis. *Graeca verba ἀπὸ τῆς πάλης et ἀπὸ τοῦ πάλλειν ex Isidoro in textu nostro supplere cum Traubio non ausim.* 3) *Hieronymi ep. 57 ad Pammach. § 12, opp. ed. Vallarsius I, 317.* 4) *Cf. schol. ad Iuvenal. Sat. II, 53.* 5) *De institut. arithmet. I praef. p. 4 ed. Friedlein:* At picturae manibus tabula commissa fabrorum: cerae rustica observatione decerptae, colorum fuci mercatorum sollertia perquisiti, lintea operosis elaborata textrinis multiplicem materiam praestant. *Locum laudat Traube, Neues Arch. XVIII, 725.*

adhuc suo tempore viguisse[a] dubium[b] non est. Quadam[c] igitur inflexione[d] nominis adducti sunt, qui hoc senserunt esse ceroma, ut[e], verbi gratia sicut homo ab humo[1], ita ceroma a cera[f] originem[g] ducere existimetur. Sed hoc non satis prudenter intellectum etiam ipse[h] sensus manifestat. Quamobrem superior expositio, quae et securior[i] atque secretior[k] antiquiorque iudicatur[l], vobis[m] credo satisfaciet nugasque[n] varie commentantium apud vestram prudentiam extinguet.

Hoc de parva re[o] sine fraude[p] apud iudicium prudens vestrum deposui, carissime[q] virorum, oroque[r] vestram ingenuam prudentiam, ut fastidiosorum supercilia[s] declinantes apud vos contineatis, quae[t] fidelis animus[u] et amici non frivola caritas[v] transmisit. Ceterum placeat necne[w], salva stabilitate amicitiae[x] hoc quod digessi[y] postulo[z] vestris[a] scriptis edoceatis. Nolo enim nec garrulitatis[b] inprobitatem[c] incurrere nec rursus taciturnitatis[d] nota in his, quae efferenda[e] sunt, iuste dampnari[f].

7.

Helpericus Autissiodorensis monachus tum Grandivalle degens Aspro abbati rogatu eius librum de computo fratrum usui compositum mittit, instabilitate sua excusata.

Codd. Vaticanus Christ. Reg. 1530 (492) s. XI f. 47—47' (R), quem contulit A. Müller cf. Montfaucon Bibl. bibl. I, 25; Parisini 7419 (Colbertinus) s. XII f. 20 (P 1), 7420 (Phil. de la Mare) s. XIII f. 1 (P 2), utrumque contulit H. Lebègue.

Edd. Mabillon, Anal. vet. ed. alt. p. 431 ex cod. membr. coenobii Viconiensis prope Valentianas deperdito; Migne, Patrol. CXXXVII, 17—20.

[a]DOMINO PATRI SANCTISSIMO, NOMINE QUIDEM[b] ASPRO[c], MORIBUS AUTEM PLACIDISSIMO, HELPERICUS[2] HUMILIS VERNULA AETERNAE PROSPERITATIS ADMINICULA.

Dum paternitatis vestrae iussionibus libens pareo, multorum deridiculis[d] me lacerandum expono, unde vestram summissus exoro paternitatem, ut meam super hoc benigno favore[e] excusetis temeritatem. Exigitis enim, ut opusculum, quod[f] nuper rogatu fratrum nostrorum iuniorum de arte compoti[g] edideram rusticano sermone quodque eis solis legendum dederam, uni praecipue eorum, qui me pertinatiori[h] inportunitate ad hoc praesumendum impulerat[i] et cui illud iam Grandivalle posito[k] direxeram: hoc, inquam, praecepistis[l], cum anno praeterito[m] legatione fratrum nostrorum Grandivalle degentium ad vos Autissiodori[n] fungerer, ut transscriptum vestrae paternitati examinandum dirigam, ut hoc facto ac si sorex[o] meo miser indicio peream[p 3]. Ego enim

---

a) temporum *add. et del. C.* b) non dubium *N, L.* c) Quidam *N.* d) nom. infl. *N.* e) et *corr. in* ut *C.* f) cero *P.* g) origine *P.* h) in se *R.* i) ri *in ras. man. post. P.* k) atque secretior *om. N.* l) *om. R.* m) ubis *N.* n) negas que *R.* o) *ex* depravare *corr. P.* p) frande *C.* q) karissime *C, R, G.* r) *corr. ex* eroque *C.* s) supercilio *G.* t) qui *corr. in* quę *C.* u) animo *C.* v) karitas *L, G.* w) nec me *I,* me *C.* x) amiticiae *C,* amiciciae *G.* y) diligessi *R, G, L,* elegeritis sicut *C.* z) *ex* pustulo *corr. C.* a) vestri *R, L.* b) garrulitatem *P.* c) improbit. *L,* inprobitate *R.* d) taciturnitatem *P.* e) offerenda *G.* f) damnari *C, L.* Finit *add. P, I,* Explicit *N; in P secuntur disticha:* Anguis aper iuvenis casum venere sub unum *etc. et:* Anguis aper iuvenis pereunt in vulnere morsu *etc., cf. Riese Anthol. lat. 160. In C sequitur:* Sic ordinatur genealogia Eneae *etc.*

7. a) Incipit prologus *(praefatio P 2)* in libro Helperici *(super Helpericum P 2)* de compoto *(computo lune P 2) P.* b) *om. ed.* c) *corr. man. 2 in* Aspero *R.* d) ridiculis *(-is in ras.) R,* de *om. P 2.* e) ben. fav. *om. ed.* f) d *in ras. R.* g) computi *man. 2 corr. in* compoti *R.* h) pertinaci *ed.* i) intulerat *R.* k) positus *coniec. Traube.* l) praecepisti *P 2.* m) praeposito *corr. in* praeterito *P 2.* n) Autisiod. *P 1,* antisiod. *P 2.* o) so- *in ras. R.* p) paream *ed.*

1) *Isid. Etym. I c. 28, 3; XI, 1, 5.* 2) *Helpericum hunc eundem esse atque Heiricum doctissimum monachum Autissiodorensem Traube (Neues Arch. XVIII, 91) probavit, sed contra codicum a me adhibitorum auctoritatem nomen mutare nolui.* 3) *Ter. Eun. V, 6, 23:* Egomet meo indicio miser quasi sorex hodie perii *(Tr.).*

decreveram nugarum mearum ineptias[a] dignis occulere latebris[b], ne, cum prodire ceperint, multorum in me fel commoveant[c] iure causantium vanissimis[d] neniis occupari[e] membranas.

Sed quis vestris non obtemperet[f] iussis licet cum detrimento sui? Ego praecipue, qui me vestris obsequiis ita manciparim[g], ut quod vobis ratum cognovero[h] quamlibet[i] arduum aggrediendum michi esse non ambigam. Unum ergo a vestra paternitate deposco, ut, quod vestra iussione coactus aggredior vestro munimine[k] fretus indempnis evadam. Quod ita fieri poterit[l], si fastidiosis[m] quibusque et qui alios tantum reprehendere norunt[n] huius lectio subtrahatur et vobis vestrique[o] similibus, qui sine livore[p] oculo[q], ut ita dicam, columbino[r] cuncta respicitis examinandum praebeatur.

Verum haec criticus[s] quisque, quomodo volet, accipiat. Mihi vestrum iuditium satis[t] idoneum constat, cui superna pietas[u] hoc anno perspicue[v] dignata est manifestare, quam sit inutile sanctissimis vestrae paternitatis imperiis repugnare. Evenire autem iustissime solet, ut, qui patris salubria spreverit consilia, debita pertinaciae suae luat quandoque supplicia. Quod eo verius possum fateri, quo saepius et hoc anno crebrius atque acerbius, immo et iustius, non desino experiri.

Nec inmerito: cum enim me[w] divina pietas loco illi[x] restituisset, quo me iamdudum ad sibi serviendum delegerat et unde ego infelix instabilitatis solummodo causa[y] exieram, cum omnibus ibidem bonis habundarem, quodque ego super omnia duco, dulcissima[z] sanctorum patrum dilectione foverer; cum, inquam[a], me superna clementia post diutinam[b] evagationem illuc revocasset vestraque erga me solito flagrans paternitas retinere secum voluisset, adversa ut patet impellente fortuna non adquievi, sed pristina usus levitate redii, quo me et multa passum recolebam et deteriora passurum non ignorabam. Quo facto et illud didici multum apud Deum valere preces, quas illi ex animo funditis[c], cum una eademque leviter fusa oratione tantum adversus[d] me obtinueritis. Reminiscor enim vos, cum me retinere nequiretis, inprecatum mihi, ut invenirem aliquem, qui me acerrime verberaret in loco[e], ad quem tantopere festinabam. Quam orationem effectus[f] est e vestigio consecutus[g]. Quanta enim contumeliarum verbera[h], quot probrorum[i] ludibria, quae et qualia derisionum tormenta deinceps patiar ab his praecipue, qui erant quondam pacifici mei quosque ego apud[k] vos summis laudibus extuli, lingua[l] non valet effari. Quod quia ob ulciscendam[m] in me levitatem iure obtigisse[n] cognosco divinam super his laudans[o] aequitatem, ut[p] ab his tandem eripi queam, vestrarum obnixe postulo suffragia precum, ut, quem licet nolens tanto malorum[q] fasce gravastis[r], orando tanto iam[s] relevetis[t] ab[u] onere[v], dexterioris manum orationis porrigendo. Verum haec plenius, si Dominus cupitum nobis praebuerit colloquium, vivo sermone expedientur[w]. Quod, ut citius fieri valeat, vestra exorabilis[x] oratio precibus crebris[y] obtineat. Amen[z].

---

a) inaeptias *R*, meas *add. P 1.* b) tenebris *P 2.* c) comoveant *P 2.* d) varissimis *R.* e) me occupare *ed.* f) optemp. *P 1.* g) mancipaverim *ed.* h) cognoverim *ed.* i) quantumlibet *ed.* k) minime *R.* l) potuit *R.* m) fastidiosi *R.* n) volunt *P 2*, valent *ed.* o) vestrisque *R.* p) leviore *corr. in* livore *P 2.* q) occulo *P 2.* r) ut ita dic. col. *om. P 1.* s) creticus *P 2*, haereticus *ed.* t) *om. R.* u) summa veritas *ed.* v) perspicuae *R.* w) *om. P 2.* x) illo *ed.* y) causam *R.* z) sanctissima *P 2, ed.* a) inquit *P 1*, iniquam *P 2.* b) diuturnam *ed.* c) funditus *ed.* d) adversum *P 2.* e) loquo *corr. in* loco *P 2.* f) efectus *R.* g) consequutus *R*, consequtus *P 2.* h) verba *ed.* i) proborum *ed., corr. in* probrorum *P 2.* k) apad *corr. in* apud *P 2.* l) linga *P 2.* m) obliviscendam *pro* ob ulcisc. *P 2.* n) obtigissem *P 2.* o) laudem *ed.* p) et ut *ed.* q) malignus *ed.* r) gravitatis *ed.* s) *om. ed.* t) reveletis *R.* u) *om. R.* v) *corr. ex* honere *R*, honore *P 2.* w) expediuntur, *in marg.* vel expedientur *R.* x) excorabilis *P 2.* y) crebis *P 2.* z) Explicit prologus *add. P 2*, Explicit *P 1.*

8.

Helpericus (Hericus) Autissiodorensis monachus et magister a fratribus rogatus librum de computo eis dedicat.

Codd. Romanus Palatinus 1341 (quondam Laurissensis) s. X f. 95 (H)[a], Parisinus 12117 (S. Germani 434 ol. 547) s. XI f. 139, quem cont. Lebègue (G), Monacensis (S. Emmerammi) 14070 s. X f. 47, quem cont. Traube (E), R f. 47'—48', P 1 et 2.

Edd. Mabillon, Anal. vet. p. 431—432 ex G Herici nomine non servato; Pez, Thesaur. anecdot. II, 2, 183 ex cod. Zwettlensi 255 s. XII; Migne, Patrol. CXXXVII, 19—22.

Cum quibusdam[b] fratribus nostris adolescentioribus[c] quaedam calculatoriae[d] artis rudimenta communi sermone explicare coepissem, quo eis huiusce[e] non contempnendae[f], ut multi arbitrantur, scientiae[g] aliquid[h] impertirem[i], quos in arte grammatica, prout divina auxiliata est munificentia, aliquatenus introduxeram[k], nescio quo accensi desiderio instare vehementer[l] ceperunt, quatenus[m] ea, quae viva voce deprompseram[n], multorum utilitati profutura qualicumque[o] scripto ederem, ut, si[p] quando haec, ut solet mens humana diversis dedita curis multa[q] oblivisci, memoria[r] exciderent[s], litterarum suffragiis[t] eam[u] quoquo modo reparare valerent[v]. Quibus cum[w] obnixius[x] renitens id quod erat[w] obtenderem[y]: superesse scilicet libros de hac eadem re tum dilucide[z] tum venuste[a] maiorum nostrorum[b] lepore[c] editos, praecipue venerabilis viri domni Bedae presbiteri, qui cum in aliis tum et[d] in hoc sanctae ecclesiae utilitatibus[e] plurimum desudavit[f], illorum lectioni[g] insisterent[h], illos diutina[i] meditatione perdiscere studerent, a me intentionem averterent[k] nec me[w] adgredi cogerent opus omnium sputis obnoxium, cunctorum deridiculis[l] dignum, praesertim cum sim[m] ingenio rudis, sermone impeditus et ne rusticano quidem eloquio balbutire[n] sufficiam[o], nedum litteris[p] quippiam[q] comminisci praesumam[r] — cum haec huiusque[s] modi plura excusationis obtentu[t] obicerem[u], tum vero pertinatius institere[v] et non novum[w], inquiunt, aliquid te[x] cudere cupimus[y], quippe[z] qui[a] nihil[b] iam repperiri[c] posse remur[d], quod ab aliis non dictum[e] inveniatur, sed ex his, quae ab aliis asseris[f] sparsim copioseque tractata, poscimus utiliora quaeque nobisque necessariora[g] tuo studio[h] decerpta in unum colligi[i] et veluti sertum quoddam ex diversis floribus conpingi. In quo opere non pompaticas[k] verborum faleras aut urbanitatis veneres[l] exigimus, quas, ut ais[m], in antiquorum[n] est invenire commentariis: enimvero quae ab illis[o] obscurius sunt prolata, tuo quaesumus manifestiora[p] fiant relatu. Hac evictus inportunitate et de divina praesumens largiflua bonitate, studiosa nihilominus[q] provocatus fratrum caritate, quae[r] utiliter[s] eos postulare

---

8. [a]) *Lemma:* Incipit prefatio domni Helbrici *H;* Incipit excerptio vel expositio compoti Herici *G.* [b]) *om. H, E;* e *add. G.* [c]) adulesc. *R,* adolescentulis *G* [d]) calcula totię *corr. in* calculatorię *R.* [e]) huiuscemodi *H,* huiuscę *P 1,* quoque *add. G.* [f]) contemnendę *H.* [g]) doctrinae *G.* [h]) *om. H.* [i]) inpertirer *R, P 2.* [k]) intus duxeram *P 2,* induxeram *Pez.* [l]) *om. H.* [m]) quatinus *R, P 2.* [n]) depromiseram *R,* depromsseram *uno* s *del. P 2.* [o]) qualitercumque *P 1, G, corr. in* qualicumque *R.* [p]) *om. G.* [q]) *corr. ex* multis *P 2.* [r]) memoriae *Pez,* mente *G.* [s]) excederent *H, E,* excideret *G.* [t]) suffragatus adiutorio *G.* [u]) ea *H, E, G.* [v]) valeret *G.* [w]) *om. G.* [x]) obnoxius *H, Pez.* [y]) obtenderam *G.* [z]) lucide *H.* [a]) venustae *G.* [b]) *om. R, P 1, 2.* [c]) tempore *Pez.* [d]) etiam *Pez.* [e]) utilitatis *H,* utilitati *E (s eraso).* [f]) esudavit *H, E.* [g]) lectionem *Pez.* [h]) instarent *H, E.* [i]) divina *G.* [k]) amoverent *G.* [l]) multorum ridiculis *G.* [m]) *om. R, P 1, 2.* [n]) balbutiret *H.* [o]) sufficiens *G, E.* [p]) veritatis *Pez.* [q]) quippiam *superscr.* vel cuiuspiam *R.* [r]) presummam *R.* [s]) huius quae *R,* huiusmodique *G.* [t]) obtentum *Pez.* [u]) pretenderem *H, om. P 1.* [v]) insistere *R, G, E,* insisterem *H.* [w]) novi *Pez.* [x]) *om. G.* [y]) petimus cudere *H,* cud. pet. *E.* [z]) *om. Pez.* [a]) cum *R,* qui *superscr.* [b]) nil *H; G (*iam *om.).* [c]) reperire *corr. in* -ri *P 2.* [d]) posseremus *corr. in* posset *R.* [e]) dictum non inv. *H, G.* [f]) sp. cop. tr. ass. *G.* [g]) necessaria *P, Pez.* [h]) stud. tuo *H.* [i]) *corr. ex* collegi *R.* [k]) pompacitatis *E.* [l]) aut — ven. *om. G;* exegimus veneres *H.* [m]) agis *P 1.* [n]) *ex* antiquis *corr. R,* antiquis *P, G.* [o]) aliis *Pez.* [p]) fiant man. *R.* [q]) nichil hominus *R.* [r]) hoc opus *pro* quae — sensi *G.* [s]) humiliter *H, E.*

sensi, eo tenore temptare[a] praesumpsi, ut praeter se nulli umquam[b] legenda praebere vel auctorem operis publicare polliceantur[c]. Sed et si[d] cuius[e] peritiorum[f] haec[g] aures offenderint, ne me[h] temeritatis notet[i] elogio, sed noverit[k] me[l] caritatis paruisse imperio ac[m] fraternae utilitatis deservisse, prout fuit possibile, studio[n]. Cottidiana[o] igitur annuaque compoti[p] argumenta vulgatiora et[q] quae ne laicus quidem, nedum clericus, inpune ignoraverit[r], undecumque collecta et planiore, quam sint[s] ab aliis sermone edita, congessi, de meo nihil[t] addens, sed quae ab aliis[u] eo obscurius quo[v] sunt prolata venustius, rusticano sermone enucleatius edisserens[w], ut, si quis ita ab[x] omni fuerit serio feriatus, ut legere ista dignetur, facilius illa doctorum sublimiora[y] rimetur[z].

Sequatur hic epilogus libelli *ex codicibus H fol. 104, E fol. 62' et R fol. 68'—69 (apud Pezium col. 222, Migne CXXXVII, 48).*

Caetera de embolismis annisque communibus deque ogdoade et endecade vel de omnibus ad paschae rationem pertinentibus qui plenius nosse desiderat, librum venerabilis Bedae de his eleganter editum sedulo perlegat, ibi copiosissime de his omnibus quicquid quaesierit procul dubio reperturus.

Nos[a] enim scolasticorum[b] nostrorum rogatu, quae introducendis ad hanc artem pueris necessaria iudicavimus, pro captu ingenioli nostri undecumque collecta congessimus. In quibus congregandis si aliquantulum[c] verbosius evagati sumus, quicumque[d] legerit, eo nos studio fecisse cognoscat, ut quae dicebantur manifestiora legentibus forent. Unde et occultiorum pompas verborum evitavimus, cum fortasse haec nobis aliquatenus suppeterent[e]. Quia, sicut beatus ait Augustinus[1], qui eleganter aliquid loquitur, nec auditorem instruit, sibi tantum et non illi[f], quem ad[g] erudiendum suscepit, loquitur. Rogamus autem, quicumque haec legere dignabitur, ut, si qua in his suae utilitati conducibilia[h] repererit[i], omnium bonorum largitori referat. Quod si secus evenerit, non ilico laborem nostrum inanem esse causetur[k], quia saepe evenit, ut ibi alius erudiatur, ubi alius[l] nil utile suspicatur. Etsi enim pretiosius est aureum poculum, non ideo tamen omni utilitate caret Samiolum[m] poterium[2], immo nonnumquam vasa fictilia tanto solent esse utiliora, quanto et[n] viliora, quia, gemmeis[o] in scrinio iacentibus et solis regibus his utentibus, haec plurium[p] subserviunt usibus. Sciat autem quisquis ista fastidierit, non sibi esse edita, sed his tantum, qui adhuc maiora penetrare nequeunt, ut his primum quasi quibusdam alfabeti caracteribus inducti illa deinceps facilius adsequantur[q].

9.

Elpricus (Helpericus) monachus amico cuidam quaestionem a patribus neglectam solvit, cur diem, in qua Christus mortuus sit, in tristitia, natales sanctorum vero in laetitia celebrare soleamus.

Codd. (qui hanc quaestionem in capite 14. libri de divinis officiis Alcvino falso attributi continent) Berolinensis Philippicus 1711 (quondam S. Arnulfi Mettensis) s. XI f. 26—29 (M), cf. Val. Rose, Ver-

---

a) adtemptare *G.* b) hęc nulli umquam preter se *H.* c) pollicerentur *H, E, corr. in* pollicerentur *R,* praesumant *G.* d) et hęc si *H.* e) cui *G.* f) peritorum *Pez.* g) *om. H.* h) *corr. in* nemo me *R.* i) notent *G.* k) noverint *G.* l) *om. P 1, 2.* m) ac — studio *om. G.* n) stud. poss. *H, E.* o) Cotid. *G, E, P 1, 2.* p) computi *corr. in* compoti *R.* q) *om. R, eras. E.* r) *corr. ex* ignoraverint *H.* s) sunt *R, G, E.* t) nil *G.* u) illis *G.* v) *om. P 1, 2.* w) enucleatim *G (*enucleavi *corr. Mab.) pro* enucl. ediss. x) fuer. ab o. *G.* y) sublimia *G.* z) Explicit prologus *(*II *P2) add. P.*

Epil. a) *hic incipit epilogus in cod. H.* b) scolasticulorum *R, E.* c) aliquantum *R.* d) ea *add. Pez.* e) sufficerent *H,* subpet. *E.* f) nulli *pro* non illi *H.* g) *om. R.* h) conductibilia *H.* i) repper. *E.* k) causaetur *R.* l) ut ibi aliud *pro* ubi alius *R.* m) Samniolum *om.* poterium *Pez.* n) *om. H, E.* o) gemmis *E.* p) plurimum *H, E.* q) assequantur *R.*

1) *nescio ubi.* 2) *ex Plauto, Stich. 5, 4, 12, sed quo ipso noster vix usus esse potest.*

zeichniss der Meermanhss. p. 226, Parisinus 9421 s. XI f. 8' sqq., quem contulit H. Lebègue (P); Trevirensis civit. 1736 s. XI f. 26—28' (Hamelarius Fortunatus, De officiis divinis cap. 15), cont. Brückmann (T), Mettensis 221 (quond. S. Arnulfi) s. XI, quem cont. H. Plenkers (m): exemplar codicis M. Extat etiam in cod. Dusseldorp. C 91, s. XI f. 29'—32' sine auctoris nomine.

Edd. Lazius, Fragmenta quaedam Caroli Magni, Antverpiae 1560 p. 185—189 sine titulo et mutilum; Melch. Hittorpius, De divinis ecclesiae catholicae officiis, Cöln 1568, p. 59—61 sine titulo 'ex D. Cornelii Gualteri librorum thesauro', qui nunc latet; Alchwini abbatis opp. ed. Quercetanus (Paris a. 1617) col. 1054—1058 'ad veteris codicis fidem' (i. e. M), unde Hittorpii textum titulo aliisque supplevit; Alcuini opp. ed. Frobenius II, 2, 480—482; Migne, Patrol. CI, 1211—1215.

Quaestio: Cur natalicia sanctorum in laetitia, parasceven vero in tristitia celebremus[a], ab[b] Elprico[c] monacho[1] edita.

Quaestionem a tua dilectione mihi propositam eo difficilius aggredior elucidandam, quo hanc nec in patrum scriptis[d] expositam hactenus repperi nec magistrorum traditione percepi, sed nec ab ullo[e] quaesitam audivi. Unde totiens te rogantem distuli, quia nec tibi nec cuiquam aliquid dicere volui, quod non evidenti ratione aut scripturarum auctoritate possem probare. Quid autem mihi exinde videatur, viva voce utcumque tibi nisus sum explanare, ut sic me subducerem ab hac scrupulositate. Cum enim dicat[f] Salomon: 'Altiora te ne scruteris' et cetera, vereor illa appetere[g], Eccli. 3, 22. ad quae[h] tenuitas[i] ingenioli mei non valet assurgere. Modulum enim suum unumquemque[k] considerare prudenter nos ammonet[l] lyricus, dicens[2]:

Est quoddam[m] prodire tenus, si[n] non datur ultra.

Cum ergo huius rei audientiam tibi sufficere[o] dixissem, causatus es[p] fragilem esse humanae mentis memoriam nec audita diu retinere, et ob hoc litteras esse repertas, quibus oblita per incuriam possit recuperare per diligentiam, et ideo acrius institisti[q], ut haec tibi qualicumque stilo litteris mandanda[r] contraderem. Si quid ergo ineptum processerit, non meae temeritati, sed tuae iustius imputabitur importunitati. Quamquam haud scio, utrumnam quod sentio[s], verbis valeam explicare.

Quaeris igitur, cum sanctorum dies, quibus de hoc seculo migraverunt, sollempniter et cum magna exultatione celebremus, adeo ut in ipsis, abstinentiae[t] aliquantulum rigore laxato, paululum[u] remissius vivamus, cur diem passionis Christi, quo de hoc mundo per mortem transiit, sicut evangelium testatur, in magna afflictione et carnis maceratione[v] cordisque contritione iubeamur celebrare, quae (ut ais) oportuerat tanto sublimius tantoque festivius, immo alacrius, excolere, quanto[w] constat Christum sanctorum omnium meritum transcendere. Quod, ut autumo, recte diceretur iusteque dies illa cunctis festivitatibus sollempnior haberetur ac iocundius[x] celebraretur[y], si[z] Christus, ut purus homo, per temporalem mortem ad eam gloriam transisset[a], quam antea numquam habuisset. Iure[b] enim eius gloriae congauderemus, quam eum per mortem consecutum fuisse sciremus[c]. At vero, cum[d] sciamus[e] Christum Dei filium ante omnia secula semper[f] existere gloriosum eiusque gloriam, sicut[g] nec minui, ita nec augeri posse, eundem tamen pro nostra redemptione tantum se humiliasse, ut non solum

---

9. a) caelebr. *T, M passim.* b) ab — edita *om. T.* c) Epprico *P.* d) scriptas *M.* e) ulo *P.* f) Salemon dicat *M.* g) appetetere *P.* h) atque *P.* i) non val. ten. ing. mei *T.* k) einumq. *corr. in* unumq. *M.* l) adm. *T.* m) quodam *P.* n) sed *M, T.* o) dix. suff. *P.* p) *corr. ex* est *P.* q) institi *codd., corr. ed.* r) mandata *M.* s) sensio *P, T.* t) aliq. abst. *M.* u) *corr. ex* paulolum *M.* v) maccer. *P.* w) quanto — transc. *om. M.* x) iocundior *m.* y) haberetur *M, m.* z) sic *P.* a) transsisset *P.* b) iurę *P.* c) *corr. ex* scieremus *M.* d) eum *M.* e) scimus *M, P.* f) *om. M.* g) sicuti *T.*

1) *Mabilioni (Vet. anal. p. 432; Ann. ord. S. Bened. III, 660), qui hunc Elpricum eundem fuisse coniecit, qui librum de computo composuit, assentitur ob elocutionis similitudinem Traube, Neues Arch. XVIII, 93, quam ob rem alteram eius epistolam cum altera coniungere hic placuit.* 2) *Hor. Ep. I, 1, 32, cf. Traube, Neues Arch. XVIII, 94.*

nostrae carnis morticinium dignaretur assumere, verum etiam, qui erat inmortalis in sua natura, mori dignaretur in nostra (in qua morte plus humiliatus videtur quam exaltatus, ut[a] qui[b] nulla sui necessitate, sed benigna et spontanea voluntate, nec pro se, utpote qui morti nil debuit, sed pro nobis, qui morti eramus obnoxii, sustinuit), iustum est, ut hi[c], pro quibus passus est inpassibilis, cum omni huius[d] seculi tempore, tum[e] praecipue in die[f] suae passionis[g] ei compatiantur, pro se dolenti condoleant[h], pro se tristanti tristitiae vicem rependant, amore pro se morientis in hac potissimum
1. Cor. 12, 26. die ab omni delectatione carnis semetipsos commortificent[i]. Si enim, iuxta apostolum, uno aliquo dolente membro condolent reliqua, quanto magis summo patiente membro, id est capite quo reguntur omnia membra, compati debent illa quae ab eo reguntur membra? Christi autem esse membra credentes in eum ipsumque caput omnium in se credentium, nullus ignorat fidelium. Sicut cetera[k] iniqui membra sunt diaboli, inter quae praecipuum locum tenent Iudei persecutores Christi, quos luce[l] clarius constat invidiose gavisos fuisse in morte Christi, sicut e contra apostolos, qui sunt praecipua[m] membra Christi, amorabiliter[n] constristatos de iniusta nece Christi. Quod si nos inter membra Christi[1] vel ultimos confidimus deputari, debemus cum sublimioribus membris illius in passione capitis nostri contristari, ne, si in hac die corporali laetitiae voluerimus vacare, non cum apostolis Christum amare, sed cum Iudeis videamur[o] eius morti insultare atque ideo, quod consequens est, non inter membra Christi, quae[p] nolumus[q] imitari, sed potius inter membra diaboli, quibus videmur conlaetari, mereamur iure, quod absit, computari[r]. Tristemur ergo in morte Christi cum apostolis, ut mereamur in resurrectione eius gaudere cum illis. Doleamus exultantibus iniquis, ut postmodum gaudeamus lugentibus illis. Iudei namque, sicut in eius morte gavisi, ita probantur in eius resurrectione tristati[s]. Ecce, ut potui, paucis enucleavi, cur diem passionis Christi in afflictione carnis et contritione cordis conveniat celebrari, quamvis verba non subpeditaverint, quibus quod sentio exprimere non valeo.

Restat nunc, prout facundia linguae, Domino largiente[t], suffecerit, itidem breviter expedire, cur sanctorum dies, quibus ab hoc seculo transeunt[u], summis laudibus et magna recolamus alacritate. Ubi primo[v] recolendum censeo, omnes christianos[w] in
Matth. 23, 9. Christo fratres esse, ipso Domino cunctis in se credentibus sic protestante: 'Patrem[x] nolite vobis vocare super terram. Unus est enim pater vester, omnes autem[y] vos fratres estis'. Omnes itaque, qui iam[y] de hoc mundo recesserunt, sive qui adhuc versantur in mundo, sive qui futuri sunt usque ad finem seculi credentes[z] in Christo, fratres esse veraciter constat, utpote una baptismatis regeneratione in Christo renatos, unius matris ecclesiae uberibus educatos, unius fidei vinculo tamquam dulcissimae fraternitatis affinitate conexos, ad unam eandemque caelestis regni hereditatem ab eodem piissimo patre Deo pia adoptione vocatos. Debemus itaque omnia, quae nobis acciderint, fraterno affectu invicem communicare, id est, et in adversis[a] pariter contristari, et in prosperis communiter congratulari. Notum autem habet omnis, qui vere christianus est, sanctos, cum ab hac corruptibili vita decedunt, ad meliorem, id est ad[b] incorruptibilem et interminabilem, transmigrare, scilicet de tenebris ad lucem perpetuam, de merore ad gaudium sempiternum, de labore ad requiem perhennem, de carcere ad libertatem, de servitute ad regnum. Unde et mos ecclesiasticus obtinuit[c], dies illos non funebres,

---

a) et *P, T.* b) *om. T.* c) hii *P.* d) sec. huius *T.* e) tunc *M.* f) dię *P.* g) poss. *P.* h) doleant *T.* i) mortificent *M.* k) e contra *P, T.* l) lucę *P.* m) praecipue *T.* n) *corr. in* amirabiliter *M,* amarabiliter *T,* admir. *Hitt.* o) videmur *P.* p) qui *P, T.* q) volumus *P.* r) computati *(*i *in ras.) M.* s) tristari *M.* t) largente *P.* u) *om. M,* transierunt *ed.* v) primum *M.* w) crist. *P.* x) Patrem — vester *om. M.* y) *om. T.* z) in Christo cred. *T.* a) etiam diversis *pro* et — adversis *m.* b) *om. P, T.* c) optinuit *P.*

1) *quae sequuntur om. Lazius usque ad verba* convenit celebrare *p. 123 v. 13/14.*

sed natalicios appellare. Iure enim nasci dicuntur, qui de pressuris huius mundi tamquam de angustiis cuiusdam artissimi ventris, ad illam spaciosissimam[a] et lucidissimam caelestis habitationis emittuntur amplitudinem. Si ergo nos eorum fratres esse praesumimus, quos ita glorificatos aspicimus[b], dignum est, ut eorum felicitati congratulemur et eorum laetitiae conlaetemur, fratrum nostrorum gloriae congaudeamus eorumque triumphis, quibus per divinum auxilium diabolum vicerunt[c] et seculum, dignis laudibus caelestes eorum natales debita alacritate veneremur[d]. Nam, si eos lugubriter aut cum merore transigamus, duplici redarguemur[e] errore, quia videmur aut non credere eos ad gloriam transisse[f] et ideo quasi mortuos lugere, aut, si scimus eos felicitati donatos et non congratulemur, gloriae eorum[g] invidere convincimur. Et cum antiquos natalicia sua vel suorum affinium, quibus in hanc miseram effusi sunt vitam, tanta alacritate invenimus celebrasse, ut[h] in his etiam[i] omni corporeae[k] voluptati licenter operam darent: quanta[l] nos spiritali hilaritate sanctorum patrum natalicia convenit celebrare, quibus iam non ad miserias nascuntur, sed de miseriis ad gaudia transeunt[m] sine fine possidenda? non nos corporalibus[n] illecebris resolventes, ut faciebant pagani, verum canticis spiritalibus ymnisque caelestibus in Christo tripudiantes, ut christiani. Quamvis non denegemus, etiam corporaliter aliquantulum remissius quam caeteris[o] esse vivendum, propter quosdam ut reor[p] hebetiores, qui nihil[q] putant esse festivum, nisi quod viderint[r] corporali delectatione[s] mellitum.

Sane, quia sanctos eosdem ad hanc quam[t] diximus felicitatem per afflictionem non ignoramus pervenisse temporalem, necesse est, ut, sicut aeternae[u] eorum congaudemus laetitiae, sic temporali quoque illorum compatiamur angustiae, quatinus[v], per omnia eorum sequentes vestigia ad eadem illis intercedentibus mereamur pertingere gaudia. Ad quod signandum praecedentibus eadem natalicia diebus, quas vulgo vigilias eorum appellamus, solito parcius vescentes eadem sollempnia debitis ieiuniorum obsequiis et maceratione carnis devote praevenimus, ut, per pridianam purificati[w] abstinentiam, dignius celebremus sequentis festi laetitiam. Unde et in officio[x] missae earundem vigiliarum festivissimum alleluiaticum[y] melos intermittimus, sicut aliis ieiuniorum diebus, nisi forte dominica dies fuerit, quam nullo tempore ieiunare[z], sed[a] semper festivam esse dominicae[b] resurrectionis auctoritas cogit. Quod utrumque — et praecedentem totius ecclesiae sanctorum afflictioni[c] compassionem et sequentem de eorum gloria exultationem — Dominus in evangelio sub specie mulieris parabolice[d] designat, cum eam parturientem asserit[e] tristari, cum autem pepererit, inmensum gratulari. Quia enim Ioh. 16, 21.
'parturire' dicimus ante partum anxiari, 'parere' autem[f], partum effundere, iure mulier, per quam sancta figuratur ecclesia, cum parturit, dolere dicitur, quia, cum filios suos, quos fide concepit, antequam in aeternam pariat vitam, diversis tribulationibus ab impiis impendi conspicit, tamquam difficultate pariendi angustiata[g], magnis doloribus[h] ingemiscit, cum vero eos, quos ita parturierat, de huius mundi angustiis ad caeleste[i] pepererit regnum, dici non potest, quantum de felicissimo[k] filiorum partu tripudiat. Quod primitiva quidem ecclesia persecutionis tempore historialiter[l] agebat, sed ea, quae nunc est, a Christo pace iam reddita[m], pia emulatione spiritaliter[n] repraesentat.

---

a) spaciosisimam s *superscr. M.* b) esse conspicimus *M.* c) *ex* vincerunt *corr. P.* d) veneramur *T.* e) redarguimur *P, T.* f) transsisse *P.* g) illorum *P, T.* h) et *M.* i) omnibus etiam *T.* k) corpore *P.* l) quanto *codd., corr. Tr.* m) *om. M.* n) corporibus *P.* o) cętis er *superscr. M.* p) ut reor *om. M.* q) nil *M.* r) viderunt *P.* s) delectione ta *superscr. M, T.* t) *corr. ex* quamvis *M.* u) et nunc *M.* v) quantinus *P,* quaten. *M.* w) purgati *M.* x) *corr. ex* officia *T.* y) alleuiaticum *P, T.* z) *corr. ex* ieiunane *P.* a) *om. M.* b) *om. T.* c) afflictionem *M.* d) parabolicae *P, T,* porabolice *M.* e) trist. ass. *M.* f) *om. P.* g) angustia *P.* h) clamoribus *M.* i) caelestae *T,* ad caeleste *om. M.* k) felicissimorum *M.* l) istorialiter *P.* m) redita *P.* n) spiritual. *corr. ex* spirituariter *M.*

c. 873—877 Praeteritos igitur parturitionis eius dolores in vigiliis sanctorum ieiuniis et afflictione carnis imitamur; sequentem vero eius iam enixae alacritatem ipsius iocunditate festivitatis emulamur.

Inportunitati tuae, dulcissime[a] fili, etsi non, ut debui, ut potui tamen, satisfacere institi[1], quamquam difficultate quaestionis cogente[b], verbosior forsitan extiti.

10.

Heiricus Autissiodorensis monachus ad vitam sancti Germani a Constantio compositam supplendam se miracula eius additurum esse pollicetur. c. 873—877.

Codd. Parisini 13757 (S. Germani 1064) saec. IX fol. 88—90', de quo cf. Poet. Carol. III, 425. 821; 13758 saec. XI fol. 95—96', qui alterius apographon esse videtur; utrumque contulit H. Lebègue.

Edd. Labbe, Biblioth. nova I, p. 531; Acta SS. Iul. t. VII, 266—267; Duru, Bibl. histor. de l'Yonne II, 114; Migne, Patrol. CXXIV, 1207—1210.

(c. 1) Vitam et miracula apostolicae memoriae summaque cum reverentia nominandi domni Germani episcopi[a 2] absque ullis litterarum praesidiis inoperoso, vel potius profano, diutius quam fuit aequum latuisse silentio consulta diligentius magistra rerum testatur antiquitas. Constat namque ad sancti Censurii[3] episcopi[a] tempora, qui quartus post beatissimum Germanum Autissioderensium rexit ecclesiam, intemptatum omnibus id perstitisse negotium, dum per successus temporum iuniores quique simplici seniorum relatione contenti numquam haec arbitrabantur a memoria posse obsolescere, quandoquidem vulgaris inurbanitas tum se obtime credit diuturnitati prospicere, cum illustria quaeque et maxima succidua solum narratione ad posteros fecerit emanare. Res ista non insana minus quam improvida perniciosa sanctorum praeconiis interdum peperit detrimenta, quod qui imperitae rusticitati fidem astruat[b], rarum quemque reperias, dum ea quae adferunt partim fabulosa, inepta partim et ridicula, perque hoc litterarum sacrariis aestimantur indigna. Ita factum est, ut quaedam ignorata penitus, alia ad succedentium notitiam insincere manantia, multorum et magnorum sanctorum praecelsas memorias inofficiosissime[c] obscurarint.

(c. 2) Quod si cuiquam forte curioso rerum ea, quae in Gestis[4] de tanto feruntur antistite, minus rata, minus plena, minus denique veritate subnixa videantur, quod prius quam haec ederentur, aliquot temporum dicuntur interfluxisse curricula, hunc inspecta ratione diligentius, quod non probe sentiat, adhibitae vetustatis patrocinio castigamus. Siquidem, ut in nostrae arcivis ecclesiae annotatum reperitur, beatissimo Germano rebus exempto humanis, in episcopatum[a] suffectus Alodius XXX ferme annis pontificatus sui functionem explevit. Hoc vita defuncto ob rabiem emergentium intra Gallias barbarorum ecclesiasticae[d] libertatis mersa privilegia, dignitas obruta, splendor obtusus, vim christiani roboris cunctam[e] perdiderunt, itaque civitas episcopo[a]

---

a) dulcissimae *M, T.* b) agente *T.*

10. a) ępisc. *c.* b) *corr. ex* astruant *c.* c) inofficiosissimę *c.* d) eccleș. *c.* e) cuncta *c.*

1) *Cf. Heirici epist. ad Karol. imp. dat. (Poet. Carol. III, 431):* Institi, ut potui. 2) *Cf. quae de hoc opere epistolae ad Karolum II imperatorem datae inserit (ed. Traube, Poet. Carol. III, 431 sq.):* Confeci praeterea ex miraculis praecellentissimi Germani opusculum aliud geminis distinctum libris; in quo quia vestri tum nominis tum temporis mentio frequentius agitur, vestrae nihilominus illud malui celsitudini dedicandum. Accipe et hoc eumque erga Germani reverentiam animo concipe, qui regiam sane deceat maiestatem. *Excerpta quae ex Heirici libro Waitz recepit, SS. XIII, 401—404, tam exilia sunt, ut parvam utilitatem praebeant.* 3) *Cf. Duchesne, Fastes épiscopaux de l'anc. Gaule, Paris 1900, II, 427 sqq., inprimis p. 440 sq.* 4) *Constantii V. Germani, Acta SS. Iul. VII, 212.*

vidua decem permansit annis, quibus transactis Fraternus a beato Germano tertius c. 873—877
pontificatui subrogatus. Is qua die ordinatus, eadem quoque ab eisdem barbaris interemptus martyrio coronatus est. Huic praenominatus Censurius quarto substituitur loco. Ab excessu itaque beatissimi Germani[1] ad hunc usque Censurium plus minus XL colliguntur anni supra taxato ordine decurrentes.

(c. 3) Is cum ecclesiastici primatus dignitate polleret, Constantius Lugduni inpense doctissimus, impulsu vel precibus sancti Patientis[2], eius tunc urbis episcopi, librum de vita et virtutibus beatissimi Germani mira sententiarum eligantia copiosoque dilectu verborum excellentissime edidit[3], cum per ora cunctorum sancti recens adhuc spiraret memoria pluresque, qui eum degentem saeculo viderant, superessent, quorum indubitata relatio sanctitatis eius magnalia pura adhuc et necdum varietatis labem perpessa ferebat. Nec vero abnuerim sex illorum pontificum, qui sancto viro in Italia commoranti iugiter assederunt, aliquos tunc quoque rebus interfuisse humanis, qui iuxta fidem eiusdem historiographi testes operum illius multis extitere temporibus.

(c. 4) Ea tempestate Lugdunensium civitas, prima ac praecipua Galliarum, professione quoque scientiae artiumque disciplina inter omnes extulerat capud.[4] Offensa namque sapientia[5], quae propter se ipsam tantum appetenda est, quorundam lucris turpibus, multorum indisciplinata vita, omnium postremo tepide se appetentium inhonesta desidia, praeceptorum inopia intercedente priorumque studiis pene collapsis, huius nostrae exitialiter perosa regionis, Lugduni sibi aliquamdiu familiare consistorium collocavit. Ibi quas dicunt disciplinarum liberalium peritia, quasque ordine currere hoc tempore fabula tantum est, eo usque convaluit, ut quantum ad scolas, publicum appellaretur citramarini orbis gymnasium. Et, ut aliquid rationis afferre videar, eo id argumento colligimus, quod quisque artium profitendarum afficeretur studio, non ante professionis [albo][a] inscribi merebatur, quam huc explorata diligentia examinatus abiret. Cui rei satyricus quoque astipulatur[6], qui, ut exempli circumstantia res eluceat, primo sui operis libro acriter diuque in impudicos invectus, refert eos conscientia frequentati sceleris perinde pallescere:

Ut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.

Ita claret hanc sapientibus et palmas et nomina olim fuisse largitam.

(c. 5) Haec brevi perstrinximus, ut advertas ad beati Germani retractanda miracula e tanta urbe non imperitum quemque, verum eloquentissimum, ascitum sui industria pontificis accessisse. Qui etsi, ut subiecti operis testatur praesentia, facundia conspicuus, modicis et absolutis sententiis efferendus, brevitatis amantissimus, fastidii denique evitandi plus aequo studiosus extitit, praesumptionis tamen se reum coarguens[7], non absque pudoris cunctamine tantae se difficultatis operas insumpsisse fatetur, ex suae omnino humilitatis abiectu iustificandus et, praeterquam quod sciens plura praeteriit, multifaria laude dignissimus. Opus sane confectum operosaque apud se diu repexum diligentia, obtentu praenominati sancti Censurii Autissioderensi postmodum direxit ecclesiae ipso auctore longius promulgandum. Ubi quoniam veritate, cui minime grati existimus, testatur Deum conscium secretorum, se plura de domni Germani factis

---

a) professis *ed.*, albo *suppl. Tr.*

1) *A. 448.* 2) *Cf. Sidonii Apollin. epist. et carm. ed. Luetjohann p. 432.* 3) *De huius vitae editionibus v. Biblioth. hagiograph. lat. p. 515.* 4) *Verg. Ecl. I, 25* alias inter caput extulit urbem. 5) *De studiis Lugdunensibus cf. E. Caillemer, L'enseignement du droit à Lyon, Lyon 1900, p. 11 sqq. In sequentibus Heiricus Lupum magistrum imitatur, cf. supra p. 7—8.* 6) *Iuven. I, 44.* 7) *Constant. ad Patient. de vita Germ. p. 211, cf. ad Censur. p. 212:* reiecto itaque pudoris velamine.

c. 873—877 agnita et probata tacuisse (ex quo reum se quoque denuntiat[1] supprimendo quod mirabiliter ad profectum omnium divina virtus operata est), diu est, quod religioni concinnum[a], saluti conducibile, aedificationi certe proficuum existere animo induxi meo, si horum aliqua, quae omissa sunt quaeve notitia consequi potuit, ab aliquo peritiorum litteris alligari contigisset.

(c. 6) Quod quia ineffectum actenus est constatque certissime haec, ut non impune praeteriri, ita non infructuose attingi, quamquam nulla, nisi per divinum adiutorium, huius possibilitatis conscientia, non michi quidem meique similibus, scilicet imperitis, attemptandum, verum devotionis in Deum affectionisque in sanctum plenum opus aggredior; eo magis in spem ductus, quod is, qui totius creaturae universaliter
Luc. 19, 40. laudatur officio, si homines sua praeconia suppresserint, lapides asserit clamaturos. Suscoepti negotii eam ducimus dispositionem constare ratissimam, si eorum, quae ante gloriosum eius transitum per eum patrata relatione satis asserta feruntur, aliqua praemittentes, ad illa, quae post ad sacram eius memoriam et fieri vidimus et facta didicimus, ordine provehamur. Verum, ne succincto operi succenseat praefatum prolixius, animante Domino ad propositum accedamus.

---

a) concinum *corr. ex* cemcinum *c.*

1) *Constantii V. Germani l. II c. 7, l. l. p. 231.*

II.

EPISTOLAE VARIORUM
INDE A SAECULO NONO MEDIO USQUE AD MORTEM KAROLI II (CALVI) IMPERATORIS COLLECTAE.

Aeque ut in tomis huius seriei anterioribus epistolas singulares hic colligere placuit interque eas praefationes quoque nonnullas maioris momenti, quae Ludowici Pii filiis regnantibus temporis illius historiae ac magis litterarum studiis lucem aliquam afferre videntur. Praetermittuntur illae, quae cum conciliis potius coniungantur oportebit nec repetuntur quae vel inter formulas iamdiu a Zeumero scite editae vel in aliis monumentorum nostrorum voluminibus in lucem prolatae sunt[1]. *Quae epistolae cum ex multitudine innumerabili paucae fortuito tantum conservatae ac detectae ad nostram aetatem pervenerunt, non dubito, quin futurum sit, ut quae hoc loco praebemus postea ab aliis harum rerum investigatoribus felicioribus suppleantur. Acta, quae ad res Lotharii regis ac Thietbergae reginae spectant, infra seorsum sequentur. Ceterum usque ad obitum Karoli Calvi id est ad annum 877. modo progredi, posteriora tomo VII reservaturus optimum duxi. Huic quoque epistolarum seriei eandem quam Lupinae opem utilissimam indefessamque in plagulis perlustrandis L. Traube tulit.*

Ex supplementis, quae in tomo V ad epistolas variorum saeculi IX. medii adieci, undecimam (p. 635—640) ad tomum VII reservari oportuerit, quippe quae a Remigio notissimo Autissiodorensi monacho a. c. 900. composita et Gualoni Aeduorum episcopo dedicata est[2].

Berolini Ianuario mense a. 1902.

Ernestus Duemmler.

---

1) *Ex quibus hic commemoro Wandalberti Prumiensis epistolam utramque (SS. XV, 362—363; Poet. Carol. II, 569—571), Heirici Autissiodorensis ad Karolum II litteras (Poet. Carol. III, 428—432), Milonis ad Haiminum sacerdotem et Haimini rescriptum (ib. 566—567), Godescalci monachi ad Lupum Catalaunensem (ib. 723—724), Odonis abbatis Glannafoliensis ad Adelmodum archidiaconum (SS. XV, 462—463).* 2) *Cf. Neues Archiv XXVI, 565.*

1.

c. 850 *Aurelianus Reomensis monachus Bernardo abbati atque archicantori, quem archiepiscopum fore sperat, librum de disciplina musicae artis viginti capitulis comprehensum offert.* *c. 850.*

Codd. Valentianensis (quondam Elnonensis) 133 (141) saec. IX fol. 57'—59. 88 (V), de quo cf. Mangeart, Catal. de Valenciennes p. 120—122, Catal. gén. des départ. XXV, 249—250; Bruxellensis 10078—10095 (quondam Gemblacensis) c. 1100 scr. (B), de quo cf. Hans Müller, Hucbalds echte u. unechte Schriften über Musik S. 14 fg., utrumque contulit Hampe; Pommersfeldensis 2805 (quond. S. Petri in Erfordia) s. XI nunc latet, de quo cf. Arch. IX, 532; Florentinus bibl. Laurentianae Plut. XXIX cod. XLVIII chart. saec. XV f. 58'—59. 71' (F), cf. Bandini, Catalog. codd. latinor. bibl. Laurent. II, 66, contulit Schwalm.

Edd. Martène et Durand, Ampliss. Coll. I, 121—126 (a. 1724) ex V (= Migne, Patrol. CVI, 1521—1526); Mart. Gerbert, SS. de musica sacra (a. 1784) I, 27—63 ex F, cuius apographon Bandinio debuit.

Incipit[a] praefatio musicae disciplinae[b].

CHRISTIANORUM[c] NOBILISSIMO NOBILIUM VIRORUMQUE PRAESTANTISSIMO ATQUE HONORIS CULMINE APOSTOLICI NOBILISSIME SUBLIMATO SIMULQUE IMPERIALI DIGNITATE DECORATO ET VIRTUTUM OMNI GENERE FLORENTI IN CHRISTO FELICITER BERNARDO ARCHICANTORI, UT OPTO TOTIUS SANCTAE ECCLESIAE ET VOCATO ET[d] FUTURO[e] ARCHIEPISCOPO AURELIANUS, VERNACULUS QUONDAM MONASTERII SANCTI IOHANNIS REOMENSIS[f1], NUNC AUTEM[g] ABIECTUS, SED TAMEN VESTER ET, VELIT NOLIT MUNDUS, VESTER, INQUAM, VESTER SERVUSQUE OMNIUM MINIMUS FAMULORUM CHRISTI.

Quoniam genuino ingenio praepollentem et artificiali[h] doctrina cluentem prae caeteris vosmet solum agnovi in armonica philosophia, rogatus a fratribus, ut super quibusdam regulis modulationum[i], quas tonos seu tenores appellant, sed et[k] de ipsarum[l] vocabulis rerum laciniosum praescriberem sermonem — ac[g] ideo seriem harum litterarum ad censuram vestrae nobilitatis direxi vestroque nomini dedicavi, ut si conspectui

---

1. [a]) *In codicibus V et Pommersfeld. antecedunt hi versus (cf. Arch. VIII, 436):*

Quisquis hoc legerit magno cum iure patratu[m]
Noverit auctores hic fore persalubres.
Fons hic Grecorum Phytagoras musicus adest,
Necne Latinorum continet ora patrum.
Aure-tuus legi compsi scripsique-lianus,
Pastor Bernarde, munus hoc exiguum. *Et infra:* Vale decus patriae.

[b]) Aureliani *add. F.* [c]) *Littera init.* Ch *deest in B, F,* Cr. *V.* [d]) *om. B, F.* [e]) nostro *add. F.* [f]) Omensis *V.* [g]) *om. B.* [h]) artificali *V.* [i]) *corr. ex* modulationem *V.* [k]) *om. F.* [l]) ipsorum *V, F,* ipsarum a *post. man. in ras. B.*

1) *i. e. monasterii Moutier-St.-Jean in dioecesi Lingonensi (Dép. Côte-d'or, arr. Semur), cf. chartam a. 843. datam, quam inter ceteros abbates* Bernardus abbas S. Iohannis subscr. *(Mabillon Acta SS. IV, 2, 251) ac de tempore cap. 8 (p. 41 ed. Gerbert, Archiv VIII, 437), ubi haec occurrunt:* Extitere etenim nonnulli cantores, qui quasdam esse antiphonas, quae nullae earum regulae possent aptari, asseruerunt. Unde pius augustus avus vester Carolus paterque totius orbis quattuor augere iussit, quorum hic vocabula subter tenentur inserta: ANANNO. NOEANE. NONANNOEANE. NOEANE. Et quia gloriabantur Greci suo se ingenio octo indeptos esse tonos, maluit ille duodenarium adimplere numerum *etc. De dignitate archiepiscopi a Bernardo obtenta nihil constat, ideoque haec spes Aurelianum fefellisse videtur nec vanis coniecturis indulgendum est. Meminit libri nostri Sigebertus Gemblacensis, De SS. ecclesiast. c. 110 (Miraeus, Biblioth. ecclesiast. p. 147):* Aurelianus clericus Remensis ecclesiae scripsit ad Bernardum archicantorem postea episcopum de regulis modulationum, quas tonos sive tenores appellant, et de eorum vocabulis. *De Aureliani auctoribus cf. Brambach, Die Musiklitteratur des MA., Karlsr. 1883, S. 6 fg.*

digna videntur, memoriae commendentur[a], sin autem aliter, oblivioni ducantur[b]. Scio c. 850
enim, quia nobilissimi valde inveniuntur cantores. Huius autem fateor, nisi vos solum, me neminem artis vidisse[c] peritum. Quidam etenim nostrorum multa musicae norunt statuta, tamen, ut fuerunt prisci, nusquam, ut arbitror, invenitur musicus. Ac per hoc quae[d] sparsim in veterum dictis invenire potui, sed et quae a vobis et ab aliis audivi, ipse novum opus condere studui, illo iuvante, qui donavit et sine quo nihil possumus, cui et devotus gratias ago.

His igitur ita praelibatis, agnoscite me vos amare, suscipere, colere, mirari, reminiscens pium animi affectum vestri erga me[e], quem pure dilexistis, monuistis, docuistis, enutristis. Animadvertite[1] autem me reconciliatas amicitias pure colere, et non iuxta Plautinam sententiam altera manu lapidem tenere, panem offerre altera. Ego certe, ut homini nobilissimo et severissimo risum[f] moveam et imitetis[g] aliquando Crassum, quem semel in vita dicit risisse Lucilius[h 2], dicam quod saepe recogitans[i] risum tenere non possum. Dolebamus vos nimium esse patientem, sed, ut video, exaltastis diu manum et suspendistis plagam, ut feriretis fortiter, et taciturnitas vestra dispensatio fuit, non consensus. Quorsum ista dixerim? uti bene nostis, in memet experimento didici. Ideoque illud propheticum[k] cotidie decanto: 'Iram Domini sustinebo, donec iustificet causam Mich. 7, 9.
meam'. Multae enim viae hominibus rectae videntur, quae postea pravae repperiuntur· cf. Eccli. 2, 16.
Sed saepe thesaurus in testaceis vasis conditur. In evangelio inportuna[l] tandem mulier[m] cf. Matth. 15, 22.
audiri[n] meruit; et clauso cum servis ostio, media licet nocte, panes amicus ab amico Luc. 11, 7. 8.
accepit. Deus ipse, qui nullis contra se superari virtutibus potest, publicani precibus Matth. 18, 13.
vincitur. Ninive civitas fletibus stetit. Christus, inquam, prodigum filium revertentem
laetus amplectitur. Paulus ex persecutore fit maximus praedicator. Petrum ter negan- ib. 26, 75.
tem amarae in suum locum lacrimae restituere. Cui plus dimittitur, plus amat. Dec f. Luc. 7, 47.
toto grege siletur et ob unius morbidae pecudis animam[o] angeli letantur in caelo[p]. ib. 15, 10.
Quod si cui videtur indignum[q], audiat a Domino: 'Amice, si ego bonus, quare oculus cf. Matth. 20, 15.
tuus nequam?'

Vale, pars, immo, si dignaris, unitas animae meae, caecorum baculus, esurientium cibus[r], spes miserorum, solamen lugentium, decus ecclesiae, lux mundi, et noli despicere animam conservi, pro qua Christus est mortuus. Explicit praefatio[s].

Explicit[t] liber de disciplina musicae artis, editus pro captu meo, quem rogatu fratrum undecumque Christo opitulante collegi et unius libelli tenore strictim conclusi, quemque percurrendum atque examinandum domno et abbati meo reverentissimo Bernardo nunc vocato, futuro vero[u] archiepiscopo, optuli. Deprecor, oro[v], obsecro, ut, si quid, o prudens cantor, quisquis es, vituperabile in eo inveneris, mihi corrigendum insinues calumniamque facere desistas; at, ubi ordinate et[w] rationabiliter actum cf. Levit. 19, 13.
videris, mecum Deo, qui donavit, gratias agas cognoscasque, quia apud antiquos tam turpe erat ignorare musicam quam litteras[3]. Etenim et ipse mundus et caelum supra nos

---

a) *corr. ex* commendantur *V.* b) tradantur *B.* c) *corr. ex* videsse *V.* d) quod *F.* e) *corr. ex* mi *V.* f) *corr. al. man. fere coaeva ex* risus *in ras. V.* g) imitemini *B*, imiteris *F.* h) Lucillus *B.* i) rogitans *V.* k) prophęt. *B.* l) import. *B.* m) mul. tand. *B, F.* n) *corr. ex* audire *F.* o) animę *V*, anime *F.* p) in cęlo lęt. *B.* q) ind. vid. *B.* r) *om. F.* s) Exsplicit prosacio *F.* Incipiunt capitula prefati operis *sequitur in codd. Capitum titulos edidit Martène, textu omisso, quem Gerberto soli debemus.* t) Explicitus *V; quae sequuntur extant tantum in codd. V et F.* u) nunc vero futuro nostro *F.* v) *corr. ex* horo *V.* w) ac *F.*

1) *Hieronymi epist. 81 ad Ruffin. § 1, Opp. ed. Vallarsius I, 508.* 2) *Ibid. epist. 180 ad Demetriad. § 13, Opp. I, 983.* 3) *Isid. Etym. III, 15, 2:* eratque tam turpe musicam nescire quam literas.

c. 850 iuxta philosophorum dogma[1] gestare in semet dicuntur armoniae sonoritatem. Musica enim[a] hominum movet affectus, in diversum habitum provocat sensum[2]. In bello quoque pugnantium vires reficit, et quanto vehementior fuerit tubae clangor, tanto animus ad certamen efficitur fortior[3]. Bestias quoque, serpentes[b], volucres ac delfines suum ad auditum provocat, sicut et supra in laude musicae disciplinae, prout potuimus, diximus[4]. Et quid plura? musica ars omnes exsuperat[c] artes. Angeli quoque quod Deo laudes
Ap. 8,6. more huiusce disciplinae in arcę referunt siderea[d], lecta[e] Apocalipsi nemo qui[f] dubitet.

Ceterum, quod in terris angelorum resonare audiuntur voces, multis perdocemur exemplis, e quibus duo hic ostendam. Veterum pandit memoria, ni fallor, monachum quendam ex monasterio sancti Victoris, quod est iuxta Cinnomannorum civitatem[5], gratia orationis ad basilicam sancti archangeli Michahelis pervenisse in monte Gargano, noctemque ante fores eclesiae pervigilem ducens audivit chorum[g] angelorum cantantium responsorium, quod in natale apostolorum canitur[6], videlicet ℟ Cives apostolorum et domestici Dei advenerunt hodie, portantes[h] et cet. ℣ Emitte, Domine, spiritum. Qui Romam veniens retulit atque Romanae eclesiae clericis, sicuti[i] audierat, memoriae contradidit, mutantesque versum, scilicet ℣: In omnem terram exivit sonus eorum, non solum ab ipsis, sed[k] etiam ab omni cantatur eclesia.

In civitate, quae Autissioderensis[l] vocitatur[m], ferunt fuisse valde religiosum presbiterum[n], qui inter cetera religionis augmenta hoc sibi adsciverat, ut basilicae signo[o] pulsante ilico adsurgeret extemploque[p] eclesiam properaret. Dum[q] his et huiusmodi floreret actibus, quadam nocte cum a propria egrederetur domo, quae parieti herebat basilicae in honorem sancti Albani martyris, angelorum audivit chorum consona canere voce alleluia cum psalmo CXLVIII usque ad finem psalterii, qui adtonitis auribus ad ostium ipsius oratorii obscultans[r] didicit eam. Erat autem alleluia, quod mos est cum[s] superiori canere psalmo diebus tantum dominicis, quae in primo versu semel, in secundo bis, in tertio tribus reciprocatur[t] vicibus et in quarto iterum a capite repetitur, ut autem arbitror, in honorem sanctae et individuae competenter canitur trinitatis[u]. Quo autem liquido cunctis appareret veritas rei, convocatis post matutinorum sollempnia clericis, memoriae eis contradidit. Atque ei ita a cordis recessit[v] gremio, ut nisi[w] vocabulum laudis tantum remansisset (et merito, ut is[x], cui revelata sunt caelestia et aliis tradidit quamquam amore boni ductus zeli), tamen ad Deo[y] referendas laudes aliis maneret et isti a[z] memoria recederet[a]. Cuius rei concordat illud, quod beatus Gregorius in libris Dialogorum de quodam puero refert[7], qui caelestia cum agnovisset verba et proprietates multarum sciret linguarum, in semet reversus coepit pandere, qui[b] illo de loco et quanti et quando migraturi essent a corpore. Quamobrem ipse proprios dilacerans lacertos ultimum vitalemque emisit spiritum. Quod
2. Cor. 12, 4. et apostolus Paulus metuens de seipso dicit: 'Audivit secreta verba, quae non licet
Apoc. 10, 4. homini loqui'. Et Iohanni praecipitur, ne scribat de voce septem tonitruorum. Explicit.

---

a) *corr. ex* autem *ead. m. V.* b) ac *add. F.* c) exuperat *F.* d) sidereo *V,* sydereo *F.* e) lector *V, F.* f) quis *F.* g) corum *F.* h) port̄ *V.* i) sicut *F.* k) et *add. F.* l) Autissiodor. *F.* m) vocatur *F.* n) prespit. *F.* o) singno *F.* p) in *om. V, F.* q) in *add. F.* r) obscultans *F,* auscultans *corr. Gerb.* s) in *F.* t) reprocatur *F.* u) trinitati *V, F.* v) cord. rec. a *F.* w) nonnisi *corr. Gerb.* x) his *V, F,* is *corr. Gerb.* y) adeo *pro* ad Deo *F.* z) *om. F.* a) *hic finit F, cetera habet V solus.* b) quo *V.*

1) *Isid. Etym. III, 16, 1:* ipse mundus quadam harmonia sonorum fertur esse compositus *etc.* 2) *Ibid.* 3) *Ibid. 2.* 4) *Cap. 1 (ed. Gerbert p. 30):* qualiter bestias, tigres ac delfines, marina scilicet animalia, necnon serpentes quidam cantilena mites reddiderunt. 5) *S. Victurii ep. Cenoman. prope fluvium Sartam MART.* 6) *Cf. Chevalier, Biblioth. liturg. VI, 296 (Plenkers).* 7) *Armentario, cf. Dial. l. IV c. 26, Opp. II, 412—413.*

Editum pro captu meo libellum hunc tibi, dilectissime ac nimium desiderantissime abba meus Bernarde, percurrendum atque examinandum mitto deprecorque, ut pro meis et corporis et animae fragilitatibus apud iudicem pium intercedere digneris, nobilissime nobilium. Ego enim 'dum spiritus hos regit artus'[1], dum vitae huius fruimur comeatu, spondeo, promitto, polliceor, vos semper mea lingua resonabit, nulla erit pagina nostra ab hodierna die, quae non sonet Bernardum venerabilem, nobilem, sanctum, pium atque benignum. Quocumque sermonis nostri monumenta pervenerint[2], ipse cum meis scriptis proficisceris, christianorum[a] nobilissime: numquam enim in meis libris moriturus es. Audiet me semper de te loquentem sexus uterque, senex, iuvenis, puer, advena, cives. Quorsum ista loquor? quoniam in filio Abraham temptatur et fidelior invenitur; in Aegypto venditur Ioseph, ut patrem pascat et fratres; morte vicina Ezechias terretur, et fusus in lacrimas XV annorum spatio protelatur[b] ad vitam. Apostolus Petrus Domini concutitur passione et amariter flens audit: 'Pasce oves meas'. Lupus rapax Paulus et Beniamin adolescencior in extasi cecatur et repentino tenebrarum horrore circumdatur, Dominum vocat, quem dudum persequebatur ut hominem. Cui plus dimittitur, uti praefatiuncula praemisimus[3], plus amat. Nosti, mi reverentissime pater, quia multi non contenti perditione sua, volunt plures mortis habere participes[c], quasi multitudo peccantium scelus minuat. Tamen nunc et dico et dicam illud vos tenere cupio mea de parte quicumque infidelis extiterit detraxeritque seu susurraverit, aut aliquid vestra de parte sinistrorum aut conatus fuerit aut dixerit, ita haberi illum a nostris partibus alienum, ut quid agat, ubi sit nescire cupiam. Ipse denique viderit, ubi possit absolvi.

c. 850—855

4. Reg. 20, 6. Ioh. 21, 17. Gen. 49, 27. Act. 9, 3—9.

Sanctam paternitatem vestram gratia superni adiutoris conservare atque ad defensionem suae sanctae eclesiae semper corroborare dignetur. Amen, amen, amen, fiat, fiat, fiat, amen.

2.

Bernardus, monachus quidam (Werdensis) regi novo (Lothario II) de donis pretiosis refert, quae parentes ipsius iam defuncti ab eo acceperant pro quibusque vicem eum redditurum esse sperat, praesertim cum rex ipse res illas a patre augusto recepisset. Iudaei cuiusdam Francofurti baptizandi mentionem inicit. *c. 855.*

Cod. tabularii Monasteriensis saec. IX ex. ex monasterio Werdensi oriundus (Urkk. des Stiftes Nottuln n. 1), quem contulit Mart. Meyer.

Edd. Wilkens, Lebensgesch. der h. Gerburgis p. 24; Wilmans, Kaiserurkunden der Prov. Westfalen I, 524—526.

DOMINO SERENISSIMO, AUGUSTORUM MIHI CARISSIMO ET PRAECELLENTISSIMO REGI BERNARDUS HUMILIS ET EXIGUUS MONACHUS[4], LICET INDIGNUS, FIDELISSIMUS VESTER IN OMNIBUS ET PRO VOBIS INDEFESSUS ORATOR, UT DEUS, QUI VOS IN TRHONUM REGIMINIS CONSTITUIT, IPSE PROSPERIS SUCCESSIBUS FACIAT POLLERE ET AD INMARCESCIBILES TRIUMPHOS PERTINGERE.

Novit celsitudo vestra, quando coram vobis dudum eram, qualia et quanta mihi munificentia vestrae benignitatis et pietatis pro amore Dei omnipotentis necnon et pro dilectione piissimi genitoris vestri atque sacratissimae genetricis vestrae exhibuit

---

a) xpianorum *V*. b) proteletur *V, corr. Mart.* c) *corr. ex* partiicipes *V*.

1) *Verg. Aen. IV, 336.* 2) *Excerpta ex Aureliani libro habent etiam codices lat. Monac. 14836 et 19489.* 3) *Cf. supra p. 129 v. 24.* 4) *Werdensis, ut videtur.*

c. 855 ac promisit. Unde quia dignum est, heredem[a] universitatis eorum hac munificentia pietatis ea, quae ad salutem et vota eorum complenda pertinent, requirere et clementer perficere, idcirco decrevi significare magnificentiae vestrae ea, quae olim piissimo genitori vestro, domino meo augusto, coram domina genetrice vestra[1] dedi, eo quod dixerat apud augustum[2] impetrasse ea, quae petiveram. Unde quasi pro disponsione, ut disponderem verba ipsius mihi satis placabilia satisque votiva, id sunt. Inclitissimo augusto dedi baucos[3] optimos II, gradale Alexandrinum optimum I, candelabra II pensantia libras X. Quas in praesentia vobis augustus dedit ad locum, qui vocatur Sanctos[4] super Renum, et erat Atto[5] tunc baiulus vester. Quidem vero Iudeus debebat mihi argentum libras XXIIII et erat ipse Iudeus semper mecum. Mandavit autem domnus imperator, ut ipsum Iudeum transmitterem illi ad baptizandum ad Franconifurt, et ille iuberet mihi restitui eundem pretium. Sed quia de his omnibus et de promissis, pro quibus ea obtuleram, minime aliquid provenit, variis dilationum praepedientibus rei publicae negotiis, neque domnus augustus mihi complere valuit quae decreverat, ideo, sicuti olim in praesentia vestra beatae memoriae genetrici vestrae augustae ea, quae dederam, indulsi et indulta esse cupio coram Deo et opto, ita et ista, quae nunc commemoravi, pro reverentia vestra et pro amore Dei ac pro fidelissima dilectione domni augusti suppliciter coram oculis divinae maiestatis et indulgeo et indulta esse exopto. Pro quibus etiam indesinenter coram summo Deo cotidie in precibus et obsecrationibus memet ipsum offerre devoveo, et, si fieri posset, totis nisibus opto, sicut de venerandae augustae debito coram vobis feci, ita et de domni augusti ipse devotus coram vobis facere desidero. Et in hoc exivi a monasterio, si usque ad vos pertingere potuissem: quod et faciam, nisi peccatis meis exigentibus minime id complere nequivero. Quae autem fuerint, quae prius coram vobis memorabili augustae indulsi et indulta esse cupio, haec sunt: Fialae aureae II pensantes libras II et unciam I, baucos II pensantes libram I, inaures II cum berillis optimis II et perulis[6] optimis II, iterum alia.

3.

Paschasius Radbertus Corbeiensis monachus Placidio (Warino) abbati Corbeiae novae, quem Wala abbas ei commendaverat, librum de sacramento dominici sanguinis et corporis rogatu eius mittit. *c. 831—833.*

Codd. Parisinus 2854 (olim Puteanus 4356) s. IX f. 1 (P), Laudunensis 114 s. X f. 1 Liber sancte Marie Laudunensis ecclesie *(L), Parisinus 2077 s. XI f. 124 (P 1), Berolinensis Philippicus 1691 s. XII f. 1'—2 (B), quos contulit Hampe, Monacenses 4608 f. 1'—3' s. XI (M), 17112 f. 2—3 s. XII (M 1)*[a], *cf. Poet. Carol. III, 54—55. 776. Extat etiam in codd. Parisino nouv. acquis. 295 f. 2', Londiniensi Reg. 8 B XI s. IX, cf. Wiener Sitzungsber. LXXXIV, 512.*

Edd. Martène et Durand, Coll. ampl. IX, 378—380; Biblioth. patr. Lugdun. XIV, 729—730; Migne, Patr. CXX, 1263—1268.

---

2. [a]) est her. *vix legi possunt.*

3. [a]) Incipit prologus *L, B,* Incipit prologus de corpore et sanguine domini nostri Iesu Christi *M 1.*

1) *Irmingarda imperatrice, quae a. 851. obiit.* 2) *Lotharium I.* 3) *armillas, quae francogallice bagues vocantur.* 4) *hodie Xanten.* 5) *idem fortasse, qui postea episcopus Virdunensis creatus est (a. 851—870). De baiuli munere cf. supra p. 64 n. 1.* 6) *Perlen.*

PASCASIUS[a] RADBERTUS[b] PLACIDIO[c] SUO[1] SALUTEM[d], DILECTISSIMO FILIO[e] ET VICE CHRISTI[f] PRAESIDENTI[g2], MAGISTRO MONASTICAE DISCIPLINAE, ALTERNIS[h] SUCCESSIBUS[i] VERITATIS[k] CONDISCIPULO[l]. c. 831—833

Novi[m] igitur nec ambigo tua experimento disciplinarum sollertia[n], quod Arsenius noster[3], quem nostra nunc nobis saecula Hieremiam[o] alterum tulerunt[p] ab illo[q], in fidei[r] te mihi commiserit ratione. Propter quod a primevo indefessus curavi te rapere deinter undas, sed fateor tibi magis melotam patris supra verticem profuisse: qua[s] denique subvectus tui te congratulor[t] evasisse, mei quoque[u] iucundor[v] non in vacuum cucurrisse. Praefatus[w] autem pater, uti iustitiae faventibus moris est, exilium fert pro fide, illo ut utar comici[4], quia 'plenus rimarum' veritatem sciens silere noluit. Unde adhuc suspecti sumus[x], quid Dei dispensatio ex eo ulterius velit, quem iam inspicimus promissionibus meritorum hinc inde divinitus agitari[y]. Tu tamen non[z] es secutus iuvenilia[a], ut adsolent, desideria, qui diutinis premuntur[b] inviti disciplinarum compedibus, sed radicatus fide Christi ultroneus moribus et vita cotidie[c] ad meliora Deo[d] iuvante proficis. Neque, ut frequenter tibi obieceram, supra glatiem scribens ad solem posui, sed in soliditate fidei et caritate Christi interius spiritu solidante[e] semina vitae sevi[f].

Unde, votorum[g] fili, censura fidei et dilectionis gratia etiam inter mundi turbines, praesertim dum noster[h] suis discordiarum anfractibus pene labitur orbis, effusa super magnates[i] contentione imperii divino arbitrio, quorum lite multum diuque concussus[k], tandem patent[l] occulta, quae a principio per partes hinc inde concreverant: delictorum habenis ubique concupiscentiarum refusis, iam sua summos feriunt fulgura montes[5], ita ut nihil[m] nostras nisi confusio[n] undique per singula horarum spatia repercutiat aures. Tamen non supersedi[o], ne[p] te unicum[q] ac specialem, ne[r] divinis dumtaxat, quamvis clausus in custodia, curarem eluere[s] votis et ad inmortalia aeternorum, licet sermone inelimato, pulsum a lacte annuis angoribus, ut gliscas felicius, invitarem. Quod ideo placuit communius[t] stilo temperari[u] subulco[6] et ea, quae de sacramento dominici[v] sanguinis et corporis tibi exigis necessaria, tui praetexta[w] amore ita tenus perstringere, ut ceteri, quos necdum unda liberalium attigerat litterarum, vitae pabulum et salutis haustum planius tecum[x] caperent ad medelam et nobis operis praestantior

---

a) Pascasius — salutem *om. L.* b) Ratbertus *P 1, M, om. B.* c) Placido *M,* Radberto Placido *B.* d) monachorum omnium peripsima *add. B,* levita monachorum omnium peripsema *add. edd.* e) *om. M 1,* Placidio *add. hic L.* f) *om. P.* g) prędsidente *P, corr. in* -i *manu coaeva P 1,* vel ti *B.* h) id est mutatis *add. m. 2 P 1;* alternis monasticae disciplinae *L.* i) Pascasius Ratbertus *add. hic L.* k) *om. L.* l) salutem *add. hic L.* m) Novit *L, B.* n) solercia *L, corr. in* sollercia *et add. m. 2* id est vigilantia *P 1,* tuam ... sollertiam. Et *M.* o) *om. L.* p) olim (olym) *pro* ab illo *M, M 1, B.* q) *del. B.* r) fide i *post add. P.* s) *corr. ex* quia *P 1,* quia *M.* t) gratulor *L.* u) meique *pro* mei quoque *L.* v) iocundor *M, M 1.* w) Prefatus — Tu tamen *om. L, B.* x) *om. P.* y) accitari *M, M 1.* z) Quia non *L, B.* a) ut assolent *(B)* iuvenilia *L.* b) *corr. ex* praem. *L.* c) cottidie *L, M, M 1.* d) Domino *L, B.* e) *corr. ex* seminante *P.* f) *corr. ex* sequi *mod. man. P.* g) o *add. M, M 1.* h) nostrarum *ed. Martenii.* i) magnatos *L, corr. in* -tes *B.* k) scil. ipse orbis *superscr. M.* l) *om. L, M, M 1,* parent *superscr. B.* m) nil *L,* nichil *B.* n) confessio *L.* o) id est non neglexi *superscr. M.* p) *om. M, M 1.* q) unicum ac *om. M.* r) ne *del.* quin *B,* quin *M.* s) cluere *P, M.* t) -us *del. B.* u) temperare *M, M 1.* v) *om. L, M, M 1, B.* w) praetextatur *P, corr. in* pretexantur *B,* praetextatus *L,* pretextantur *M, M 1, corr. Tr.* x) *om. L, M, M 1.*

1) *i. e. Warino abbati a. 826—856. Versus, qui hanc epistolam antecedunt, invenies: Poet. Carol. III, 52.* 2) *Cf. Benedicti regul. c. 2:* Christi enim agere vices .. creditur. 3) *Wala abbas Corbeiae veteris inde ab a. 826, tunc exul, quem Radbertus et in epitaphio ei dedicato hoc nomine ornat.* 4) *Ter. Eunuch. I, 2, 25:* plenus rimarum. 5) *Hor. Carm. II, 10, 11. 12:* feriuntque summos fulgura montes. *Loco usus est Hieronymus in epistola 60 ad Heliodor. et in prologo Hebraicar. quaestion. in Genes., Opp. I, 342; III, 302.* 6) *Cf. infra p. 140 v. 31:* stilo reseratam subulco, *ubi laudatur Hieronymi locus:* subulcam dictandi audaciam, *sed Vallarsius (Opp. VII, 8) legit* subitam.

c. 831—833 exuberaret[a] fructus mercedis[b] pro sudore, quia pecunia[c] verbi, sicut[d] plenius nosti, quantos replevit suis sumptibus auditores, tantis copiosius[e] in sese amplificatur meritorum opibus. Ideo velim non[f] puerili animo ista perlegas[g], verborum ad alia praetio-
Cant. 3, 7. 9. sorum amore ductus, sed sic sedeas ad hanc mensulam paupertatis[h] acsi ad ferculum Salomonis. Ambiunt ergo eum electorum sexaginta fortes ex fortissimis supernorum. Ubi, si quis superciliosus aut invidus vel indignus accesserit usquam, eorum tutus[i]
ib. 8. loquor praesidio, ista non absque periculo contempni[k], quoniam uniuscuiusque ensis super femur vibrat, tam ut talium retundat[l] audatiam[m], quam ut regis excubias custodiant contra hostes, qui[n] etsi minus est in eloquio, nihil[o] praestantius in materia, qua digne credentibus vita praestatur incorruptibilis et aeterna.

Hinc ergo ne putes me tibi, fili, fabulam de Maronis salsura[1] contexere, immo crede, post lac infantiae nihil[o] magis cavendum, ne in his offendas, nihilque[p] felicius, si digne ad ea gustu intelligibili[q] pertingas. Ubi[r], si recte sapias[s], quotienslibet recumbis, inter angelorum frequentiam et sanctorum omnium epulas, quia convivium est regis aeterni, admisceris; ubi sponsus et sponsa dulcibus diliciarum[t] fruuntur muneri-
Matth. 22, 11. 12. bus et rex totius creaturae cotidie[u] ingreditur, ut videat discumbentes, si vestem in qua renati sunt habeant nuptialem. Unde, quia, karissime, talia periculosius est praesumere opesque diliciarum[v] Christi fedare[w] vitae criminibus et quae sancta sunt inpudenter[x] adtingere[y], velim caveas ad haec una cum iniqua gerentibus[z] introire. Immo
cf. Matth. 27, 24. lava inter innocentes manus, quia iam sacris es[a] officiis mancipatus, ut sine periculo possis accedere ad commissa et cum fidutia contingere vitae pascua, quibus sane refectus et usque ad finem vitae digne nutritus valeas pervenire ad locum tabernaculi admirabilis usque ad domum[b] Dei, in voce exultationis et confessionis, ubi sonus est aepulantis. Noli ergo parvipendere tantam gratiam, sed de hoc exiguo lectionis intellege[c], quanta sit virtus vitam aeternam inpraesentiarum accipere et angelicis escis cotidie[d] saginari, quoniam, etsi a[e] Deo plena sunt omnia, nosque[f] coram oculis[g] divinae maiestatis semper versamur et perfidis ubique nullus tutus est locus, tamen plurimum coram sanctis altaribus frequentiam angelorum vultumque Dei contemplantem[h] divina obsequia[i] observare oportet et vereri.

Haec autem ut securius tua perlegat infantia, placuit, karissime[k], catholicos ecclesiae doctores in principio adnotare[l], ex quibus pauca de pluribus quasi lac teneritudinis eliquaverim: Cyprianum[m] scilicet, Ambrosium, Agustinum[n], Hilarium[o], Iohannem, Gregorium, Hieronimum, Isidorum[p], Ysitium[q 2] et Bedam, quorum doctrina et fide imbutus[r], melius possis ad altiora proficere. Nostro quidem stilo nunc sensum eorum commendans, nunc vero propriis eorum verbis utens, quae apta erant meo studio temperavi. Interdum autem quae manifesta nondum[s] videbantur vera ratione

---

a) exhuberaret *P.* b) atque merces *pro* mercedis *ed.* c) peccunia *B.* d) sicuti *L, B,* secuti *M, corr. ex* secuti *M 1.* e) copiosus *L.* f) ut *superscr. B,* ut non *M, M 1.* g) plagas *L.* h) pauper *L.* i) totus *L.* k) *corr. in* contemni *L,* contemni *B.* l) *corr. in* retundant *B,* retundant *M 1, corr. ex* redundant *L.* m) audacia *1 lit. er. L.* n) quia *P, P 1, B.* o) nil *L,* nichil *B.* p) nilque *L,* nichilque *B.* q) intellegibili *M, M 1.* r) Qui *P,* Quę *M, M 1.* s) sapio *L.* t) *post corr.* delic. *P,* delic. *L,* delit. *M, M 1.* u) cottidie *M, M 1.* v) delic. *L,* delit. *M, M 1.* w) fędere *corr. in* -dare *M.* x) inpud. *corr. in* impud. *B.* y) impud. attingere *L.* z) non *add. M.* a) *om. L,* off. es *B.* b) domun *P.* c) lectionis intellige *corr. ex* lectiones intellege *L.* d) *om. M 1,* cottidie *L, M.* e) *om. M, M 1, del. B.* f) nos quoque *codd., cf. infra p. 136 v. 3.* g) occulis *B.* h) contemplante *post corr.* -tem *P.* i) *om. M.* k) commune *del., superscr.* karissime *B.* l) *corr. in* annotare *L.* m) Ciprianum *B.* n) Aug. *L, M, B.* o) Ys. Hyl. Ioh. Hier. Greg. Ys. *M.* p) *in marg. add. P.* q) Ysicium *L.* r) inbutus *L, M.* s) non dubium *codd., corr. Mart. ex msc. S. Audoeni.*

1) *Cf. Radberti prologum in libr. III comment. in Matth. (infra p. 143 v. 7) et De fide spe et carit. (Martène et Durand, Coll. IX, 472):* non quidem poetarum salsura, *cf. Fulgentius mytholog. I, 3 (ed. Helm p. 3, 17):* ordior fabulam, quam nuper Attica soporante salsura . . commentus sum *(Tr).*
2) *Cf. Epp. V, 396. 516.*

firmavi[a] et contra quaeque in eiusdem libri margine litteras doctorum quos praemisi ex initio nominis e regione figere curavi, propter quod lege securus et perfice quae monui devotus. Explicit[b] prologus. c. 831—853

4.

Paschasius Radbertus Corbeiensis abbas Karolo (Calvo) regi libellum de sacramentis sacrae communionis, quem olim Warino abbati dedicaverat, dono mittit. 842—853.

Cod. Parisinus 2855 (quondam Colbertinus 3682) s. X f. 2, quem contulit K. Hampe socius noster, de quo cf. Poet. Carol. III, 45.

Edd. Pasch. Ratberti lib. de sacram. eucharist. stud. a Fuchte, Helmaest. 1616; Martène et Durand, Coll. ampliss. IX, 374—376; Migne, Patrol. CXX, 1259—1262.

DOMINO[a 1] PRAECELLENTISSIMO REGI HUMILIS ET EXIGUUS PASCHASIUS RADBERTUS, VESTER ETSI INDIGNUS ABBAS AC LEVITA CHRISTI, MONACHORUM OMNIUM PERIPSEMA, PLURIMAM SALUTEM, REX INCLITE, VOBIS.

Hinc inde, ut condignum est, ad superventura dominici diei festa missuri sunt auri argentique et vasorum diversi generis munera necnon et variae supellectilis vestium ornamenta atque falerata equorum caeterorumque animalium quaeque praecipua. Inter quos nimirum etsi ultimus fide devotus, quia monuistis et mea, ut opto, vos delectant, decrevi non ignavi ponderis metalli maiestati vestrae munus offerre, sed libellum, quamvis exiguum corpore, magnum tamen de sacramentis sacrae communionis, quem dudum Placidio meo Warino abbati devoto fideli vestro consecrans ideo sic communius[2] volui stilo temperare subulco, ut ea, quae de sacramento corporis et sanguinis Christi sunt necessaria rescire, quos necdum unda liberalium attigerat literarum, vitae pabulum et salutis haustum planius caperent ad medelam. Nunc autem dirigere curavi[b] vobis, quatinus nobis operis praestantior per vos exuberaret fructus mercedis pro sudore, cum per vos ad plurimos pervenerit commendatus et gratia nobis responderit oblati muneris, quia peccunia verbi, sicuti plenius, domine mi rex, nostis, quantos repleverit suis sumptibus auditores, tantis copiosius in sese amplificatur meritorum opibus. Qua de causa velim non levi animo ista perlegat vestrae solertiae magnitudo, verborum ad alia pretiosorum amore ductus, sed sic super hanc intendat prudentia vestra mensulam paupertatis acsi ad ferculum Salomonis, quod ambiunt ex fortissimis supernorum civium electorum sexaginta fortes. Ubi profecto, si quis superciliosus aut invidus vel indignus accesserit usquam, eorum tutus loquor praesidio, de quibus est sermo, non ista absque periculo contempni, quoniam uniuscuiusque ensis hinc inde vibrat, tam ut talium retundat audatiam, quam ut regis excubias custodiant contra hostes, qui etsi minus est in eloquio, multo praestantius in materia, qua digne credentibus via praestatur incorruptibilis et aeterna. Cant. 3, 7. 9. ib. 8.

Idcirco, ne me putes, augustorum carissime[c], fabulam vobis contexere de Maronis salsura, immo cavendum, ne ullus in his offendat, quia nihil felicius, si digne ad ea gustu intellegibili quisque pertingat. Ubi, si recte sapio, quotienslibet quicumque recumbit inter ea, de quibus agitur, inter angelorum frequentiam et sanctorum omnium epulas versatur, quia convivium aeterni regis est, ad quod ingreditur; ubi sponsus et sponsa dulcibus deliciarum fruuntur muneribus, et rex tocius creaturae cotidie ingreditur, ut videat discumbentes, si vestem in qua renati sunt habeant nuptialem. Quapropter non parvipendere debemus tantam gratiam, sed cogitare, qualiter possimus cum fidutia aeternae vitae pascua contingere. Hinc ergo, Matth. 22, 11. 12

---

a) *corr. ex* firmari *B.* b) Explicat *L.*

4. a) *Lemma:* Epistola eiusdem Paschasii ad Carolum regem. b) non timui *ed.* c) clarissime *coni. Martène.*

1) *Versus, qui hanc epistolam antecedunt, invenies: Poet. Carol. III, 52—53. 757.* 2) *quae secuntur magna ex parte ex epistola anteriore ad Warinum data repetuntur.*

c. 842—853 praestantissime rex, de hoc exiguo[a] lectionis eloquio placeat diligenter intendere, quanta sit virtus in eisdem misticis sacramentis vitam aeternam inpraesentiarum accipere et angelicis escis Christi in corpore cotidie saginari, quoniam, etsi a Deo plena sunt omnia nosque coram oculis divinae maiestatis semper versamur et perfidis ubique nullus tutus est locus, tamen plurimum coram[b] sanctis altaribus frequentiam angelorum vultumque Dei contemplantem divina obsequia observare oportet et vereri taliaque mente et anima instantius perscrutari.

Et ut haec diligentius[c] vestra perlegat sagax intellegentia, licet humilia videantur, prostratis imploro precibus, quatinus vestro examine comprobatus codex, etsi iamdudum ad plurimos pervenit, deinceps securius haberi possit, quia non de nostro ista edidimus, sed catholicorum patrum doctrinam veritatis calamo conscriptam[d] nostro stilo commendavimus. Quod si dignitas vestra ea, quae devotus offero[e] dignanter acceperit meaque taliacumque[f] grata fuerint, illut Maronis[1] in fine cantabo:

Aurea mala decem misi, cras altera mittam.

5.

Paschasius Radbertus (abbas) Corbeiensis Odilmanno monacho Corbeiensi se threnos Ieremiae primo explanare velle scribit. *paulo post 845.*

Codd. Parisinus 12294 (quondam liber S. Petri Corbeiae; S. Germani 824) saec. X (P); Carlsruhensis, Augiensis CXLVI saec. X fol. 3 (A).

Edd. Paschasii opera ed. Sirmond 1307. 1361. 1407. 1477; Biblioth. patr. Lugdun. XIV, 759. 774. 788. 808; Migne, Patrol. CXX, 1059—1062. 1103. 1139—1142. 1197—1198.

PASCHASIUS[a] RADBERTUS[b] MONACHORUM OMNIUM PERIPSEMA SENI ODILMANNO SEVERO PLURIMAM ET SEMPITERNAM SALUTEM[2].

Multo 'cogor' longoque confectus vitae tedio tristes lacrimarum 'inire modos'[3], gemebundus[c], iam quia, profecto meis praegravata malis, inopinate senectus non vocata venit. Quam dum inspicio, specie deformatus, aliena perhorresco, eo quod me subito, animo non mutatus, quod fui non invenio, evadere tamen nequeo, illa decipiente quae admisi[d]. Unde congelatus usu longiori durior effectus, nullis iam emolliri queo fletibus, quamvis multis miseriarum mearum intus forisve premar doloribus. Quibus cottidie saltem ad suspiria propulsus Hieremiae prophetae[e] inter discrimina ultimae vitae threnos explanare decrevi. Siquidem eius ut emolliar lamentis, quatinus vel sic addiscam fragilis vitae excidia deplorare, quo modo sanctus ille plangit aliena. Et quia
Eccl. 7, 3. haec aetas alios poscit mores[4], licet sero hortante scriptura, quia semel domum luctus intravi, proposui tanti operis studia non indiscussa transire, licet neminem Latinorum legerim explanasse threnos, quos propheta[f] symphonizando metro[5] voluit legentibus commendare. In quo nimirum opere, si quippiam posteris condignum litteris enodavero, tuo, frater, iudicio decernendum transmitto, quia nulli magis nostra congruere putavi, ad quoscumque oculos direxi, quam tibi, qui et senectute coequaris et cottidianis precum fletibus antecellis[g].

---

a) exiguae *ed.* b) contra *P.* c) digentius *P.* d) conscripta *P.* e) *corr. ex* offerro *P.* f) taliacumque̅ *P.*

5. a) Paschasius — vitae *uncialib. scripta A.* b) Ratbertus *P.* c) gemebunda *codd., corr. Tr.* d) amisi *P.* e) prophete̅ *P.* f) propheta̅ *A.* g) *Sequitur in A, P:* Incipit in lamentationibus Hi[eremie] P[aschasius] R[atbertus] m[onachorum] o[mnium] peripsema votorum liber primus fletibus explicandus seni Odilmanno Severo opere pretio consecratus.

1) *Ecl. III, 71.* 2) *De tempore, quo Radbertus hunc commentarium continuo tenore scripsit cf. Traube, Poet. Carol. III, 39—40 n. 8. Severus idem monachus Corbeiensis fuisse videtur, quocum Radbertus in Epitaphio Arsenii colloquitur, cf. editionem meam (Berlin 1900) p. 18. Odilmannus vocatur inter fratres Corbeienses in libro confraternitat. Augiensi col. 451, 9, ed. Piper p. 289.* 3) *Boet. de consol. phil. I, 1, 2. 9. 14.* 4) *Cf. Ter. Andr. I, 2, 18:* Nunc hic dies . . alios mores postulat. 5) *Tr. affert hic Hieronymi epist. 30 ad Paulam, Opp. I, 148.*

Inter nos, ex parte ut dictum est, virorum carissime, in dandis accipiendisque muneribus praecipue ea estimanda sunt officia[a], si liquido constiterit nihil a me aliud, quod tibi congruentius afferrem, iuxta quod potui, explicitum nec a te umquam, quod carius benivolentia complectaretur, acceptum. Profecto quia consenescentibus nobis hoc longevum[b] semper constat fuisse officium orationibus incumbere, insistere lamentis et vel nostra vel aliena facinora deflere. Hinc est, quod explicito in lamentationibus primo litterarum alfabeto ad secundum manum porrigimus, ut habeas, amplius quid defleas caritate conpunctus, si non est in me, ex quo gaudeas malis amaricatus. paulo post 845

Non nostri operis est, frater et consenex, falsas poetarum fabulas iam revolvere vel Milisias[1], quoniam nostra institutio alios reposcit mores[2]; neque philosophorum perscrutari libros, quia in altero ludus et oblectatio est, in altero vero difficultas et sudoribus admixtus labor. Verum magis threnis nos decet et lamentis indesinenter insistere, si forte (ut in Iudicum legitur), monente et enumerante angelo mala quae gessimus, una cum eo ad locum flentium de Galgala, id est de volutabro[3], usque ascendimus. Ubi cum loqueretur ad omnem Israhel[c], elevaverunt vocem hi et fleverunt. Unde vocatum est nomen loci illius flentium vel lacrimarum. Quae quia tristia sunt, difficile, immo inpossibile[d], est placere omnibus. Sed, quia novi, cuius sit omne quod vivimus, ideo huic me studio totum tradidi quasi in quadam mentis specula mundi huius turbines inter ista quae plangimus[e] et naufragia nostri saeculi cum gemitu ac dolore cernere. Unde ad tertium alfabetum quasi ad quosdam decrevi calentes prophetae fontes[4], quia excelsiora sunt sub alterius genere metri ea, quae aptantur trimetro promulgata profundius, manum mittere. In quo nimirum opere terni versus una eademque incipiunt littera, quod non ita in tribus Saficis constat alfabetis.[5] Sed, quia quaedam de eclesia sunt et multa ibi, quae[f] de passione Christi altius aperiuntur, altior est[g] sensus requirendus, licet non inveniri posse credam sine fletibus. Propterea, quasi desuper asino sedens carnis indomitae, a[h] te, consenex, posco, quia mihi arentem Dominus dedit cordis agrum, tuis precibus obtineas et deposcas gemitibus, si non inriguum superius, saltem inferius pius concedat medicus, quatinus, qui nostrorum eiulantium attigi venas, infra domum lamenti fonte devotus vel sero abluar lacrimarum. Iud. 2, 1. ib. 4. 5.

Incipit prologus libri sequentis seni Severo opere pretio consecratus.

Tribus decursis in lamentationibus litterarum alfabetis[i], superest ut quartum quadrato mysticae[k] significationis recenseamus numero, quoniam materialis est, ut ex ipso conficiamus omnium virtutum ornamenta. Materialis quidem, quia homo et mundus quattuor constat elementis conpactus[6], materialis, quia nulla temporalium nisi ex quattuor constant[l], ut puta quattuor rerum omnium temporalium elementis, quattuor et plagis. Sic et aetas seculi quattuor constat temporibus[m]. Materialis ergo iste numerus etiam conquadrat, omnia ut subsistant, quia solidus est et quadratus, verum non solum materialia, sed et caelestia. Unde cum unum sit evangelium[n], quattuor[o] evangelistae[n]

---

a) offitia *P.* b) longe tuum *P.* c) Israel *A.* d) imposs. *P.* e) plangimur *P.* f) que *A.* g) et *P.* h) ad *P.* i) alphabetis *A.* k) mistice *A.* l) constat *P.* m) *corr. ex* temporebus *A.* n) euuangel. *A.* o) quatuor *A.*

1) *Cf. Hieron. in Isai. l. XII praef., Opp. IV, 491—492, ubi legitur* Milesias fabellas *et* sudor mixtus labori *(Tr.).* 2) *Cf. supra p. 136 n. 4* alios poscit mores. 3) *Hieron. De Nomin. Hebraic., Opp. III, 42.* 4) *Beda de die iudic. v. 13, Opp. ed. Giles I, 99:* Nunc, rogo, nunc venae fontes aperite calentes, *cf. Poet. Carol. III, 42.* 5) *Cf. Hieron. ep. 30 ad Paulam, Opp. I, 148:* Tertium vero alphabetum trimetro scriptum est et a ternis litteris, sed eisdem terni versus incipiunt. 6) *Radbertus adhibuit hic et in sequentibus Isidori librum Numeror. c. 5, Opp. ed. Arevalus V, 225 (Tr.).*

ante 831 eliguntur. Quattuor et virtutes generales numerantur, ex quibus reliquae omnes oriuntur, quasi ex quattuor paradisi[a] fluminibus, ut omnia virtutum semina uberius inrigentur. Et quia sub his quattuor elementis, quibus subsistimus, interius exteriusve delinquimus, iustum fuit, ut sub eodem numero una cum propheta corrupta[b] defleamus et quasi ex materiali numero nostrum interius hominem ad novitatem vitae fletibus reparemus, quem vanis concupiscentiarum gaudiis corrupimus. Sunt etenim, mi frater et consenex, quattuor affectiones morum, quibus praefatae quattuor animi nostri corrumpuntur[c] virtutes. Et ideo recte provisum est sub his quattuor alfabetis totum hominem interius exteriusve deflere debere et ad integritatem verae dilectionis[d] nostra omnia lacrimis vel gemitibus restaurare, ita ut singulis rebus morum corporumve viciatis, singula
cf. Ps. 136, 1. opponantur litterarum lamenta sicque, super flumina Babylonis[e] abducti, nostra solvatur captivitas et reddatur nostrae Sion vera in Christo libertas. Finit prologus[1].

6.

Paschasius Radbertus Corbeiensis monachus Guntlando S. Richarii monacho se patrum vestigia secutum evangelium Matthaei interpretaturum esse promittit. *ante 831.*

Cod. Parisinus 12296 saec. IX—X fol. 1, quem contulit H. Lebègue.

Edd. Paschasii Radberti opp. ed. Sirmond 1—8; Bibl. max. patr. Lugd. XIV, 356—358; Migne, Patrol. CXX, 31—36.

Incipit liber primus Pascasii Ratberti Corbeiensis abbatis super Mathei evangelio scriptus ad Guntlandum monachum[2] monasterii sancti Richarii confessoris.

Dum sacrae professionis oboedientia coram fratribus evangelium, uti consuetudinis est, diebus sollemnibus licet inelimato loquendi genere exhortandi[a] magis gratia quam docendi tractaretur, coeperunt nonnulli eorum religione ferventes instanti devotione frequenter exposcere (nec, si adpossem, intendentes) beati Mathaei evangelistae textum narrationis per ordinem explicarem, ut fluenta totius doctrinae litteris contradita ad plurimos uberius emanarent[b]. Qui mox memet ipsum ingressus posui novo tactus affatu maculosam fragilitatis vitam coram oculis, quibus essem criminibus obvolutus. Et coepi dumosi pectoris ingenium, quod largitoris in me praestiterat indulgentia, disquirere profunditatemque tanti mysterii perscrutari, si forte virtus divina siccam vellet fonte doctrinarum rigari pectoris rupem et mei laboris stilo sanctorum patrum sensus unitatis eloquio legentibus coaptari, ita sane, ut nec eloquentia variis obscene sententiarum consuta pictatiis[c] animum lectoris offenderet nec rimarum tramites diversi nitorem intellegentiae confunderent. Sed, haec multum mecum diuque pudore pressus pertractans, auctoris venia continuo et gratia, per[d] quam divinitus apostolatum meruit,
Matth. 9, 9. ante oculos effulsit. Occurrit etiam, quod puplicanum se non erubuerit[e] fateri et, qualiter sit vocatus a teloneo, evangelica voce manifeste omnibus voluerit praedicari. Quibus quasi[f] plane praemonitus coepi ulterius nihil dubitare de venia nihilque haesitare, quod debeam eius suffragio adiutus doctrinarum convivio admitti; in cuius profecto
ib. 9, 10. ante infusionem spiritus iam prandio Dominus cum peccatoribus et publicanis dignatus est epulari. Quem si recte inspicimus, per totum textum evangelii curam peccatorum specialius gerit[g], unde et mores instituit atque fontem verae conversionis patenter ubique ostendit. Propter quod, etsi peccatorem me intellegam, ab hac gratia minime

---

a) paradysi *P.* b) *om. A.* c) corrupuntur *P.* d) dilationis *B, P.* e) Babilonis *A.*

6. a) exortandi h *superscr. P.* b) emanaret *P.* c) *ex* pietatiis *corr.* d) *superscr.* e) -erit *superscr.* f) *in marg. suppl.* g) -rit *in ras.*

1) *Omitto prologum libri quinti.* 2) *De Guntlando monacho, cuius nomen etiam inter carmina Centulensia occurrit, cf. Traube, Poet. Carol. III, 271. 351. 363.*

credidi cohibendum, praesertim cum eundem evangelistam legam[a] Ethiopas praedicasse ante 831
gratiamque Spiritus sancti evangelizandi officio perfudisse: ut qui[b] erant fuligine peccati pice pressius denigrati, formarentur ipsius exemplo ad gratiam, qua caelitus iste de publicano evangelista est effectus.

Unde, quaeso, nemo mihi succenseat, si tandem, Dei confisus gratia, elegi sollertiam, quam in me caelestis providentia eruditionis sale condivit, Domino dedicare, quam inanis vitae ocio praetermisso studio torpere, quia, etsi non multis, mihimet tamen[c] meisque, profuturum credidi, ut istuc interdum animum transponerem et fugaces doctrinarum sensus longo labore quaesitos litteris alligarem, quatinus per hoc essem ad cogitandum instructior et ad disserendum paratior. Unde mecum omnes pariter ad fontem veniae currant et, si non ferant precium, absque ulla commutatione vinum et lac gratis percipiant. Mecum, si placet[d], hunc publicanum adeant, mecum fluenta illius bibant, quoniam melius est huius mysticam sectari doctrinam, licet stilo reseratam subulco[1], quam si per Heliseos campos flores colligerent et fonte Tantali[e 2] fluctus indesinenter aureos lambendo potarent. Et si forte hinc alii uberiores ducant rivos divitiarumque fercula parent, saltim nec reor dedignari nostros, ne velint percipere purissimos haustus[f], qui vocem doctrinae quam saepe ex iussu patris libenter audiunt in loquendo. Immo quia non aliis scribere delegi, quam quorum studia in talibus vigent, devotio fervet, caritas ad percipiendum quae sanae doctrinae sunt invitat. Segnes vero et livore pium opus male carpentes hinc inde quasi pestes secerno, saltim dumtaxat ut meis proficiam, qui me in divinis studiis provexerunt benivolentia ferventes. Quod si quispiam econtra invidorum opponere temptaverit, moderno tempore post auctoritatem patrum priorum ut quid nisus sim evangelium exponere, noverit, quod non temeritate usus hoc praeelegerim[g], sed amore religionis, cupiens paterna subplere vota Christi gratia respersus. Profecto quia hactenus nemo doctorum proscripsit[h] donum sancti Spiritus et mentis efficatiam futurorum, nemo qui interdixerit caelestibus parere disciplinis. Sed ignavia fraudolentorum semper promptior extitit ausu temeritatis proficua, quos modo veneramur, patrum officia calumniari, quam veritatis scientiae operam appendere. Hoc quippe passi sunt summi phylosophi, hoc poetae nobiles, hoc nostri, ut dixi, doctores, sed tamen omnes, priorum sectantes studia, ex eorum sensibus praestantiora posteris condiderunt. Unde, si praeferenda[i] est omnibus nostrorum auctoritas, noverint, quod veritas doctrinae commendat eos auctores, et non ipsi utique veritatem, quia non disputatio doctoris ingenio subnixa veritate, sed veritas disputatione quaeritur. Veritas quippe per se solida est, disputatio loquentis vero servit, ut per eam veritas obscuritate velata reseretur. Porro reserata veritas et fideliter litteris adprehensa facit eos auctores, quorum nos vestigia sequentes minime dubitamus legentibus utiliter commendari: dum gubernante Deo probaverint nulla nos in his fidei naufragia pertulisse. Quod si aliquis post haec voluerit caecatis[k] oculis huius operis exercitium infamare, cogitet, quorum imbuimur disciplinis quod Sirenarum cantus nos surdis monuerint auribus pertransire[3]. Nam et ipsi suo in tempore talia se linguarum monstra pertulisse docuerunt. Unde videant[l], quibus quae offerimus non fastidientibus si displiceant, propterea nos tacere non debuisse; cum auctores ecclesiarum suorum in responsione luce clarius demonstraverint utile quidem esse plures a pluribus fieri libros diverso quidem stilo, sed non diversa fide, ut ad plurimos una eademque doctrina sancti Spiritus promulgata perveniat, ad alios sic, ad

---

a) apud *add. Sirm.* b) -i *post. add.* c) t *suppl.* d) *manu post. corr. in* placent. e) tantuli *P.* f) austus *P.* g) *corr. ex* preleg. h) prescr. *P, corr. Tr.* i) *corr. ex* preferanda. k) *altera* a *in ras.* l) *coniunge:* videant, si quibus *(Tr.).*

1) *Cf. supra p. 133 n. 6.* 2) *Cf. Hieron. ep. ad Paulin., Opp. I, 269:* De Tantali fonte potantem. 3) *Cf. Hieronym. advers. Iovinian. l. I § 4, Opp. II, 242:* immo quasi Sirenarum cantus et fabulas clausa ore transite; *in Osee l. II, Opp. VI, 53:* mortifera carmina Sirenarum surda aure pertranseas.

ante 831 alios autem sic. Neque enim putandum est nulli nunc temporis gratiam intelligentiae
Dan. 12, 4. largiri, cum pateat illud propheticum: 'Pertransibunt plurimi et multiplex erit scientia'. Sed et philosophis saeculi tale[a] aliquid post priorum studia ratione vigente probatur concessum, quorum doctores quantum iuniores fuere, tantum utique perspicatiores.

Veruntamen, etsi ita loquar, non adeo fastum iactantiae diligo, ut me ad eorum scientiam aut merita attigisse polliceam, sed quod fidem, quam ipsi docuerunt[b], et veritatem adprehendisse ipsorumque doctrina enutritum me esse gaudeo. Unde et ex eorum libris sparsim plura colligens hoc opus devote ad legendum fratribus confeci; saltim ut pueri, quos ab ineunte aetate liberalibus saecularis censura erudierat disciplinis, habeant quasi recentia, quorum incitamentis addiscant sollicitius in campo scripturarum sanctarum currere, atque in his operosius desudare, parvi quoque fomitis nutrimentum, quod ex me potuit adoriri, latius et uberius ampliare, maxime quia et ipse ad hoc provocatus multum me profecisse, non dico in doctrina, verum et in vita, gaudeo, ut, dum aliis exhortationis gratia profunda eloquiorum Dei mysteria pandendo penetro, si quando infirmitatis humanae vitiis propulsor, verbis propriae assertionis praemonitus ipse me reprehendam[c]. Sed et sequaces recentioribus institutis ad praecipua scripturarum opera instantius meditanda incitari non ambigo. At forte, quos disciplina Christi eminentior inlustrat, scientia pollentibus altiori haec superflua videbitur et prolixa explanatio, praesertim cum sanctus Hilarius, praecipuus fidei disputator, et beatus Hieronimus, divinae legis interpres ac magister egregius, non nisi parvis acsi materiarum commentis huius evangelii fluenta voluerint reserare. Quibus interea non ego, sed ipse Hieronimus de se melius loquatur, ob quod quattuor interim libellis inmensam loquendi materiam et paucis adstrinxerit[d] sensibus. Dicit enim ita[1]: 'Miror, Eusebi dilectissime, cur Romam subito[e] navigaturus hanc tibi a me quasi psytartiam[f] dari volueris, ut Matheum breviter exponens verbis stringerem, sensibus dilatarem. Si meminisses, inquit, responsionis meae, numquam in paucis diebus rem annorum peteres'. Ecce, praecipuus virorum quantum huius operis iudicaverit negotium. Sed numquid putas, inquam, quod in duabus imminente[g] iam pascha ebdomadibus potuerit archana omnia istius evangelii rimari et officio scriptoris cuncta diligenti studio explanare? Quippe quod idem multis approbat indiciis fuisse impossibile. Idcirco repromittit se quod reliquum est impleturum, ut sciri queat, sicut ipse ait[2], quantum sit inter subulcam dictandi audaciam et elucubratam scribendi diligentiam. De cetero, velim, perpendant nostri, quantos et quales Grecorum facundia in hoc eodem opere habeat tractatores[h]; et tunc poterint dinoscere, quibus Latina paupertas egeat documentis, quia profecto in manibus nostris vix perpauca priorum venerunt commenta. Licet Fortunatianum et Victurinum in eo opuscula edidisse dicatur[3], quos necdum invenire potuimus.

Idcirco talibus et huiuscemodi causis ad haec appulsus, feci non invitus consensu patris, ut prodessem multis, et seniorum, ut praemisi, suasionibus excitatus, sed et praefati doctoris Hieronimi voto maioris disputationibus ad prolixiora inductus parui petentibus, volens eius officio promissa pietatis implere, ut, sicut ille iam remuneratur votorum obsequiis, ita demum ego suis intercessionibus merear indulgentiarum beni-
Matth. 9, 9. ficio refoveri necnon publicanus cum Domino in hoc convivio beati Mathei saltim ultimus epulari et contra quosque eius meritis defensari: nimirum, qui pro subulca tanti viri dictandi audacia volui elucubratam, quam promiserat, saltim furtivis horis, quia sub hac disciplina aliter non vacat, scribendi persolvere diligentiam. Non quod idoneus sim forte, quod ille incomparabili divinarum litterarum scientia suo sudore

---

a) *corr. ex* tali. b) *corr. ex* docuerint. c) *corr. ex* reprehendem. d) adstruxerit *corr. in* adstruxerint. e) *corr. ex* sibito. f) sitarciam *Hier.* g) imminentem *P.* h) *corr. ex* tractores.

1) *Opp. ed. Vallarsius VII, 5—6.* 2) *Ibid. 8, ubi Vallarsius* subitam *legit.* 3) *Ibid. 7.*

complesset, ut promiserat; sed elegi ex omnibus, unde illius vota sequens opus formarem. ante 831
Nec ideo profecto compilator veterum appellandus, quando, ut Tullius refert[1], ipse rex eloquentiae quendam Eleusynum est imitatus, qui ex omnibus Crotoniensium virginibus quinque delegit pulchriores, quas statuit coram oculis, dum Elenae imaginem illis petentibus mirabile opus pingeret, ut quod uni earum minus esset pulchritudinis[a], ex his decorosius, quicquid singillatim in se pulcrius exprimerent, totum picturae suae coloribus conferret: ita praefatus orator insignis, sicut in suo testatur opere, ex omnibus qui ante se fuerunt filosophis, coram se constituens, delegit unde rethoricae artis formaret mirabile documentum, quod usque hodie laudatur ab omnibus et prodest illius peritiae sectatoribus. Sic itaque et alii quamplures fecerunt filosophi, sic poetae, sic etiam nostrarum litterarum expositores peritissimi; velut hic, quem sequimur, divinae legis interpres et scripturarum sanctarum mirabilis enodator, qui paene de omnibus ante se sua conficit sparsim opuscula; quod etiam in singulis ipse de se confiteri minime erubescit, sibi tutius estimans eorum sequi doctrinam, qui prius catholice in hac Christi eclesia recto tramite divinas tractaverunt scripturas. Tamen ille ut arbiter de singulis, nos ut pedisequa, quae apta erant elegimus, a quo sane negotio paene nullum doctorum[b], si velis reprehendere, invenies immunem, sed omnes praedecessorum catholicorum sequi maluerunt vestigia et suis ampliare[c] semper ingeniis fluenta doctrinae Christi, ut quod in divinis litteris occultatur necessarium, Dei reserante gratia copiosius patesceret ad fructum.

Quos ego secutus elegi egregios[d] Hieronimum, Ambrosium, Agustinum et beatum Gregorium necnon Iohannem Constantinopoleos episcopum eorumque[e] ultimum Bedam presbiterum, quorum adherens vestigiis, ab eorum sensibus credo me in nullo deviasse, licet ex aliis interdum veritate concordi nonnulla interponerem. Quae tamen prius contuli, ne admitterem, nisi quod aut praefati dixerint aut veritas hinc inde consonat documento. Propter quod horum nominum litteras in huius operis margine diligenter apponere curavi, ex his ut possit lector securus incedere vel cuius sequar vestigia e regione mox cognoscere. Praetermissis itaque speciebus, quae saepe a doctoribus exterius, antequam sancti evangelii verba tradantur, regulariter exponuntur, hoc solum commemorari ex eisdem canonibus volui, quos Ammonius Alexandrinus ob concordiam evangelistarum[2], deinde saepe dictus Hieronimus, in singulis locis, ut consonantias singulorum per singulas sententias adprehenderent, curarunt adfigere, quibus modis eorum concordia recte intelligatur. Nam videmus in quamplurimis locis, ubi per eosdem numeros concordare dicuntur, quod nihil pertineat ad sensum alterius, quod alter eodem sensu dicere praesignatur; ut puta cum de paralitico, qui a quattuor portabatur, Matheus et Marcus Lucasque, ut illi praefigunt, consentiant, Iohannes vero ex eo loco illis concordari signatur, quo de homine, qui iam triginta et octo habens annos in infirmitate sua iuxta piscinam, quae semel in anno ab angelo movebatur, iacuisse peribetur. Qui nimirum locus non ad eundem, ubi de paralytico narratur, me tacente pertinere cunctis legentibus liquet. Quod et in quampluribus locis, lector, probare poteris. Sed hoc est, quod idem exinde sensere[f], quia aut eadem simul dixerunt, aut vicina, aut certe singuli quae sua sunt. Eadem vero duobus dicunt modis: cum simul sensu et superficie eadem sentiunt[g], aut cum

Marc. 2, 3. Luc. 5, 18.

Ioh. 5, 4. 5.

---

a) *corr. ex* pulchridinis *P.* b) doctorum — repreh. *in marg. suppl.* c) *corr. ex* amplicare *P.* d) egregius *P, corr. Tr.* e) *in marg. suppl.* f) *corr. ex* senserunt. g) *corr. ex* scribunt.

1) *De invent. II, 1, 1 cf. Poet. Carol. III, 42 n. 1; Praefat. libri VIII (col. 665):* Notum est omnibus etiam, qui saeculares litteras legunt, plus esse sectandam sapientiam maxime divinam, quam eloquentiam humanam, quoniam, sicut ait Cicero, totius saeculi eloquentiae rex et magister: Si quis omissis rectissimis — rationibus utilissimis. 2) *Cf. Hieron. praefat. ad Damas., Opp. X, 661.*

ante 831 sensu tantum aut sola superficie tantum eadem accipiuntur. Sensu quidem et super-
Matth. 13, 57. ficie, ut est illud: 'Non est propheta sine honore, nisi in patria sua'; quae si respexeris, in singulis evangelistis verbis et sensu eadem sunt. Ceterum sensu nec superficie
Luc. 22, 32. quidem eadem, sicut habes illud in Luca, quod Dominus Petro dixerit: 'Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos'. Deinde Iohannes, quod Dominus dixerit
Ioh. 21, 17. Petro: 'Si diligis me, pasce oves meas'. Quae profecto sensu eadem sunt, sicut et
ib. 5, 3. 4. illa de paralytico atque homine qui iacebat expectans aquae motum, sed non superficie sociari videntur. Porro vicina similiter duobus dicuntur modis: cum aut sensu et non superficie iunguntur, aut superficie nec tamen sensu copulantur, sicut est
Luc. 24, 42. illud in Luca, ubi ait: 'At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis. Et
Ioh. 21, 13. cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis'. Ceterum in Iohanne: 'Venit Iesus et accepit panem, et dedit eis, et piscem similiter'. Haec superficie verborum tantum similia sunt, sensu autem dissimilia. Quia nec eadem historia est nec eodem tempore gesta, licet quaedam vicinitas eis sit, nec tamen magna diversitas. Similiter
Matth. 1, 1. sensu et non superficie, ut est illud ex hoc evangelio: 'Liber generationis Iesu Christi'
Matth. 1, 16. usque ad 'virum Mariae, de qua natus est Christus'. Et hoc, quod ait Iohannes: 'Erat
Ioh. 1, 9. lux vera quae inluminat omnem hominem', sive illud: 'In principio erat verbum'. Quia in his quaedam vicinitas sensuum deprehenditur, tamen nec eadem per omnia esse possunt. Dicunt enim, quod quaedam vicinitas simul sensu et superficie colligatur,
Luc. 3, 23–38. ut est haec genealogia in hoc loco et illa in Luca, licet in multis differantur, quia in utrisque una generatio texitur ex eadem familia salvatoris. Haec ideo dixerim, ne tantorum virorum proficuus labor non intellectus deperiret. Immo obsecro his ita praemissis, prudens lector omnia illa sedulus requirat quae ad intellectum sancti evangelii exterius traduntur, ut ad ea, quae intrinsecus sunt, capacior accedat. Explicit prologus[a].

6a.

Cod. Parisinus 12296 s. IX fol. 77—77', quem contulit H. Lebègue.
Edd. ut supra Sirmond col. 193—195; Bibl. patr. Lugdun. XIV, 411; Migne CXX, 181—184.

Incipit praefatio libri tertii.

Solent saecularium litterarum amatores nimium sine pudore suorum se praeceptorum iactitare doctrinis et, eloquentiam eorum sine sapientia docendo cum protulerint, ostentare. In quorum sane doctrinis quidam nostrorum, quia non queunt satis intellegere, varios et diversos requirunt expositores, ut ad eorum luculenta nefandarum rerum mendacia intelligendo valeant pervenire. Etsi eorum polita sit vanitatis eloquentia, quorum se cupiunt inservire doctrinis, tamen frequenter illorum expositorum satis incultus est sermo et rusticitati vicinus. Qui quamvis pleni sint sordibus vitiorum, propter necessitatem quaeque[b] intelligendi non dico paginam, sed neque syllabam praetermittunt, quam non enucleatius discutiant summa cum vigilantia ac labore. Unde miror satis, quid divina eloquia quorundam moribus offenderunt, quod non velint mystica Dei sacramenta ea diligentia perscrutari, qua tragoediarum nenias et poetarum figmenta sudantes cupiunt investigare labore et sic[c] per teatralia mimorum plausus hominum excitare. Quorum inefficacem laboris studium nemo qui ambigat, ubi de re agitur, quae profecto caret fructu[1] et sine praemio invenitur. Qui licet achademicum rethorem per hanc inanem vanitatis eloquentiam usque ad vitalis grammam circuli

a) *Sequitur in P:* Incipit praefatio contra eos qui dicunt genealogiam Christi ad evangelium non pertinere. *Omitto prologum libri II.* b) quoque *P, corr. Tr.* c) si *P.*

1) *Radberti Epitaph. Arsenii l. I p. 20 ed. Dümmler:* Nonne legisti, quod inefficacem petat studium res quae caret effectu? *Cf. Fulgentii Mytholog. L. I (p. 3 ed. Helm), quem laudavit Tr.*

extulerint et dormientem Scipionem caeli civem effecerint, tamen omnia haec anilibus ante 831
ordiuntur fabulis, quam aliqua veritate fulciantur. Quapropter moneo lectorem divinarum scripturarum eloquiis magis operam dare, quod iam supra satis persuasum exegi, et non ob exiguitatem personae[a] veritatem legendo fastidiat[b], sed personam propter veritatem sibi commendatam accipiat eandemque veritatem intelligentiae non propter aliud quam propter se ipsam devotus legat. Nos enim non 'arma virumque' Maronis[1], Greca saporante[c] fabularum salsura[2] tractamus, sed de fonte Spiritus sancti catholicorum[d] patrum sensus rimantes Christo cooperante, quod in divinis litteris intelligimus, nostrorum auribus explanare cupimus. Siquidem neque tragica pietate permulcemus lectorem aut comicorum sagmate onerare cupimus, sed quod in eisdem divinitus redolet, simplici eloquio iuxta capacitatem ingenii reseramus. Unde quorundam nostrorum etsi libeant illa Maronis, quod per arma virtutem velit significare et per virum sapientiam sicque cetera quae secuntur, magis tamen placere debent ista, quae nunc tractare disponimus; ubi virtus inexsuperabilis et sapientia Dei patris, ut militiam christianorum contra aereas potestates instauraret, primum ilico de fonte baptismi ad heremum quasi dux exercitus praeliaturus advenit.

6b.

Cod. Parisinus 12296 s. IX fol. 125, quem contulit H. Lebègue.
Edd. ut supra Sirmond col. 302—303; Bibl. patr. Lugd. XIV, 442—443; Migne CXX, 267—268.

Incipit prologus libri sequentis.

Quotiens navis a portu solvitur, expansis alarum velis iam non[a] in potestate consistit remigantis, inter inmensos aquarum fluctus quas viarum partes legat, sed quocumque vis et aurarum flatus eum adpulerit, una cum spiritu ventorum gnarus gubernatȯr etiam invitus vadit: sic itaque lingua doctoris, postquam a portu silentii se dirempserit, non in sua satis obtinet potestate, quas doctrinarum vias in oratione promotus teneat neque quibus verbis sententias, quas intellegit, stilo oportunius committat. Unde constat, si eum Spiritus sanctus aura intus afflaverit, quod rectas intellegentiarum semitas inreflexo itinere devotus carpat; sin autem destituatur, periculosum est ulterius progredi, ne forte ad devios calles et aspera loca, quibus se nequeat explicare, incautus ruat. Qua de causa semper orandus est spiritus divinus, ut vitam bonam huic negotio adpulsis et sanam doctrinam tribuat, quatinus bona vita docentem sapienter reprehensoribus commendet; doctrina vero sana proterat resistentes et suis auditoribus prudenter ostendat, quod scripturarum veritas, a quovis[b] sit prolata doctore, numquam repudiari debeat; sicut econtra, si eam falsam esse contigerit, licet eximius sit in vita per quem docetur[c], quod numquam suscipi, numquam utique liceat venerari. Sed, quia de vita idonea me non iacto, subdite tamen seniorum nobilium disciplinis nutriendus et ad meliora vitae studia provehendus in militia monasticae religionis persisto. Porro iuxta exiguitatem[d] ingenii non solum sanam me adprehendisse doctrinam gaudeo, verum meorum adhuc praesidio eruditionis iuvari morum gravitate iocundor, id mihi negotii exoptans dari, ut eis saltim proficiam, quibus desudo; eos vero, quibus nostra non placuerint, ut quiescant derogare, priusquam pernoscant, quaeso, ne[e] (quod absit) aliorum profectibus aspernati non ferentes placere sibi, obsit plurimum fortassis

---

6a. a) *post superscr.* b) *corr. ex* fastideat *P.* c) *corr. ex* soporante. d) *corr. ex* catholoricorum.
6b. a) iam non *corr. ex* iam *P.* b) vi *in ras.* c) -t- *in ras.* d) *corr. ex* exigut. *P.* e) *corr. ex* nec.

1) *Aen. I, 1.* 2) *Cf. supra p. 134 n. 1, Fulgentii Virgilianae continentiae (ed. Helm p. 87):* in armis virtutem, in viro sapientiam demonstrantes.

c. 856 quod prodesse poterat. Hac quippe spei gratia subvectus ad ea, quae de cordis munditia mandantur a Domino, retractanda tandem veniam. Quia[a] profecto, sicut ab[b] adulatoribus et vanam[c] gloriam captantibus quae iubentur non recte aguntur animo, sic nisi in[d] semet ipsum redeat is, qui festinat enodare aut docere alios, ut semper perpurgato mentis oculo se suosque sermones ad laudem creatoris sui referat, numquam sine periculo perfunctoriae laudis ad calcem usque perveniet. Idcirco me totum Deo committo, cuius spiramine ad portum salutis et ad finem operis quandoque advectus obsecro inter varios Scillarum laqueos sine offensa veniam, et imploro, quia hic liber permaxime de munditia cordis tractatur, ut ille, qui iubet servari, faciat et emundato cordis osculo ad eandem contemplationis inspectionem pertingere, de qua dictum est:
Matth. 5, 8. 'Beati mundo[e] corde, quoniam ipsi Deum videbunt'. Finit prologus[f].

7.

Paschasius Radbertus Corbeiensis monachus fratribus Centulensibus se abbatis munere deposito opus in evangelium Matthaei quattuor libris peractis interruptum iam continuaturum esse spondet. *c. 856.*

Cod. Parisinus 12297 s. XII fol. 1, quem contulit H. Lebègue.

Edd. ut supra Sirmond col. 385—392, Bibl. patr. Lugd. XIV, 466—468; Migne, Patrol. CXX, 331—338.

Incipit prologus libri Paschasii Ratberti.

SANCTISSIMIS IN CHRISTO FRATRIBUS, QUOS DIVINA SAPIENTIA SATIS HABUNDE SUIS ILLUSTRAT VIRTUTIBUS ET CAELESTIS GRATIA MIRIS EXORNAT MUNERIBUS, SUB SANCTO PROPOSITO MONASTICAE DISCIPLINAE CENTULO DEGENTIBUS, PASCASIUS RATBERTUS[a] MONACHORUM OMNIUM PERIPSIMA ET LEVITARUM ULTIMUS.

Expositum in Matheo, karissimi, quod olim inchoaveram, ut eo in officio fratribus pensum servitutis meae pro voto persolverem, multis demum, suscepto regiminis loco[1], praepeditus sollicitudinum curis et causarum secularium variis implicatus negotiis, tantum a me longe abductus, quantum a studio litterarum remotus, non solum illud inperfectum reliqui quod coeperam, verum etiam praetermisso quietis bono memet ipsum paene plurimis aurarum allisus[b] impulsionibus in naufragium dedi. Sed quia 'Deus nobis', ut ille vates ait[2], sua providentia 'haec otia fecit'[3], fratres, qui a vobis ad nos missi venerunt, crebro me sollerte adgressi sunt ortatu, ut explerem opus quod inchoaveram vestroque consecrarem nomini, ne forte illuderer iuxta illud ex[c] evan-
Luc. 14, 28—30. gelio: quia coepi acsi turrim aedificare nec potuerim consummare. Unde itaque eorum exortatione permotus, acsi divino tactus affatu, decrevi rogatus offerre devotionis obsequio tam caritati vestrae quam et fratrum meorum, qui me et ipsi sui amoris exsenio ad id impulerunt ut facerem. Unde continuo quattuor librorum opuscula in eodem Matheo, quae dudum illis condideram, pro voto statui retexere acsi principium huius operis, si forte super ipsos acsi super fundamentum possem tam vobis pro munere, quam et illis pro censu servitutis, culmen totius structurae erigere, ut quorum una inviolabilis et incontaminata manet caritas, una devotio unumque[d] pro-

---

a) Quae *P.* b) *in marg. suppl.* c) vana *P.* d) nisin *P.* e) *corr. ex* mundi. f) *Cod. 12296 fol. 162 habet hanc subscriptionem, quam edidit Delisle, le cabinet des manuscr. II, 121:* Amice, qui legis retro, digitis tene ne subito litteras deleas, quia ille homo, qui nescit scribere, nullum se putat habere laborem, quia sicut navigantibus dulcis est portus, ita scriptori novissimus versus. Calamus tribus digitis continetur, totum corpus laborat. Deo gratias. Ego in Dei nomine Warembertus scripsi. Deo gratias.

7. a) P. R. *P.* b) allisos *P.* c) *post add.* d) que *superscr.*

1) *scil. abbatiae Corbeiensis.* 2) *Verg. Ecl. I, 6.* 3) *Scripsit igitur hunc commentarium inde a quinto libro, postquam regimen abdicavit.*

positum, fieret haec lectio una soliditas dilectionis unusque funiculus triplex fidei spei c. 856
et caritatis, qui nunquam rumpitur, unaque fabrica perfectionis, quae[a] nusquam violatur. Eccl. 4, 12.
Beatum ergo me existimans fore, si quippiam meis, quod gratum esset, pro censu exsolverem et offerrem vobis licet exiguum pro munere non ignavi ponderis talentum, locupletius quod placeret. Quoniam, ut persensi ex omnibus et in omnibus, gratissima me dilectione in Christo suscipere dignati estis et refovere sinu caritatis Deoque committere precibus, maxime eo in tempore iuxta illud antiquum proverbium[1], quando amicus et medicus in necessitate probantur. Hinc est, carissimi, quod tanto studio causa visitationis ad vos quam saepe venire decrevi, desiderans vos videre et corrigere in me quod diu neglegentius omiseram; qui me dilectionis affectu contra omnia adversantia consolati estis in orationibus vestris, ita ut inpraesentiarum nihil mihi deesse putarem, cum tanta beneficia perfectae caritatis vestra circa me flagrarent, quoniam debitores facti estis omnibus, qui nihil aliud ulli debetis, quia radicem cordis in caelo posuistis, nisi caritatem, quam semper debendo exsolvistis et exsolvendo magis magisque debitores facti estis. Sed quia liberalitas vestra multum exuberat in dando, credo, quod et in accipiendo liberalius sancta benivolentia vestra magis gaudebit pro munere verbi, quam pro ullius censu dati. Hinc gratum fore putavi, quicquid devotus obtulero, quibus profecto debeo quicquid possum et quod sum. Veruntamen non adeo ignarus, ut nesciam, quod nequeo digne quatuor evangelistarum[b] quadrigam sensu penetrare exiguo neque ad liquidum unum eorum intelligere. Non dicam ego tantillus, verum etiam nescio, et si ullus eorum, qui magnos sese faciunt virtutibus. Quoniam haec quadriga currus Dei est multiplex, in qua Christus caelestis auriga peragrat quadratum orbem modo universum, nunc in tempore volans per omnia, nunc extra tempus super omnia et ultra caelorum excelsa, semper cum patre idem in una aeternitate Deus manens; nunc infra tempus Deus homo perlustrat universa, modo a summo caelorum egrediens excurrit usque ad inferos, modo ab inferis regreditur usque ad superos. Et ideo haec animalia, quae hanc quadrigam[2] per orbem Ezech. 1, 5.
trahere videntur, ubique volantia, etiam terga pennata habere dicuntur; quorum cor- ib. v. 18; 10, 12.
pora plena sunt oculis ante ac retro, deinde intus et foris, ex quibus emicant scintillae ib. 1, 7.
acsi aeris candentis et discurrunt fulgura. Habent itaque singuli pedes rectos et semper in sublime tendentes. Unde non inmerito et ipsi cherubin vocantur, eo quod habeant in se multitudinem scientiae[3] Dei. Quam bene igitur dictum est per Hiezechielem, quia non revertebantur cum incederent, sed unumquodque eorum ante ib. 1, 9, cf. 10, 11.
faciem suam gradiebatur, quia ad aeterna tendunt. Quae nimirum animalia multis in locis praefigurata et, quod mirum est, ante sunt in caelis huic prophetae in spiritu Dei ostensa, quam essent in terris nata. Idcirco non potest non esse ineffabile neque inconprehensibile quod sentiunt. Et tamen ex eorum dictis est et verbis, quicquid est, quod recte sapimus vel intelligimus, quia eorum verba verba sunt Dei. In quibus profecto verbis non humana sapientia, sed spiritus et vita lucet. Et ideo ipsa verba iure verba vitae dicuntur, quia non in his flos eloquentiae redolet saecularis, sed fructus vitae. Quapropter, etsi ad plenum nemo de talibus loqui potest, non ideo tamen ex toto homo quilibet silere debet, licet inelimato loquendi genere, ne loquatur ea divinitus inspiratus quae sentit. Quia intelligentia evangelii non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis constat, sed in sapientia Christi, quam Paulus, etsi im- 2. Cor. 11, 6.
peritus sermone, ut ipse ait, non tamen scientia, inter perfectos loqui se gaudet. Interea, etsi senis[c] oratio[4] per se compta esse debeat ac decora sensibus, debet tamen

---

a) qua *P.* b) ęuuangel. *P.* c) senilis *P.*

1) *Quod alias non inveni.* 2) *Cf. Hieronymi epist. 53 § 8 ad Paulin., Opp. I, 278.* 3) *Cf. Isid. Etymol. VII, 5, 22.* 4) *Cic. Cato maior c. 9, 28.*

c. 856 esse et mitis, maxime in talibus. Cuius profecto sermo etsi decorus sit, quod non requiro, ut quidam ait[1], quietus esse debet ac remissus. Quod si in saecularibus studiis talis debet esse eloquentia, quae sucum habeat modestiae, quanto magis ego inter haec flammantia virtutum documenta proferre non debui, etsi possem, nitorem saecularis facundiae, quae secum splendorem ferat verborum, sed puritatem sensus quaerere et intellegentiam veritatis? Quoniam haec sapientia Christi in misterio abscondita est in ipso, in quo sunt omnes thesauri sapientiae atque scientiae Dei reconditi. Et ideo ab ipso impetrandum est, ut oratio nostra emolumentum magis habeat perfectae intellegentiae quam incitamentum vanitatis[a]. . . . .

Sed, utrum nostra praefatio salva auctoritate priorum patrum debitam rationis consequentiam servet, tam vestro quam fratrum meorum examini, quibus laborare videor, derelinquo. Quia tam in hac sententia quam et in omni opere isto, si vestro vestrorumque iudicio approbatus vestraque defensus sententia fuero, nullius temeritatis supercilium pertimesco neque reprehensionem indebitam formidabo, qui talium tantorumque auctoritate fulciri me cognosceret firmari, quorum doctrina in omni scientia Dei longe lateque praedicatur et sapientia pollet, non dico in verbo tantum, verum etiam in omni opere bono atque disciplina virtutum. Qui quicquid in doctrina didicistis locupletius[b] factis exhibetis, ita ut Christus ubique glorificetur in vobis. Hinc me non inmerito felicem censeo, si aliquid dignum vobis in hoc opere senex edidero, saltem quod prodesse queat iuvenibus ad emolumentum doctrinae et ad studium pietatis. Quoniam, sicut quidam[2] ait, ut adolescentibus bona indole praeditis sapientes senes[c] delectantur leviorque fit senectus eorum, qui a iuventute coluntur et diliguntur, sic et adolescentes boni senum praecepta[d] gaudent, quibus ad virtutum studia ducantur. Quapropter, karissimi, senectus mea non modo languida circa vos et circa fratres meos esse debuit, quos exortari debui, cum praeessem, neque iners, verum nec ociosa[e] in ipso ocio, sed operosa et semper agens aliquid et moliens tale, quo et vita formetur praesentium et exemplum praebeatur futurorum, ne sacramentum salis, olim in ore puerulus quod accepi, evacuetur in senectute vel in senio. Fac ergo, quod nec tanta praeditus sim sanctitate nec tanta eruditus disciplina litterarum, ut sit senectus mea in misericordia uberi, nec tanta inlustratus virtutum claritate, quo dignus videar talibus et de talibus scribere, vestri tamen est meriti et gratiae oboediendo inmeritus quod praesumo. Quod si me quisquam adeo ultra praefocare voluerit, id ne audeam ineloquens acsi omnium
cf. Matth. 8, 2. viciorum alluvione respersus, conspiciat leprosum primum in hoc opere occurrentem, in quo et cum quo me sanandum confido. Intueatur omnium morborum genera et solius Domini voluntatem mecum salutis causam imploret. Audiat ergo Dominum
Marc. 7, 34. imperantem, si mutum me credit, in evangelio 'effeta, quod est adaperire'. Et, quia de saliva oris eius olim infans gustavi, verum loqui iam senex rogatus a vobis non erubesco. Prorsus quia digitos eius meis in auribus intus sentio, idcirco quae audio michimet et meis tacere non debeo. Unde, etsi ipse benignissimus Iesus mihi praeciperet, ne loquerer, satis me illi invitarent, ne tacerem, qui, quanto magis eis praeib. 37. cipiebat, tanto plus praedicabant et eo amplius admirabantur dicentes: 'Bene omnia fecit, quia surdos fecit audire et mutos loqui'. Hinc, quaeso, nemo mihi molestus sit, nemo me reprehendat, si loquar, ne forte videatur Christi operibus ingratus, qui bono suo et
cf. Act. 2, 11. surdis praestat audire sacramenta vitae et mutis loqui, quo possint narrare magnalia Dei.

De cetero precor lectorem meum, ne processus sermonis vix sufficiens sensibus scripturarum fastidiosa censeatur prolixitas, quando non oratio nostra verbis, sed

---

a) *omitto quae secuntur.* b) lopletius cu *post superscr.* c) senex *P.* d) praeceptis *Cic.* e) *corr. ex* otiosa.

1) *Cic. Cato maior c. 9, 28.* 2) *Ibid. c. 8, 26.*

sensibus dilatatur. Licet enim plerisque legentium plus placeat sterilis brevitas inter- c. 856
dum, quam utilis explanationum prolixitas, tamen locupletior sensus iure studiosis plus praestat, quam commentum brevitatis. Ubi nos nec tropologias secuti sumus evangelii in explanatione nec misticas sententiarum intelligentias, sed solummodo simplicem sensum dictionum in brevi, prout oportuit, explicavimus. Idcirco habeant fastidiosi regulas veritatis ex commento, quas in evangelio prius dictavit auctoritas priorum patrum et efficatia mentis, ne prolixiora fastidiant. Studiosiores vero, quaeso, dignentur nostra legere, quibus satisfacere volui requirentibus[a] ampliora. Quod si nec ista nec illa placuerint quibuslibet ignavia pressis, legant quae sibi dormitu somniique silentio fingunt aut, si secus delectantur, siliquas porcorum saecularium litterarum adhuc cf. Luc. 15, 16.
pueri vel cortices rodant. Nobis tamen, quae divinus spiritus instituit, praetermittendum non fuit, ne loqueremur vobis amantibus, quicquid ex doctoribus sanctis confectum prodesse credidi et diligentioribus placere non dubitavi[b].

---

7 a.

Cod. Parisinus 12298 saec. XII fol. 1, quem contulit H. Lebègue.

Edd. Sirmond l. l. col. 779—781; Bibl. patr. Lugd. 579; Migne l. l. 643—644.

Numquam[c] [1] digne satis laudari philosophia potest, fratres karissimi, cui qui paret omne tempus aetatis suae, poterit sine molestia quodammodo conversari, quia quos nutrierit a puero, etiam in senectute non deserit. Hinc est, quod me, licet ego deseruerim eam, non passa est in hac aetate longius a se amplius peregrinari. Sed mox ut redii ad eam, multum diuque male vexatus saecularium rerum curis, recognovi veram non esse viam prioris vitae et lactare me cepit quasi puerum suisque recreare uberibus. Merito igitur, quia puerorum et senum paene una est conditio et coaequalis eorum mors michi videtur. Et ideo eorum semper utrorumque lacte scripturarum divinarum nutriendus est animus: puer siquidem ut crescat, senex vero, ne deficiat, immo uterque eorum ut proficiat in melius et vivat divinis lactatus uberibus. Quia, sicut eorum unus est introitus ad vitam, ita et unus exitus post deffectionem. Iccirco utrisque elaborandum, ut sciant singuli omnia, quae divinae paginae noscuntur pertinere. Quod si quisquam obicere voluerit seni, quod non in suo tempore laboravit, discat, quia prius eum decet audire, ut doceat. Audiat etiam, quia melius est unquam quam nunquam laborare in verbo. Propterea nullum debet esse tempus senectutis ociosum, quod non prosit. Maxime, quia in aliis meminimus proficere studia scripturarum, divina verbi semina saltem iuvenibus spargo. Erit forte incitamentum eorum affectus, quia pius labor omnia vincit[2]. Iccirco ad sponsionem primae promissionis, etsi exhausti maties ingenii iam arescit[3], promptus revertor, quia karissimis fratribus loquor. Non enim inter tam efficaces, clarissimos ac sapientissimos aliquid vel de minimo loqui auderem, nisi me caritas eorum coegisset. Saepe namque puerorum meritis doctori copia dicendi tribuitur et ideo nulla esse debet diffidentia in tractatu, dum plena dilectio exuberat in affectu, maxime michi, quia filiis debitas una vobiscum impensas intelligendi paro. Nam sicut legistis in saecularibus litteris: Omnia fert aetas[4]. Hinc quoque ita tenus michimet ac filio carissimo[5] contigit hoc proverbium inaestimabiliter, ut ita dicam, dum alterna proportio vitae divino dispensante iudicio, satis oportuno in tempore, congrua utrisque quo-

---

[a]) *ras. inter* i *et* r. [b]) Explicit prologus *add. P.* [c]) *Lemma:* Incipit prefatio sancti Ratberti Paschasii Corbeiensis abbatis in libro nono expositionis super Matheum evangelistam. *Prologos librorum VI. VII. VIII omisi.*

1) *Cic. Cato maior c. 1, 2.* 2) *Georg. I, 145—146:* Labor omnia vicit | Improbus. 3) *Cf. Ennodii dict. I, 1 (ed. Vogel, Auct. ant. VII, 1):* exhausti macies ariscat ingenii *(Tr.).* 4) *Verg. Ecl. IX, 51.* 5) *Warino scil. tunc abbati, qui a. 856. die 20. Sept. mens. obiit (Tr.).*

c. 856 libet pacto intulit stipendia actionum. Michi quidem post innumeros actus saeculi et molestos vitae labores, post sollicitudines tanti regiminis et longa vitae praesentis dispendia optabile satis tandem prudenti viro concessit ocium, adeo ut nichil illi profecerint, qui moliebantur aliud; et filio tunc michi karissimo vix expleto tyrocinio, valde negotiosissimum imposuit iugum, quia vigebat animo et corpore, ut opto etiam et merito sanctitatis. Cui quia divina virtus ampliavit gratiae fastigium, discrimen coauxit regiminis magnum et praegravavit rerum curis, occupavit officiis et extulit honoribus. Nichil tamen omnipotens concessit proficere illis, qui nostris bene semper utitur malis ad effectum, sed nobis largitus est suae gratiae admodum munus praelationis in filio. Cui, dilectissimi, etsi vobis scribo pro munere dilectionis et fratribus quoque meis censum servitutis persolvo, non inmerito impensas paro verbi, quibus non minus meo officio quam suo reddat ipse per se omnibus debitum servitutis et obsequium praedicationis in verbo, in doctrina, in omni religionis gratia. Unde et ipse, cum oportuerit, forte aliud operis conficere possit. Ita tamen, si hoc paternum, licet exiguum, quia non ignavi ponderis est, donum non negligat, sibi etiam cum om-
cf. Eccli. 3, 13. nibus oblatum. Quin immo, etsi vilescat, amplectatur carius, quia nobilitas filii ex honore et reverentia descendit patris. Nam omne patrimonium praeparatum, quod a patre percipitur, preciosius esse solet cunctis opibus, quas aliunde sibi contraxerit. Iccirco, quaeso, propriolum paterni iuris in verbo sic[a] amplectatur, ut divina quae revolvo fructum vitae illis intus afferant in animo, verum etiam eos ad ea extollant, quae divina sunt et archana secretorum Dei. Rogo autem, ut et vobis placeant, quia tunc Deo accepta erunt, qui in vobis inhabitat, cum vobis grata fuerint, pro voto eatenus dilectissimis quae offero. Quoniam etsi fratres debitores facti sunt, ut audiant et pecuniam verbi non ad dispendium vitae, sed ad lucrum sibi impensum pertractent, nichilominus et vos oportet considerare in caritate talentum quod exsolvo, quia, etsi
2. Cor. 12, 14. parentes debent thesaurizare filiis iuxta apostolum et non filii parentibus, decet tamen filios quod thesaurizatum est sollicitius custodire atque diligenter excolere, ne in vacuum dispereat census laboris, quia non nisi ab ipso Domino, cuius est pecunia, cum usura exigitur meritorum et cum lucro boni operis. ....

7b.

Cod. Parisinus 12298 s. XII fol. 76', quem contulit H. Lebègue. *856.*

Edd. ut supra Sirmond col. 973—974; Bibl. patr. Lugd. XIV, 634; Migne CXX, 793—796.

Inter[a] alta[b] silentia cordis[1] et negotiosissima monasticae disciplinae ocia, nos qui divinis adstringimur votis, ne sine fructu aeternae contemplationis ociosi inveniamur, optabile satis esse nobis debet illud Catonis exemplum, maxime michi seni, si forte unquam vere adpossim dicere, quod ipse iam senex de eo scripsit[2], qui Africanus primus

---

7a. a) sit *P.*

7b. a) *In P haec antecedunt:* Finit liber decimus Paschasii Ratberti monachorum omnium peripsema sanctissimis in Christo fratribus Centulo feliciter degentibus satis admodum devotissime consecratus. Incipit prologus libri undecimi. b) alia *P.*

1) *Cf. Exposit. in psalm. XLIV l. I (col. 1225):* inter alta cordis silentia, inter amoenos scripturarum sanctarum recessus. *Radbertum hunc commentarii librum a. 856. scripsisse Traube probavit, cf. Poet. Carol. III, 39—40 n. 8.* 2) *Cic. de Off. l. III c. 1. Eundem locum laudat Radbertus in Expos. in psalm. XLIV l. I (Opp. col. 1226):* Si forte mihi dicere adpossem illud Catonis, quod ait de Scipione ... solitum dicere, numquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus, nec minus solum, quam cum solus esset. Magnifica quidem vox .. quae declarat illum in otio de negotiis vitae cogitare et in solitudine secum loqui solitum neque cessasse umquam, interdum et colloquio alterius non eguisse.

appellatus est; et ait, quod solitus esset dicere, numquam se minus ociosum esse quam cum 856
ociosus, nec minus solum quam cum solus esset. Quae nimirum vox magnifica[a] est, fratres mei, et viro magno ac sapienti digna, sed nulli magis quam nobis monachis decens et pernecessaria. Quae declarat talem tantumque virum et in ocio de negotiis bonae vitae cogitasse et in solitudine secum loqui utilia solitum fuisse neque cessasse unquam de bonis necessariisque rebus cogitare. Quanto magis nos, karissimi, oportet nunquam cessare in ocio, ne divina cogitemus, qui caelestibus mancipamur disciplinis, nunquam nos solos esse in solitudine, qui semper et ubicumque coram Deo versamur, in quo vivimus, Act. 17, 28.
movemur et sumus, coramque omni frequentia supernorum civium, ne forte derideant hostes nostri sabbatha nostra, si aliqua hora non solum inutiles simus nobis, verum etiam (quod saepe contigisse dolendum est) perniciosi inveniamur et aliis.

Iccirco inter confinia ultimae vitae, ut saepe dictum est, decrevi ortantibus vobis, et inter recessus interdum, solitudines silentii nostri, pertractare opus, quod omiseram, vobisque illud consecrare devotus. Unde rogo, diligentissime consideret unusquisque, ut iam supra monui[1], quomodo singuli evangelistarum[b] suum temperant ordinem, ut omnes unum dicant et unusquisque eorum aliquid proprium habeat, licet alius excellentius in aliquo loquatur, alius vero submissius, omnes tamen et propria dicunt et cum aliis communia, quae omnia quomodo variant vel quomodo sibi vicissim communicant, ut dicat unus cum altero, vel cum duobus, seu cum tribus, pium est opus considerare et investigare singulorum proprietates, in quo non modicus est fructus laboris. Quia in his nichil invenies vacuum a mysterio, nichil superfluum nichilque praetermissum de doctrina Christi, quod spiritus sanctus iudicavit nobis necessarium scire, sed omnia ita sunt contexta et ita figuris decorata gestorum atque dictorum, ut et una vestis Ioh. 19, 23.
inconsutilis desuper contexta per totum videatur et mira pulcritudo operum in singulis ac multiplex variata[c] sententiarum floribus cernatur. In quibus non historia tantum texitur, more eorum solummodo, qui res gestas narrare probantur, sed divina rerum mysteria suis in locis ordinantur acsi gemmarum interpositiones, ubi vel ubi spiritus sanctus eandem vestem Christi exhornare decrevit. Quae ideo sunt ad plenum perscrutanda, ut et sensus singulorum suis intelligatur in locis et unitas totius intelligentiae per spiritum sanctum hinc inde acsi ab uno fonte diffusa non corrumpatur[d].

8.

Ratramnus Corbeiensis monachus Karoli (Calvi) Francorum regis prudentiam et religionis amorem laudibus effert eique librum de praedestinatione Dei conditum mittit.

850.

Codd. Gandensis 909 (quondam liber sancti Petri Lobiensis ecclesiae)[2] saec. X in. fol. 56—57 (L); Heidelbergensis (quondam beatae Mariae in Salem) s. XI—XII f. 27—27'. 41'—42 (S), de quo cf. N. Arch. XXVII, 325.

Edd. Mauguin, Vindiciae praedestin. I (Paris. 1650) 29—30 ex codicis Lobiensis apographo a. 1648. confecto; Bibl. max. patr. Lugdun. XV, 443; Migne, Patr. CXXI, 13—14.

---

a) *littera ante* est *erasa.* b) euuangel. *P.* c) *ex* varieta *corr.* d) *Sequitur in P:* Finit prologus libri undecimi. Incipit liber undecimus Paschasii R[atberti] monacorum omnium peripsema sanctissimis in Christo fratribus Centulo feliciter degentibus satis admodum devotissime consecratus. *Omitto prologum libri XII.*

1) *Cf. supra p. 141—142.* 2) *Cf. catalogum biblioth. Lobiensis a. 1049. confectum (Revue des biblioth. I, 11 n. 116); Mabillon, Annal. ord. S. Bened. III, 68; Anal. vet. p. 14. Floss ap. Migne, Patrol. CXXII p. XXI.*

850 [a]DOMINO GLORIOSO ATQUE[b] PRAECELLENTISSIMO PRINCIPI KAROLO RATRAMNUS[c][1].

Cum virtus et sapientia regiam maiestatem illustrent: virtus videlicet, qua adversarios expugnet, sapientia, qua reipublicae corpus omne disponat, magnificentiam[d] vestram haec duo clarius attollunt, quod caelestis sapientiae secreta perquiritis et religionis amore flagratis. Haec enim vos prioribus comparant principibus, qui virtutum potentia hostium colla subegerunt, et sapientiae fulgore et religionis honore amici Dei facti sunt: David dicimus et Salomonem[e], Ezechiam et Iosiam, quibus sicut fuit studium circa divinae sapientiae mysteria detineri, ita eorum fama et immortalis[f] existit et stipendiis aeternae beatitudinis ornata refulget. Quorum imitatores effecti et admirabili[g] prudentia reipublicae vestrae statum disponitis et potenti virtute hostium vires subigitis et ineffabili religionis amore caelestium sapientiam secretorum disquiritis et, quemadmodum[h] catholicae fidei status inviolabilis perseveret, omni vigilantia elaboratis.

Hoc autem studium et haec virtutum insignia non tamquam peregrina et laborum studiis comparata vobis adsunt[i], sed veluti naturalia: siquidem gloriosae memoriae augusti[k] pater et avus et virtutum armis et sapientiae decore et religionis sublimitate adeo effulserunt, ut virtutum magnificentia et priores ante se reges incomparabiles sibi monstrarent et posteris imitationis exempla relinquerent; a quibus ut originem sanguinis ducitis, ita utriusque parentis et virtutem et religionem possidetis. Sed, si altius volumus nobilitatis vestrae progeniem speculari, videmus originis vestrae stemmata[l] saecularis potentiae gloriam semper religionis honore decorasse. Unde constat vos[m] non solum regali dignitate insignitatem habere, sed et sanctae stirpis propagine religionis studium possidere.

Cuius quoque religionis amore humilitati nostrae[n] maiestas vestra iniungere dignata est, ut[o] de nuper exorta quaestione, sed olim iam a sanctis patribus determinata, collecta ex sanctorum libris capitula vobis dirigerem, quibus, qualiter de ea sentirem, manifestius vobis eluceret. Cum enim universa caute disquiritis et diligenter disponitis, tum quoque in hac quaestione, cuius profunditas multos caligare facit, studiose valde et modeste inceditis, ut, sanctorum sententias ex ea cognoscentes, quid postea prudentiam vestram agere oporteat, deliberetis. Ego autem, cupiens parere[p] magnitudinis vestrae imperio, colligere studui[q] ex catholicorum doctorum sententiis, quae pro brevitate sui occupationibus vestris non fiant onerosa et pro sententiarum plenitudine rei veritatem non abscondant. Et, quia huius quaestionis, id est de praedestinatione, profundum valde mysterium est, statui prius de divina dispositione sanctorum patrum proferens testimonia dicere, deinde ad praedestinationis narrationem venire, ut, cum probatum fuerit universa quae geruntur in mundo divinae dispensationis secretis moderari, facilior intelligentiae via pateat ad praedestinationis manifestationem.

In[r] quo opere sicut magnitudinis vestrae iussionem exsequi cupimus, ita clementiam exoramus, ut eorum, quae dixerimus, et probator sitis et iudex: et, si quid bene dictum fuerit, vestra sententia confirmetur; si quid vero aliter vobis visum fuerit, per vos redarguatur nobisque correctionis vestrae sententia propter pietatis vestrae clemen-

---

8. [a]) *Lemma:* Incipit liber Ratramni de predestinatione Dei *L*, Incipit secundus de predestinatione ad eundem *S.* [b]) Domino — atque *litt. uncial. scripta sunt in L.* [c]) Ratrammus *S.* [d]) magnificentia *S.* [e]) Salem. *S.* [f]) inm. *S.* [g]) ammir. *S.* [h]) quemammodum *S.* [i]) assunt *S.* [k]) ag. u *alt. man. superscr. L.* [l]) stemata *S.* [m]) vos const. *S.* [n]) vestrę *S.* [o]) cum *S.* [p]) par. cup. *S.* [q]) statui *man. coaeva corr. in* studui *L.* [r]) I n *superscr. L.*

1) *V. Hincmar. de praedestin. c. 5 (Opp. ed. Sirmond I, 26):* Ratramnus nihilominus monasterii Corbeiae monachus libellos duos, quos nobis examinandos dedistis, ea intentione elaboratos porrexit, ut ostendat, quatinus, sicut electi a Deo praedestinantur ad vitam, ita et reprobi a Deo praedestinantur ad mortem, *cf. de tempore Schrörs, Hinkmar v. Reims p. 111 n. 14.*

tiam non abscondatur neque ad multorum conspectum veniat, nisi sapientia vestra comprobaverit[a] recte dicta esse quae protulerimus. Et, quod haec postulare praesumimus, non temerariae praesumptioni deputet magnitudo vestra, sed humilitati et verecundiae, quae non solum pro erratis timent publice discuti, verum etiam in bene dictis verentur publicari.

9.

Ratramnus Corbeiensis monachus Karolo (Calvo) Francorum regi alterum de praedestinatione Dei librum offert. *850.*

Codd. ut supra.

Edd. ut supra Mauguin I, 61—62; Biblioth. patr. Lugdun. XV, 453; Migne, Patrol. CXXI, 41—42.

Superiore libello, rex gloriose, qua[a] valui brevitate sanctorum dicta decerpens, aperui pro qualitate ingenii nostri, quod omnia divinis agantur dispensationibus; et licet iniquorum pravae sint voluntates et actiones perversae[b], nequaquam tamen effugere possunt divinorum dispensationem iudiciorum. Sed, unde Deo adversantur, inde illius voluntati serviunt. Hinc quoque manifestum, quantum credimus, elicui[c], quia non solum quae sunt, sed et quae futura sunt dispensat[d] celestis sapientia et unumquodque[e] ad suum finem perducit, non solumque bonos, verum etiam malos, secundum quod ante saecula aeternaliter[f] disposuit, moderatur et agit. Et, sicut non est nova cogitatio apud Deum, ita nec novum consilium, et, quid de singulis agatur, in aeterna sapientia illius dispositum est et immutabiliter[g] determinatum. Ostendimus etiam praedestinationem sanctorum divina gratia regi nec electorum numerum aut minui posse aut vacillari, sed, sicut ante saecula electi sunt, ita eorum electio inconvulsa manebit. Quae omnia non nostris verbis, sed sanctorum dictis monstravimus.

Superest nunc, ut de praedestinatione iniquorum, iuxta quod magnificentia vestra dignata est nobis iniungere, sanctorum dicta colligamus[h], ubi etiam de sanctorum praedestinatione pariter loquemur. Quae cum fuerint a nobis explicita, breviter aperire conabimur, quemadmodum[i], cum Deus malos praedestinatos habeat ad poenam, non tamen auctor sit malorum nec sit voluntas eius perditio[k] impiorum, 'qui omnes ho- 1. Tim. 2, 4.
mines vult salvare et ad agnitionem veritatis venire'.

Obsecramus autem celsitudinem maiestatis vestrae, ut, si quid in litteris nostris quod vobis displicuerit inveneritis, misericorditer corrigatis nobisque corrigenda significare non dedignemini: vel, si quis reprehensor extiterit[l] earum, detur nobis defensionis locus, ut vel adquiescamus iuste reprehendenti vel confirmemus quae vera fuerint dicta vestramque pietatem circa humilitatem nostram semper mereamur habere propitiam[m].

10.

Ratramnus monachus Corbeiensis Karolo (Calvi) regi librum iussu eius de corpore et sanguine Domini confectum offert. *842—853.*

Codd. Gandensis 909 saec. X in. fol. 16—17. 53—55; Heidelbergensis 9. 20 s. XI—XII f. 17'. 26'—27. Extat etiam in codice Autissiodorensi 25 saec. X fol. 32, ex Pontigny oriundo, v. Catal. des manuscr. des départ. VI, 16.

Edd. Bertrami presbyt. de corp. et sang. Domini lib. ad Carol. M., Coloniae Ioh. Praël, 1532; Catalog. test. veritat. a. 1608 col. 1057—1058; 1074—1075; Migne, Patr. CXXI, 125—170.

---

a) com- *superscr. L,* conpr. *S.*

9. a) Superiore — qua *litter. uncialib. scripta sunt L.* b) et — perversae *in marg. suppleta L.* c) elicuit *L, S, corr. Tr.* d) dispensa *S.* e) -quem- *manu coaeva superscr.* -od- *L.* f) -liter *superscr. L.* g) inmut. *S.* h) exempla colligere *manu coaeva superscr.* dicta -gamus *L,* dicta *S.* i) quemammodum *S.* k) perdicio *S,* l) exstit. *S.* m) propic. *S.*

842—853 [a]Iussistis[b], gloriose princeps, ut, quid de sanguinis et corporis Christi mysterio sentiam, vestrae magnificentiae significem: imperium quam magnifico vestro principatu dignum, tam nostrae parvitatis viribus constat difficillimum. Quid enim dignius regali providentia quam de illius sacris mysteriis[c] catholice[d] sapere, qui sibi regale solium dignatus est contribuere? Et subiectos pati non posse diversa sentire de corpore Christi, in quo constat christianae redemptionis summam[e] consistere? Dum enim quidam fidelium corporis sanguinisque Christi, quod in ecclesia cotidie[f] celebratur, dicant, quod nulla sub figura, nulla sub obvelatione fiat, sed ipsius veritatis nuda manifestatione peragatur[1], quidam vero testentur, quod haec sub mysterii[c] figura contineantur et aliud sit, quod corporeis sensibus appareat, aliud autem, quod fides aspiciat, non
1. Cor. 1, 10. parva diversitas inter eos esse dinoscitur. Et, cum apostolus fidelibus scribat, ut idem sapiant et idem dicant omnes et scisma nullum inter eos appareat, non parvo scismate dividuntur, qui de mysterio corporis sanguinisque Christi non eadem sentientes elocuntur.

Quapropter regalis vestra[g] sublimitas, zelo fidei provocata, non aequanimiter ista
ib. 1, 10. perpendens et secundum apostoli praeceptum cupiens, ut idem sentiant et idem dicant omnes, veritatis diligenter inquirit[h] secretum, ut ad eum deviantes revocare possit. Unde non contempnitis etiam ab humillimis huius rei veritatem perquirere, scientes,
cf. Rom. 2, 11. quod tanti secreti mysterium non nisi divinitate revelante possit agnosci, quae sine personarum acceptione per quoscumque delegerit suae veritatis lumen ostendit. Nostrae vero tenuitati[i] quam fit[k] iocundum vestro parere[l] imperio, tam est arduum super re humanis sensibus remotissima et[m] nisi per sancti spiritus eruditionem[n] non posse penetrare, disputare. Subditus igitur vestrae magnitudinis iussioni, confisus autem ipsius, de quo locuturi sumus, suffragio, quibus potuero verbis, quid ex hoc[o] sentiam, aperire temptabo, non proprio fretus ingenio, sed sanctorum vestigia patrum prosequendo.

Animadvertat[2], clarissime princeps, sapientia vestra, quod positis sanctarum scripturarum testimoniis et sanctorum[p] patrum dictis evidentissime monstratum est, quod panis, qui corpus Christi, et calix, qui sanguis Christi appellatur, figura sit, quia mysterium[q]; et quod non parva differentia sit[r] inter corpus, quod per mysterium[q] existit, et corpus, quod passum[s] est et sepultum et resurrexit. Quoniam hoc proprium salvatoris corpus existit nec in eo vel aliqua figura vel aliqua significatio, sed ipsa rei manifestatio cognoscitur et ipsius visionem credentes desiderant, quoniam ipsum est caput nostrum et ipso viso satiabitur[t] desiderium nostrum, quoniam ipse et pater
cf. Col. 2, 9. unum sunt, non secundum quod corpus habet salvator, sed secundum plenitudinem divinitatis, quae habitat in homine Christo. At in isto, quod per mysterium[q] geritur figura est non solum proprii corporis Christi, verum etiam credentis in Christum populi[u]: utriusque namque corporis, id est et Christi, quod passum est et resurrexit, et populi in Christo[v] per baptismum renati atque de mortuis vivificati, figuram gestat. Addamus etiam, quod iste panis et calix, qui corpus et sanguis Christi nominatur et existit, memoriam repraesentat dominicae passionis sive mortis, quemadmodum ipse in

---

10. a) *Lemma:* Incipit liber Ratramni de corpore et sanguine Domini *L;* Incipit liber Ratramni de perceptione corporis et sanguinis Domini ad Karulum Magnum *S.* b) Iubes *S.* c) mist. *L.* d) catholicę *S.* e) summa *S.* f) ęcclesia cottidie *S.* g) vitę *S.* h) requirit *S.* i) tenuitate *S.* k) sit *S.* l) parare *S.* m) quam sciamus *suppl. Tr.* n) eruditionem *S.* o) *om. S.* p) sancto *superscr.* -rum *L.* q) mist. *ut saepius S.* r) *om. S.* s) *corr. ex* passus *L.* t) saciab. *L.* u) populum Christum *S.* v) per bapt. in Christo *S.*

1) *Paschasii Radberti librum de corp. et sang. Domini dicit.* 2) *Hic incipit epilogus operis.*

evangelio dixit: 'Hoc facite in meam commemorationem'. Quod exponens apostolus Paulus ait: 'Quotienscumque[a] manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini[b] annuntiabitis, donec veniat'. Docemur a salvatore necnon a sancto Paulo apostolo, quod iste panis et iste sanguis, qui super altare ponitur, in figuram sive memoriam dominicae mortis ponatur, ut quod gestum est[c] in praeterito praesenti revocet memoriae; ut illius passionis memores effecti per eam efficiamur divini muneris consortes, per quam sumus a morte liberati, cognoscentes, quod, ubi pervenerimus ad visionem Christi, talibus non opus habebimus[d] instrumentis, quibus admoneamur[e], quid[f] pro nobis immensa[g] benignitas sustinuerit, quoniam ipsum facie ad faciem contemplantes non per exteriorem temporalium rerum admonitionem commovebimur[h], sed per ipsius contemplationem veritatis aspiciemus, quemadmodum nostrae salutis auctori gratias agere debeamus. Nec ideo, quoniam ista dicimus[i], putetur in mysterio sacramenti corpus Domini vel sanguinem ipsius non a fidelibus sumi, quando fides non quod oculis videt, sed quod credit accipit, quoniam spiritalis est esca et spiritalis potus, spiritaliter[k] animam pascens et aeternae satietatis[l] vitam tribuens, sicut ipse salvator mysterium hoc commendans loquitur: 'Spiritus est qui vivificat, nam caro nihil prodest'.

post 861
Luc. 22, 19. 1. Cor. 11, 26.
cf. 1. Cor. 13, 12.
Ioh. 6, 64.

Imperio vestrae magnitudinis parere cupientes praesumpsi parvus rebus de non[m] minimis disputare, non[n] sequentes aestimationis nostrae praesumptionem, sed maiorum intuentes auctoritatem. Quae si probaveritis catholice dicta, vestrae meritis fidei[o] deputate, quae deposita regalis magnificentiae gloria non erubuit ab humili quaerere responsum veritatis. Sin autem minus placuerint, id nostrae deputetur insipientiae, quae quod optavit minus efficaciter valuit explicare[p].

11.

Ratramnus Corbeiensis monachus iussu Odonis Belvacensis episcopi errores monachi cuiusdam de anima, in quos a Macario Scotto inductus erat, refutat. Excerpta.

post 861.

Cod. monasterii S. Eligii Noviomensis membraneus veterrimus latet vel deperiit.

Ed. Mabillon, Acta SS. ord. S. Bened. saec. IV, 2, p. LXXVII—LXXVIII, cf. Mabillon, Annal. ord. S. Bened. III, 139—140.

DOMINO SANCTO SUMMAEQUE VENERATIONIS HONORE PROSEQUENDO PATRI ODONI REVERENTISSIMO PRAESULI[1] RATTRAMNUS SERVUS SERVORUM CHRISTI NOVISSIMUS.

Suscepi vestrae sanctitatis debita cum veneratione litteras, quibus praecipitis postulantes, ut respondeam cuiusdam monachi de coenobio vestro scriptis, quibus de anima contra catholicam fidem perversa sentiendo disputare non timuit. Dicit namque, quod omnis homo unus homo sit per substantiam et omnis anima rationalis una sit anima per substantiam. Quod si ita est, sequitur, ut non sit nisi unus homo et una anima: quod absurdissimum fore conspicit prudentia vestra. *Et de eadem quaestione simulque de eius auctore post multa ita subdit:* Videte, quid Macarius[2] ille Scottus vel

---

a) *ex* Quociens- *corr. L.* b) *superscr. L.* c) *om. S.* d) habeb. opus *S.* e) ammoneamur *S.* f) quod *S.* g) *corr. ex* inmensa *L,* inmensa *S.* h) commonebimur *S.* i) *post* dic. *verbum deletum est L.* k) spirtaliter *S.* l) *ex* saciet. *corr. L,* satiet. *S.* m) non de *S.* n) n *S.* o) fidei mer. *S.* p) Explicit liber primus Ratrammi de corpore et sanguine Christi. Incipit II. de predestinatione ad eundem *add. S.*

1) *primo abbati Corbeiensi, tum episcopo Belvacensi 861—881.* 2) *Hunc Macarium eundem esse ac Marcharium illum monachum, cui Hrabanus librum de computo dedicavit, Mabilionis coniectura est admodum dubia, cf. EE. V, 387.*

post 861 ille, qui librum, quem nostis, scripsit, ex hoc loco dixisse beatum Augustinum excogitaverint. Et Macarius quidem hoc loco *(nimirum Augustini de quantitate animae)* sic ait scribens ad illum, qui sibi quaestionem hanc proposuerat. 'Haec autem non ideo proposui, frater, ut sapias quod voluit Augustinus: unam animam noluit, multas animas noluit. Quod in medio posuit hoc voluit, hoc est ut sit una anima et multa, quamvis ille dixit[1]: Ridebis nec mihi facile, unde risum tuum comprimam, suppetit. Non est mirum, quia istam quaestionem difficillimam suadere vix potuit, quanto magis neque nos possumus'. *Ad quod Ratramnus ita reponit:* Cernitis itaque, quod hoc, quod dicit Macarius, nequaquam dixerit Augustinus. Macarius namque dicit, [quod][a] hoc, quod in primo et ultimo loco posuerit Augustinus, noluerit affirmare, sed illud, quod in medio, hoc est ut sit una anima et multa, cum dicat Augustinus: Si unam simul et multas dicam esse, ridebis. Quo dicto manifeste insinuat nullo modo se confirmare voluisse, quod una simul sit anima et multa: quia sic dicere vel sentire non prudenter est intelligere, sed ridenda potius talis intelligentia. Ille vero qui scripsit libellum, in eadem est sententia, qua et magister eius Macarius, quod totus libelli textus evidentissime declarat. Potuisset etiam Macarius, si considerare prudenter valuisset aut certe voluisset ex his, quae subsequenter posuit, non ita sensisse Augustinum, cum dicat: Quamvis ille dixit, *nimirum Augustinus,* ridebis, nec mihi facile unde tuum risum comprimam suppetit. Si enim voluisset hoc affirmare, quod Macarius falso suspicatur, nequaquam dixisset 'ridebis', quoniam sententia prudenter dicta non ridenda est, sed suspicienda.

Hunc Macarium per deridiculum Baccharium *vocat Ratramnus,* quoniam non beatus, inquit, sed stultus et ebrius talia somniavit. *In*[b] *eo libro Ratramnus significat,* primo se ab Odone sollicitatum, ut eiusdem monachi anonymi insanam opinionem refelleret. Deinde se iam id praestitisse dicit scripta ad eumdem epistola, cui monachus ille alia reddita responderit. Tertio monachum illum hanc opinionem hausisse a Macario Scotto, quem idcirco eius magistrum vocat. Quarto praeceptorem ac discipulum erroris sui occasionem sumsisse ex loco male intellecto S. Augustini in libro de quantitate animae, in quo sanctus doctor de unitate in diversis hominibus animae dubitanter scripsisse videtur. *Haec omnia accurate ac fuse discutit Ratramnus professus initio libri sui* monachum hunc magis dignum esse auctoritate pastorali reprimi, quam disputatione convinci[2].

---

11. [a]) quod *add. Tr.* [b]) In eo — convinci *antecedunt apud Mabilionem eis, quae supra posuimus.*

1) *De quantitate animae c. 32 § 69, Opp. I, 434.* 2) *Repeto hic Traubii adnotationem ex Poetis aevi Carol. III, 715 n. 1: De simili materia alterum et ipsum adhuc latentem (librum) ad Karolum Calvum (Rathramnus) misit... Huius subdo praefationem mihi ex cod. 332 Collegii Corporis Christi Cantabrigiensis descriptam:* Duo, quantum memini, proposuistis ecclesiasticorum vobis auctoritate solvenda: sitne anima circumscripta sive localis. Non facilis sane quaestio et quantum perscrutanda doctis, tantum minus intelligentibus abscondenda, quoniam panis, qui provectioribus vitam ministrat, lacte nutriendos necat. Igitur secundum vestrae decretum iussionis, super hac re quid sit tenendum, maiorum sententia nos instruat. Sed priusquam veniamus ad causam, nominum significantiam explicem, ne aliud agentes circa aliud evagemur; non valet enim secreti mysterium penetrare, qui signorum differentiam non curat distinguere. *Pergit ibi Rathramnus ex Augustini, Claudiani, Cassiodori, ceterorum sententia docens animam nec localem esse nec corpoream; finit sic:* si quid vos minus diligenter in hoc opere a nobis positum deprehenderitis, ea, qua debetis, confidentia, precor, et arguatis et corrigatis. Explicit liber Rathramni de anima.

12.

Ratramnus Corbeiensis monachus Rimberto presbytero eum interroganti de Cynocephalorum natura et indole scribit, quos humano generi assignandos esse censet. ante annum 865

ante annum 865.

Cod. biblioth. Paulinae Lipsiensis 190 s. X—XI in fine, quem contulit O. Günther.

Edd. (Masson) Hist. crit. de la republ. des lettres VI, 188—196 ed. Dumont (Amsterd. 1714); Oudin, Commentar. de SS. ecclesiast. II, 126; Migne, Patrol. CXXI, 1153—1156; O. F. Fritzsche: Zeitschr. für wissensch. Theol. XXIV, 61—67 (a. 1881).

DIVINAE GRATIAE MUNERIBUS HONORATO PLURIMUMQUE IN CHRISTO DILIGENDO RIMBERTO, VENERABILI PRESBITERO, RATHRAMMUS SEMPITERNAM IN DOMINO IESU CHRISTO SALUTEM[1].

Quoniam nostrae petitionis memores effecti scripsistis nobis illa, quae de Cenocephalorum[a] natura cognoscere potuistis, non modice me laetificastis. Quod vero ad ea, quae postulastis, minime rescripserim, noveritis negligentiae torpore nequaquam hoc contigisse, verum, quia delatoris praesentia non affuerat, suspensum fuisse. Nunc autem, veniente fratre Sarwardo ad nos et ad vos remeante, data occasione solliciti fuimus breviter intimare quae nobis videbantur super inquisitione vestra. Quaeritis enim, quid de Cenocephalis credere debeatis, videlicet utrum de Adae sint styrpe progeniti an bestiarum habent animas, quae quaestio compendiose ita potest determinari: si hominum generi deputandi sunt, nulli dubium debet videri, quod primi hominis de propagine descenderunt. Neque enim fas est humanam credi aliunde deduci originem quam primi de parentis substantia. Quodsi bestiali generi connumerantur, nomine tantum hominibus, non natura communicant. Inter haec sciendum quod[b] si contenti fuerimus opinione[c] nostrorum, videlicet ecclesiasticorum doctorum[2], inter bestias potius quam inter homines deputandi sunt, siquidem et forma capitis et latratus canum non hominibus, sed bestiis similes ostendit. Hominum denique est rotundo[d] vertice caelum conspicere, canum vero longo[e] capite rostroque deducto terram intueri, et homines loquuntur, canes vero latrant. Verum quoniam litterae a vestra karitate nobis directae, dum naturam illorum diligentius significarunt, nonnulla docuerint, quae humanae rationi potius quam bestiali sensibilitati convenire videntur: scilicet quod societatis quaedam iura custodiant, quod villarum cohabitatio testificatur; quod agri culturam exercent, quod ex frugum messione colligitur; quod verenda non bestiarum more detegant, sed humane[f] velent verecundia, quae res pudoris est indicium; quod in usu tegminis non solum pelles, verum etiam et vestes eos habere scripsistis: haec enim omnia rationalem quodammodo testificari videntur eis inesse animam. Nam cum dicatur[3] civitas esse coetus hominum eodem sub iure pariter degentium, istique simul cohabitare quaedam per villarum contubernia dicantur, civitatis diffinitio talibus convenire non ab re creditur. Siquidem et collectione sua multitudinem faciunt, et pariter habitare nonnisi sub alicuius iure conditionis poterant. Ubi vero ius aliquod servatur, consensu quoque animorum una continetur, neque ius aliquod potest esse, quod consensus communis non decreverit. Verum talem praeter moralitatis disciplinam nec constitui nec custodiri aliquando potuit. Iam vero agros colere, terram proscindere, sementem rurali[g] fenori concredere, artis demonstrat peritiam. Quae res nisi ratione praeditis

12. a) *Sic c. ubique.* b) vero *c.*, quod *corr. Tr.* c) opinionem *c.* d) rotundum *c.*, *corr. Tr.* e) oblongo *suppl. edd.* f) humanae *c.* g) rurari *c.*

1) *Rimbertus, ut erat minister Anscharii, monachi olim Corbeiensis, cum Rathramno familiaritatem facile inire poterat. TRAUBE Poet. Carol. III, 719 n. 7.* 2) *Isid. Etymol. XI, 3, 15 (cf. August. civit. Dei XVI, 8):* Cynocephali appellantur, eo quod canina capita habeant, quosque ipsi latratus magis bestias quam homines confitentur. Hi in India nascuntur. 3) *Cic. Somn. Scip. 3 (De rep. VI, 13, 13):* concilia coetusque hominum iure sociati, quae civitates appellantur.

ante annum 865 hautquaquam favere cognoscitur. Etenim rationis est causam requirere singularum actionum, verbi causa, quae res pingues efficiat terras, quae causa sementis ubertatem producat; quarum sine scientia agricultura numquam digne poterit exerceri. Porro tegumenta nosse conficere, vel pelle vel lana linoque, studii est rationalis animae. Nisi enim artificio quodam haec parari non possunt, et artis scientia nonnisi rationali conceditur animae. At pudenda velari honestatis est signum, quod non quaeritur nisi ab animo inter turpe et honestum habenti distinctionis iudicium. Erubescere namque nemo potest de turpitudine, nisi cui contigit quaedam honestatis cognitio. Haec autem omnia rationalis animae esse propria, nemo nisi ratione carens negabit. Inter honestum turpeque discernere, artisque scientia pollere, iura pacis concordiaeque condere, nec sine iudicio rationis nec praeter acumen ingenii fieri possunt. Qua de re cum talia dicitis apud Cenocephalos[a] videri, rationalem eis inesse mentem re ipsa testificamini. Homo vero a bestiis ratione tantummodo discernitur. Quae quoniam videtur inesse his de quibus loquimur, homines potius quam bestiae deputandi videntur.

Huic intelligentiae non parum suffragari videtur libellus de martyrio sancti Cristophori editus. Quemadmodum enim in eo legitur[1], hoc de genere hominum fuisse cognoscitur, cuius vita atque martyrium claris admodum virtutibus commendatur. Nam et baptismi sacramentum divinitus illum consecutum fuisse, nubis [in][b] mysterio eum[c] perfundente, sicut libellus ipse testatur[2], creditur. Fama quoque vulgante plura feruntur, quae huiusmodi hominum genus rationis compos insinuare videntur. Isidorus quoque cum de portentorum ex humano genere defluxorum varietate loqueretur in libris ęthimologiarum, inter reliqua sic ait[3]: Sicut autem in singulis gentibus quaedam sunt monstra hominum, ita in universo genere[d] humano quaedam monstra sunt gentium, ut Gygantes, Cenocephali, Ciclopes, et cetera'. Hoc dicens manifeste signavit, quod Cenocephalos ex primi hominis propagine originem duxisse fuerit opinatus. Nam, sicut in singulis gentibus quaedam contra legem naturae videntur procreari, ut bicipites, trimani, pumiliones, ermaphroditae sive androginae vel alia perplura, quae tamen contra naturae legem non fiunt, superna quando dispositione proveniunt, siquidem lex naturae divinitatis est dispositio: sic quoque universi generis humani ordini naturali videntur monstruosam inferre procreationem illa, quae superius commemorata sunt, hominum prodigiosa portenta vel alia plura, quae longum est commemorare, ut Pigmei [et] Antipode[s][4], quorum aliis cubitalis dicitur inesse statura corporis, aliis plantarum conversio post crura et in plantis octoni digiti[5]. Yppo[po]des, qui humanam formam pedibus miscent equinis[6]; Macrobii, humanam staturam pene duplo superantes[7], gensque feminarum in India V. anno concipiens et octavum vitae annum non excedens[8], et alia complura fereque incredibilia. Et quamvis ferantur ista ex humano genere[d] duxisse originem, non tamen mox neque temere homines ratione praeditos esse firmandum. De Gygantibus vero, inter haec portenta qui denumerantur, homines fuisse de hominibus natos nemo fere qui dubitet, quandoquidem divinarum auctoritate litterarum hoc astrui non ignoremus. Quibus Cenocephali dum connumerantur, hoc etiam et de istis sentiendum esse putatur, maxime si illa constiterint, quae de sancto Cristophoro leguntur vel quae fama de eis vulgaris dispergit. Nec tamen ista dicentes sive sentientes, consequitur, ut quicquid de homine procreatur, hominem quoque esse humanaeque rationis ingenio praeditum[e]. Verbi gratia, cum legatur vitulus ex muliere procreatus[9], vel serpens editus de femina, proinde tamen neque vitulum neque serpentem illum

Gen. 6, 4.

---

a) cenacephalas *c.* b) in *add. Tr.* c) minysterio eo *c., corr. Tr.* d) generi *c.* e) dicant *vel* sentiant *suppl. Fritzsche.*

1) *Vita et passio Christoph. c. 2 p. 110 ed. Harster.* 2) *Ibid. c. 6 p. 114 ed. Harster.* 3) *Lib. XI c. 3, 12.* 4) *Ibid. 26 cf. 7.* 5) *Ibid. 24.* 6) *Ibid. 25.* 7) *Ibid. 26.* 8) *Ibid. 27.* 9) *Ibid. 9.*

humanam animam vel rationalem habuisse consenserim. Monstruosus quoque partus ille tempore regis Alexandri de muliere profusus, cuius superior pars hominem praeferebat, inferior vero bestiarum formas diversarum viventiumque protulerit[1]: nec tamen bestias illas, licet humano semine procreatas, rationalem habuisse animam, nisi rationis expers umquam puto praebebit assensum. Qua de re nec hos, de quibus res agitur, propterea quia duxerunt originem ex hominibus, eos continuo rationali pollere mente crediderim, si non vel ea quae scripsistis vel quae leguntur et feruntur de eis, talia quo sentirem, moverer[a]. Nunc autem tanta tamque fortia videntur esse, quae super his dicuntur, ut his vel fidem non adhibere vel contradicere velle pervicatia potius videtur[b] esse quam prudentia. Accedit ad haec, quod[c] scripta vestra testantur, domesticorum omne genus animalium, quae nostris in regionibus habentur, apud illos haberi. Hoc vero fieri posse, si bestialem et non rationalem animam haberent, nequaquam video; siquidem homini animantia terrae fuisse divinitus subiecta Geneseos lectione cognovimus; ut vero bestiae alterius a se generis animantia, et maxime[d] domestici generis, curent et eis diligentiam adhibeant suisque cogant imperiis subiacere et usibus parere, sicut nec auditum ita nec creditum cognoscitur. At vero Cenocephali, cum domesticorum animalium dicuntur habere multitudinem, eis minime convenit bestialis feritas, quorum animalia domestica[e] lenitate mansuefiunt. 865—877 Gen. 1, 26.

Haec sunt quae de Cenocephalis arbitror sentienda. Ceterum an et aliis sic sentire placuerit an e diverso, non erit nostri iudicii. De libro vero beati Clementis quod interrogastis, non inter scripturas[f] auctoritatis habetur, quamvis non usquequaque[g] repudietur. Leguntur enim quaedam in illo, nostro, id est ecclesiastico, dogmati non usquequaque respondentia. Verum quae de gestis Petri apostoli scribuntur in illo, recipiuntur, utpote nichil, quod doctrinae christianae vel contradicat vel repugnet, continentia[h].

Valere beatitudinem tuam semper in Christo gaudemus et ut memor sis nostri deprecamur.

13.

Ratramnus Corbeiensis monachus Rimberto Bremensi archiepiscopo et Adalgario abbati novae Corbeiae de propinquorum coniugiis exponit. *865—877.*

Cod. Evangeliarium Herfordense s. IX Msc. VII, 3 f. 318 tabularii Monasteriensis.

Ed. Wilmans, Kaiserurkunden der Provinz Westfalen I, 506.

DOMNIS SANCTISSIMIS RIMBERTO ARCHIEPISCOPO[2] ET ADALGARIO VENERABILI ABBATI[3] RATHRAMNUS IN CHRISTO SALUTEM.

De propinquorum coniugiis, unde responderi vobis quid sentiamus postulastis, nihil vobis scribere possumus quod non sciatis. Attamen ut vobis satisfacere rescribendo non differamus, dicam et ipse, quid sentiam, maiorum sequens auctoritatem nostraeque regionis consuetudinem. Ecclesiae inquam nostrae sacerdotes omnes huiusmodi nuptias condempnant nec [con]sanguineos invicem sibi coniugii foedere sociari paenitus concedunt. Quia vero frequenter in nostra regione tales contingunt nuptiae, fit ex hoc, ut iuditia proferantur non semper eadem. Siquidem quos primus, secundus tertiusque gradus sotiat, omnino dissotiant. In quarto vero gradu coniunctos, quamvis huiusmodi coniugium incertum vocitent, non semper dividunt, intercedente vel rationabili

---

a) *an* moverent? b) *sic c.* c) quid *c.* d) maximae *c.* e) domestici *c.* f) sum viros *c, corr. Tr. (cf. Gelasii decret. de libris recip., Thiel epp. pontific. p. 462).* g) unusquequaque *c.* h) continenda *c.*

1) *Isid. Etym. XI c. 3, 5.* 2) *a. 865—888.* 3) *a. 856—877.*

858—860 peticione vel necessitatis cuiusquam consideratione. Quos vero reliqui gradus, quintus videlicet, sextus et septimus coniungunt, quamvis non approbent, non tamen dissociant.

Seculi leges. Sed videamus seculi leges quid ex hoc praecipiant. In libro Theodosii tertio ita legitur[1]: His quos in tertio et quarto gradu. . . .

14.

Iohannes (Scotus) iussu Karoli (Calvi) regis, quem magnis laudibus effert, quattuor libros Dionysii Areopagitae de caelesti hierarchia ex graeco in latinum translatos decemque eius epistolas ei dedicat de auctore atque opere eius copiosius disputans[2]. *858—860.*

Codd. Berolin. Philipp. 1668 s. X (quondam Bituricensis) fol. 3'—5' (Ph), de quo cf. Val. Rose, Verzeichn. der Meermanhss. S. 66—68; Bernensis 19 s. X—XI (Petri Danielis) fol. 2—3', de quo cf. Hagen, Catal. codd. Bernens. p. 12, cont. J. Schwalm (B); Oxoniensis collegii A. John 128 s. XI fol. 4—8 (O); Parisinus 2612 s. XIII fol. 4' (P): utrumque cont. K. Hampe; Monacensis (S. Emmerammi) 14137 s. XI fol. 1—3 (M), cont. Traube; Colon. XXX s. XII, cont. Schaefer (C). Extat etiam in codicc. Vindobonensibus 754 s. XII, de quo cf. Denis, Codd. manuscr. I, 677—684, et 971 s. XIII; cf. Traube, Poet. Carol. III, 525.

Edd. Usserius, Epistolar. Hibernicar. sylloge p. 41—44 ex cod. S. Trinitatis Cantabrig.; Floss, Migne, Patrol. CXXII, 1031—1036.

GLORIOSISSIMO KATHOLICORUM REGUM KAROLO IOHANNES EXTREMUS SOPHYAE STUDENTIUM SALUTEM.

Valde quidem admiranda[a] dignisque virtutum[b] laudibus est[c] exageranda[d] catholicorum virorum religiosissima sollicitudo, qui dum vitae humanae[e] periculosis exagitari videantur[f] aerumnis, fixa tamen mentis intentione, divinarum rerum laboriosis investigationibus purgati, fructuosis inventionibus[g] illuminati[h], perpetuis immutabilibusque[i] veritatis atque[k] amoris contemplationibus perfecti, non inter mortales habitare, sed in caelestem conversationem mutatos penitus esse iudicandi sunt. In quorum numero[l] vos esse constitutos, nullus recte vestros affectus intuentium dubitare permittitur, piissime gloriosissimeque regum, quandoquidem civilium[m] plusque quam civilium bellorum[3] maximis assiduisque perturbationibus, insuper etiam paganarum gentium barbaricis incursibus[n] christianorum regnum passim invadentibus allisi, non tamen regalis animi stabilitate deiecti, quasi quoddam[o] immobile[i] saxum Neptuni limite[p] naturaliter defixum crispissimos validissimosque caerularum tumultus stabili duraque fronte repellens, toto vestrae[q] mentis intuitu totaque cordis devotione sanctarum scripturarum secreta[r], ducente Deo et rationis lumine, investigastis[s] investigantesque diligitis et non solum Latiaris[t] eloquii maximos sanctissimosque auctores perquiritis, verum etiam in augmentum aedificationis catholicae fidei novis modernisque[q] editionibus[u] in laudem christiani dogmatis Ellinos[v] patres pio affectu[w] addidistis[x] consulere.

Hinc est, quod et ingenioli nostri parvitatem non dedignastis[y] impellere nec nos velut otiosos inertiaeque[z] somno sopitos perpessi estis dormire, ne, dum Hesperiis

---

14. a) amm. *M.* b) *corr. ex* virtututum *O.* c) *om. P.* d) exaggeranda *O, M, C.* e) humanis *P.* f) videntur *M.* g) *corr. ex* intent. *Ph.* h) inl. *M pass.* i) inm. *M.* k) divini *add. M.* l) vos num. *M.* m) civium *Ph, B, O, P.* n) incursionibus *O.* o) *alterum* d *superscr. Ph.* p) limitem *C.* q) *om. M.* r) sacra *P.* s) investigatis *M, C.* t) latialis *M, C.* u) aedit. *B, Ph.* v) ellinas *(C)* i. e. grecos *M.* w) pio aff. *om. M.* x) addidicistis *M.* y) dedignati estis *O, M, C.* z) inaertiaeque *B, Ph.*

1) *Lex Rom. Visig. ed. Haenel, Lipsiae 1849 p. 88 col. 1 v. 6 (Zeumer).* 2) *Carmina Dionysii operibus ita praeposita, ut prius antecedat, alterum sequatur praefationem hanc, videas a Traubio edita, Poet. Carol. III, 547—548.* 3) *Lucan. de bello civ. I, 1:* Bella . . plus quam civilia.

solummodo[a] apicibus studium impendimus, ad purissimos copiosissimosque Graium latices 858—860
recurrere[b] haustumque inde sumere non valeremus. Iussionibus itaque vestris neque volentes neque valentes obsistere, rudes admodum tyrones adhuc Elladicarum[c] gymnasiarum[d] fatemur (quid enim pudeat nos fateri vestrae mansuetudini[e]?) ultra vires nostras, ipso[f] tamen duce, qui est lux mentium et illuminat abscondita tenebrarum, 1. Cor. 4, 5.
libros quattuor sancti patris Dionisii Ariopagitae, episcopi Athenarum, quos scripsit ad Timotheum, episcopum Ephesiorum, et decem epistolas[g] eiusdem de Greco in Latinum transtulimus, opus valde, ut opinamur, tenebrosum[h] longeque a modernis sensibus remotum, multis invium, paucis apertum, non solum propter antiquitatem, verum etiam caelestium altitudinem[i] mysteriorum[k]. Fertur namque praefatus Dionisius fuisse discipulus atque adiutor Pauli apostoli, a quo Atheniensium[l] constitutus est episcopus, cuius Lucas[m] commemorat[n] in Actibus apostolorum et Dionisius episcopus Act. 17, 34.
Chorinti vir antiquus[1], beatus quoque Policarpus in epistola[o] ad ecclesiam[p] Athenarum[2], Eusebius item Pamphili in ecclesiastica[p] historia[3], necnon etiam sanctus papa Gregorius in homelia[q 4] sua, ubi breviter angelorum ordines exposuit. Hunc eundem[r] asserunt, quantum vita eius a fidelibus viris tradita testatur[5], temporibus papae Clementis, successoris videlicet Petri apostoli, Romam venisse et ab eo praedicandi evangelii gratia[s] in partes Galliarum directum fuisse et Parisii[t] martirum[u] gloria coronatum fuisse cum beatissimis suis consortibus, Rustico scilicet atque Eleutherio.

Haec igitur nostra, qualiscumque sit[t], translatio non quidem prolixae indiget, ut arbitror, apologiae, cum omnibus eius aemulis, quicumque et qualescumque sint, facillima una responsione possimus occurrere, vestrae videlicet celsitudini neque potuisse neque debuisse non oboedire. Si quis autem nimis tardae aut nimis inusitatae redarguerit elocutionis[v], attendat non me tantum, sed et se[t] ipsum nihil[w] posse plus accipere, quam quod ipse distribuit, qui dividit[x] singulis propria[y] prout vult. Sin 1. Cor. 12, 11.
vero obscuram minusque apertam praedictae interpretationis seriem iudicaverit[z], videat me interpretem huius operis esse, non expositorem. Ubi valde pertimesco, ne forte culpam fidei[a] interpretis incurram. At, si aut[b] superflua quaedam superadiecta esse aut de integritate Grecae constructionis quaedam deesse arbitratus fuerit, recurrat ad codicem[c] Grecum, unde ego[d] interpretatus sum: ibi[e] fortasse[f] inveniet, itane est[g] necne. Hoc tantum mihi idoneum fore arbitratus sum, omissis aliorum coniecturis, unius[h] solius arbitrio succumbere, cui oportet me obtemperare.

Sanctus ergo Dionisius, ut praediximus, Ariopagita, ex vico videlicet Martis denominatus (Ares namque a Grecis bellum vocatur) primis iuventutis suae floribus achademiae studiis eruditus, deinde divino atque ineffabili[i] miraculo solaris[k] ellimpseos[l], quae facta est confixo domino nostro Iesu Christo crucis patibulo, commotus[m] — ipse

---

a) solumodo *B, Ph.* b) *alterum* r *superscr. est Ph.* c) ellidicarum *O,* elladicor. *M, C.* d) studiorum *M, C.* e) serenitudini *M, C, P.* f) *rad. corr. ex* ipse *O.* g) ępist. *Ph.* h) anfractuosum *M, C.* i) propter alt. cęl. *O manu saec. XII.* k) mister. *B.* l) Atheniensyum *B.* m) Luchas *B.* n) cummem. *B.* o) ęp. *Ph.* p) ęccl. *Ph, M.* q) omelia *O, M, C.* r) quoque non praefati viri, sed alii moderni temporis *add. M, C.* s) gratiam *O.* t) *om. C.* u) martyrii *M.* v) eloquutionis *O.* w) nichil *O, P,* nil *C.* x) divit *Ph.* y) *om. B.* z) *corr. ex* iudicaverint *O.* a) infidi *M,* fidi *C.* b) Aut si *C.* c) quodicem *B.* d) ergo *B.* e) ubi *C.* f) fortassis *M.* g) esse *C.* h) illius *M,* collecturi sumus *pro* coniect. unius *O.* i) inaeffab. *Ph.* k) *corr. ex* salaris *O.* l) ellympseos *O,* eclypseos *M, C.* m) cum *(corr. ex* com*)* mortuis *B.*

1) *Dionysii Areopag. opp. ed. Corderius II p. X Prolog. S. Maximi:* Meminit vero etiam Areopagitae Dionysius antiquus Corinthiorum episcopus *etc.* 2) *immo Dionysius Corinthius, Eusebio L. IV c. 23 teste, in epistola ad Athenienses data.* 3) *Lib. III c. 4.* 4) *Homil. in evang. Lucae l. II, 34 § 12, Opp. I, 1607:* Fertur vero Dionysius Areopagita, antiquus et venerabilis pater, dicere *etc.* 5) *Passio SS. martyr. Dionysii Rustici et Eleutherii c. III, ed. Krusch, Auctt. antiq. IV, 2, 103 sq.*

858—860 quidem[a], ut in quadam suarum epistolarum commemorat[1], dum esset iuxta Heliopolim[b] cum Policarpo episcopo ceterisque, qui tunc aderant, divina procurante providentia mirabilem in modum conspexerat lunam soli subeuntem[c]; moxque sanctissimum virum, apostolorum discipulum, Ierotheum[d] videlicet episcopum secutus, cuius in tertio huius operis libro[2] memoriam facit eundemque magistrum suum venerabilem nominat ceterisque tunc temporis coepiscopis post apostolos in theologia[e] praeferre non dubitat; cum quo multisque aliis sanctis in unum convenientibus Christum post resurrectionem corporaliter est contemplatus aderantque ibi[f], ut ipse ait[3], Iacobus[g], frater Domini, et Petrus, vertex apostolorum — talibus ac tantis admonitus divinarumque[h] scripturarum mysteriis illuminatus, scripsit hos libros ortante[i] ac postulante sancto Timotheo aliosque[k], quorum nomina in processu huius operis[l] saepissime declarat doctrinamque breviter insinuat. Sed praesentis operis intentionem breviter intimare necessarium duximus, quo[m] facilius[n] lector studiosus ingrediatur.

Primus itaque liber, qui inscribitur de caelesti ierarchia, quod nos non verbum, sed sensum exprimentes, possumus Latine dicere de caelesti pontificatu seu de caelesti[o] summo sacerdotio, novem caelestium virtutum dispositiones enumerat, ordinat, segregat, coniungit earumque sanctis theologis divinitus manifestatas symbolicas, hoc est significativas[p], imaginationes[q] mysticas luculenter exponit. Ordinat quidem in superiores et medias et ultimas, segregat[r] vero in ternas ter ierarchias[s], coniungit primas ultimis et ultimas primis per medias, mirabili extremitatum[t] et medietatum ratione coadunans. Dissimilium quoque formarum descriptiones in propheticis visionibus plus quam similium caelestes substantias expressius insinuare confirmat nullamque visibilium seu invisibilium naturarum ab initio intellectualis creaturae usque ad extremum terrenumque vermiculum nominari, ex qua divina theologia quandam[u] similitudinem[v] ad significandam omnium rerum causam, Deum videlicet, non introducat et[w] cetera.

Secundus vero, cui est inscriptio de ecclesiastica[x] ierarchia, humanae naturae salvatoris nostri sanguine redemptae unitatem denuntiat[y], ad similitudinem videlicet caelestis sacerdotii, quantum possibile est mortalibus, adhuc[z] ordinatam. Cuius summus[a] pontifex[b] est ipse, qui eam sibi per gratiam suam coaptavit, quam[c] etiam totius ierarchiae, caelestium quidem et terrestrium, principium est et medium et finis, ad quem omnia referuntur. Haec itaque nostra ierarchia[d] instar caelestis tripartita est, in tres scilicet ierarchias. Quarum prima temporali quidem ordine, ultima vero dignitate legale sit[e] sacerdotium, quod in variis valdeque obscuris symbolis per legislatorem Moysea plane carnali adhuc populo litteraeque non spiritui servienti distributum est. Cuius maximus character[f] erat tabernaculum illud in Arabico monte figurate monstratum. Secunda vero, quae et media, sacerdotium, quod nunc est, ecclesiam[g] dico novi testamenti, sub gratia[h] quidem constitutam, partim symbolis visibilium sacramentorum dispositam, partim vero veritatis contemplatione perfectam. Et est finis

---

a) siquidem *M, O.* b) Elyopolim *O.* c) ac per hoc *(om. C)* solem defecisse *add. M, C.* d) Iherotheum *O, P,* Ierothecum *C.* e) theologya *Ph.* f) vel quippe *sup.* que ibi *M.* g) Iachobus *P.* h) ammon. sanctarumque *M.* i) ortante h *alia man. superscr. Ph,* hortante *M, C.* k) aliisque *M.* l) intencionem *add. B.* m) quod *B.* n) ci *superscr. Ph.* o) *om. M.* p) vel *add. M.* q) immagin. *B, Ph,* myst. im. *M.* r) segregatus *O.* s) iherarch. *O, P.* t) ex- *post add. Ph.* u) quend. *corr. in* quand. *O,* quadam *B, Ph, P.* v) similitudine *P.* w) et cet. *om. P.* x) aeccl. *B, Ph.* y) denutiat *Ph.* z) ad hoc *M, corr. ex* adhuc *O.* a) sumus *Ph.* b) pontiphex *B.* c) qui *M.* d) ierarchya *Ph,* iher. *O.* e) est *M.* f) car. *O, M.* g) ęccl. *B, Ph.* h) gratiam *O.*

1) *Epist. 7 ad Polycarp. antistit., Dionysii Areopag. opp. ed. Corderius I, 599; Ioannis Scoti opp. ed. Floss, Migne CXXII, 1180.* 2) *De divinis nominib. c. 3, Opp. ed. Corderius I, 342, Migne l. l. 1127:* glorioso duce nostro Ierotheo theologica diligentissima elementa excellentissime congregante *etc.* 3) *L. l.:* aderat autem et Dei frater Iacobus et Petrus, vertex et honorabilissima theologorum summitas.

praeteritae primae, initium vero futurae ierarchiae[a], quae est tertia, nunc ex parte c. 860
inchoata[b] in primitiis[c] contemplationis, perficiendam[d] vero post gloriam futurae resurrectionis, quando visibilium sacramentorum velaminibus sublatis ipsam veritatem[e] perspicua[f] claritate contemplabimur. Ideoque praesens ecclesiastica ierarchia, ut diximus, media est inter legalem praeteritam et caelestem futuram, quoniam non solum aeternarum rerum symbola peragit et visibiliter considerat, ut legalis praeterita, sed et spiritualem eorum[g] intelligentiam investigare invenireque non cessat[h], ut caelestis futura, et cetera.

Tertius dehinc continet divinarum nominationum[i] virtutes ideoque de divinis nominibus vocitatur. In eo secretissima subtilissimaque reserantur mysteria de unitate et trinitate divinae essentiae, hoc est quae nomina[k] discretam, quae unitam insinuant[l] deitatem, quae per se inhumanato[m] filio conveniunt[n], quae sit unius solius omnium causae in primordiales causas prima processio ac per eas[o] iterum a summo usque deorsum multiplex theophania, in genera quidem, in species numerosque[p] visibilium et invisibilium naturarum, ubi supernaturali[q] contemplatione docere perspicitur plus similia esse et appropinquare Deo ea, quae non sunt, quam quae sunt, non tamen privatione substantiae, sed superexcellentia naturae. Quid distat inter causas et causativas malum nihil esse neque in rerum natura subsistere neque substantiae neque virtuti neque operationi nocere[r]; ea quoque, quae[s] per privationem de Deo dicuntur, per excellentiam in ipso intellegenda esse.

Quartus de mystica theologia, qui[t] quantum coartior sit[u] ceteris in sermonibus, tantum largior in sensibus. Unde et in duas maximas logicae disciplinae dividitur partes, kataphaticam[v] plane et apophaticam[w], id est in esse et non esse, ubi analiticae artis regulis utitur et nos praeclarissime[x] commonet per privationem omnium, quae dici seu intellegi possunt, oportere ad veritatem, quae est causa omnium, quae ab ea et per eam et in ea et ad eam creata sunt, per excellentiam essentiae recurrere.

15.

Iohannes (Scottus) Karolo (Calvo) rege iubente Maximi abbatis opus de ambiguis quibusdam in sermonibus Gregorii theologi e graeco latine versum ei offert. De duabus theologiae partibus aliquantulum disserit[1]. *c. 860.*

Codd. Parisini bibliothecae Mazarineae 561 (olim Gorziensis) s. IX ex. fol. 1 (M), bibl. armamentarii (Arsenal, olim S. Martini a Campis) 237 s. X fol. 2 (A) ex M fortasse descriptus: utrumque contulit K. Hampe.

Edd. Thom. Gale, Ioannis Erigenae De divis. naturae libri V, Append. post p. 312 (Oxonii 1681); Floss apud Migne, Patrol. CXXII, 1193—1196.

DOMINO GLORIOSISSIMO PIISSIMOQUE DIVINA PROVIDENTE ATQUE ADIUVANTE GRATIA REGI KAROLO IOHANNES EXTREMUS SERVORUM VESTRORUM PERPETUAM IN CHRISTO SALUTEM.

Hoc opus Maximi monachi atque abbatis[a], quod sanctissimo atque beatissimo archiepiscopo Kyzi[ci] Iohanne postulante de quorundam in sermonibus beatissimi

---

a) ie *superscr. Ph.* b) incoata h *superscr. Ph.* c) primicis *B.* d) perficienda *M, O, P.* e) veritatis *B, O, P.* f) perspicuam m *del. Ph.* g) *om. C.* h) non cess. *om. C.* i) -cion- *superscr. Ph.* k) nomine *C.* l) insinuent *M.* m) incarnato *M,* illuminato *O.* n) conveniant *M.* o) *om. O.* p) que *om. C.* q) supranatur. *P.* r) anocere a *del. O.* s) qui *B, Ph.* t) *om. B.* u) est *M.* v) kataphatyc. *Ph.* w) apof. *C.* x) praeclarissimę *Ph.*

15. a) tis *manu poster. superscr. in rasura M.*

1) *Versus, qui hanc praefationem secuntur, edidit Traube, Poet. Carol. III, 550—551.*

c. 860 Gregorii theologi ambiguorum, hoc est intellectu difficilium, explanationibus composuit, de Graeco in Latinum vobis iubentibus edidi. Difficillimum prorsus, orthodoxissime regum, servulo vestro, inbecili[a] valde etiam in Latinis, quanto magis in Graecis, laborem [in]iunxistis[b]. Insuper etiam accelerare veluti erudito utriusque linguae citoque perficere imperastis; sed pro viribus ingenioli mei et acceleravi et divina ducente ac largiente gratia ad finem usque perduxi. Fortasis[c] autem qualicunque apologia defensus non tam densas subierim caligines, nisi viderem praefatum beatissimum Maximum saepissime in processu sui operis obscurissimas sanctissimi theologi Dionysii[d] Ariopagitae sententias, cuius symbolicos theologicosque[e] nuper vobis similiter iubentibus transtuli introduxisse mirabilique modo delucidasse, in tantum, ut nullo modo dubitarim divinam
1. Cor. 4, 5. clementiam, quae illuminat abscondita tenebrarum, sua ineffabili providentia hoc disposuisse, ut ea quidem nobis, quae maxime obstrusa in praedictis beati Dionysii[c] libris ac vix pervia sensusque nostros fugere videbantur aperiret, sapientissimo praefato Maximo lucidissime explanante. Exempli gratia, ut pauca de pluribus dicam, quomodo causa omnium, quae Deus est, una sit symplex[f] et multiplex; qualis sit processio, id est multiplicatio divinae bonitatis, per omnia, quae sunt, a summo usque deorsum per generalem omnium essentiam primo, deinceps per genera generalissima, deinde per genera generaliora, inde per species specialiores usque ad species specialissimas per differentia proprietatesque descendens. Et iterum, eiusdem divinae videlicet bonitatis qualis sit reversio, id est congregatio, per eosdem gradus ab infinita eorum, quae sunt, variaque multiplicatione usque ad symplicissimam[f] omnium unitatem, quae in Deo est et Deus est, ita ut et Deus omnia sit et omnia Deus sint. Et quomodo praedicta quidem divina in omnia processio ΑΝΑΛΥΤΙΚΗ dicitur, hoc est resolutio, reversio vero ΘΕΩCIC, hoc est deificatio. Et qua ratione quae sunt maxima multiplicatione minima sint virtute, quae vero minima multiplicatione maxima virtute. Quid ΚΑΤΑΦΑΤΙΚΗΝ et ΑΠΟΦΑΤΙΚΗΝ dicam ΘΕΟΛΟΓΙΑΝ? In quibus maxime praedicti beati Dionysii[d] Ariopagitae profundissima divinissimaque admiranda est disputatio. Quam clare pulcreque aperit, quomodo, cum inter se oppositae valdeque contrariae videantur, ad unum tamen consensum perveniunt, ut, dum una neget, altera confirmet, utrunque in utraque contineatur. Ita fit ut et ΚΑΤΑΦΑΤΙΚΗ non confirmet, quod ΑΠΟΦΑΤΙΚΗ abnegat[g], neque ΑΠΟΦΑΤΙΚΗ abneget, quod ΚΑΤΑΦΑΤΙΚΗ affirmat. Et non solum has duas maximas theologiae partes in Deo, sed etiam in omni esse creatura manifestissimis declarat exemplis; per eas nanque ordines caelestium essentiarum et discernuntur et ordinantur. Et qua ratione Deus dicitur movere et moveri, dum sit immutabilis, et quod nec sensibilia per sensum Deus sentiat nec intelligibilia per intellectum nec sensibilia per intellectum nec intelligibilia per sensum, sed omnia in aeternis suis rationibus contemplatur. De unitate quoque trium divinarum substantiarum deque tribus substantiis divinae unitatis veluti mysticissimo mirabiliter disputat senario, et multa alia, quae studiosus praesentis operis lector inveniet.

Eysebestate[h] igitur regum, opus quod ad communem catholicae fidei illuminationem iusistis[i] fieri, altissimae auctoritatis vestrae iudicio non respuatis roborari et inter similia sanae doctrinae instrumenta recipi, cum ex praeclarissimis Graecorum fontibus non dubitetis derivari. In quibus si quid incognitae adhuc nobis doctrinae inveniatur, auctoribus ipsis est deputandum, quia nemo aliud in hoc opere recte mihi debet tribuere, nisi solummodo sympliciter[f] transtulisse.

---

a) *rad. corr. ex* inbecilli *A.* b) in- *add. Gale.* c) fortassis *A.* d) *corr. ex* Dyonisii *M.* e) *corr. ex* theoligicosque *M.* f) simpl. *A.* g) *alterum* a *manu post. in ras. M.* h) *in marg. ead. m.* piissime *M.* i) iussistis *A.*

16.

Ansgarius archiepiscopus Bremensis episcopis in regno Ludowici Germanorum regis constitutis de legatione septentrionali ei commissa ac de successu eius refert. 850—865 —*865.*

Cod. latet. Excerptum habet Adam. Gesta Hammaburg. eccl. pontif. I c. 35.

Ed. Caesar, Triapostolatus Septentrionis Colon. Agripp. 1642 p. 169; Lappenberg, Hamburg. Urkundenb. 28—29.

IN[a] NOMINE SANCTAE ET INDIVIDUAE TRINITATIS
ANSGARIUS GRATIA DEI ARCHIEPISCOPUS OMNIBUS SANCTAE DEI ECCLESIAE PRAESULIBUS IN REGNO DUNTAXAT LUDOWICI REGIS COMMANENTIBUS[1].

Nosse vos cupio, quia in hoc libello continetur, qualiter Ebo Rhemensis archiepiscopus divino afflatus spiritu, temporibus domini Ludowici imperatoris, cum consensu ipsius ac pene totius regni eius synodi congregatae, Romam adiit; ibique a venerabili papa Pascali publicam evangelizandi licentiam in partibus Aquilonis accepit. Et qualiter postea Ludowicus imperator hoc opus sublimavit; seque in omnibus largum praebuit et benivolum, et caetera, quae huic legationi contigerunt. Quapropter suppliciter deprecor[b], ut apud Deum intercedatis, quatenus haec legatio crescere et fructificare mereatur in Domino. Iam enim Christo[c] propitio et apud Danos et apud Sueones Christi fundata est ecclesia et sacerdotes absque prohibitione proprio funguntur officio. Precor etiam, ut has literas in bibliotheca vestra ad perpetuam memoriam reponi faciatis et, prout locus dictaverit, tam vos quam successores vestri, ubi utilitatem perspexeritis, notum omnibus istud faciatis.

Omnipotens Deus faciat vos omnes huius operis pia benivolentia participes, et in caelesti gloria Christi cohaeredes.

17.

Meginhardus[2] Fuldensis monachus Guntheri[3] episcopi rogatu fidei symbolum se expositurum idque contra haereticorum pravitatem se defensurum promittit. *850—862.*

Cod. Parisinus 16363 (Sorbon. 1423) s. XI, quem Caspari adhibuit (P).

Edd. Evangelistarium M. Maruli Spalatensis, Coloniae 1529 et 1532 ex cod. deperdito; Caspari, Kirchenhistor. Anecdota p. 251—253.

Cum[a] me negotiosissimi magistratus cura implicueris, urgues[b] tamen et instas, dulce decus meum[4], Gunthere, haud sane dixerim, utrum verecundius an cupidius, ut

---

16. a) *Lemma:* Epistola S. Ansgarii. b) Deprecor — coheredes *habet etiam Adam. l. l. verbis* Precor — faciatis *omissis.* c) Deo *Adam.*

17. a) *Lemma:* Ad dominum Guntherum de fide Meginhardi praefatio *ed., om. P.* b) inst. tam. et urg. *ed.*

1) *Cf. Rimberti vitam Anskarii c. 41:* Insuper et privilegia apostolicae sedis, quae erant de legatione ipsius facta, in multis libellis iussit describere et per omnes pene domni Hludowici regis episcopos destinare. Ipsi quoque regi Hludowico filioque eius aequivoco ipsius hoc ipsum dirigens, addens et sui nominis litteras, quibus postulavit, ut haec in memoriam haberent, simul etiam, prout res dictaret, adiutorio essent, quatinus legatio ipsa, Dei auxiliante gratia, ipsis adiuvantibus, fructificare et crescere in gentibus potuisset. 2) *Fuldensis monachi, ut videtur (cf. Caspari p. XIII), qui annalium partem tertiam (a. 864—887), Translat. S. Alexandri et sermonem de S. Ferrucio composuit, cf. SS. XV, 149, ubi prologus eius ad Adelgerum abbatem datus editur. De obitu eius v. Ann. Fuld. necrolog. 888 (SS. XIII, 186):* Meginhart presbiter et monachus. 3) *Coloniensem archiepiscopum (850—863) ex Caspari coniectura (p. XIV), de quo cf. Poet. Carol. III, 221. 222. 226. 231. 239; V. Radbodi c. 1 (SS. XV, 569).* 4) *Hor. Carm. I, 1 v. 2.*

850—862 novam operam, non tam[a] arduam et difficilem, quam plane impossibilem suscipiam. Unde apparet, quod iniuncti muneris modum perfunctoria metiris aestimatione, dum aliquid ei adiciendum sperare praesumis. Equidem, si excubiae nostrae solis adolescentum ingeniis liberali eruditione excolendis assiderent, quod unicum curriculum pleraque veterum studia vindicarunt[b], laboris mala famae nominisque momenta[c] mihi pensarent. Verum nunc qui praefecti[d] scolarum[e] habentur, gemina pro ecclesiastico usu functione multantur. Primas enim partes formandis moribus impendunt, secundas vero literarum doctrinae insumunt. Quorum utrumvis cum tantum in curas assurgat, tum vero compositum humanis viribus sustineri non valet. Nemo certe nisi[f] expertus hanc sollicitudinem novit expendere. Verumtamen ego voluntate tua, cui me unice devovi, adductus, in hoc praeludio infernalium poenarum tibi exerceri patior, maxime cum iam propinquo suscepti actus 'plaudite' optatissimo personam hanc operosissimam deponendam Deo propitio auspicer. Illa vero sarcina, qua nunc humeros nostros onerare disponis, non tam me premit quam elidit, nec tam difficultate gravat quam horrore exanimat[g], luculentissime enim dictum est, quia etiam vera de Deo dicere periculosum est.

Flagitas enim, ut de fidei symbolo compendiosum tibi elaborem opusculum, in eum scilicet modum, ut et catholicae veritatis integritas eluceat et hereticae pravitatis venena, quibus eam homines perditissimi aspergere et violare conati sunt, expressis auctorum nominibus denotentur. Quam rem cum praecipui ecclesiarum doctores, studio sacrarum literarum flagrantissimi, usu earum exercitatissimi, ingeniis[h] acutissimi, alii penitus, cum id ipsum postularentur, declinaverint, alii cum multa deliberatione vix aliquando annuerint, quis non iustissima indignatione temerarii me, immo sacrilegi incepti condemnet, ut tale quid audeam, qui vix summo ore et primis, quod dicitur, labris haec divina libavi? Sed parcant exagitare nostrum pudorem. Nemo in me accusator atrocior me ipso, nemo censor severior, et tanto magis supra alios, quanto me ipsum familiarius per omnia novi. Nec enim sic amator mei sum, ut meam ingenii exilitatem, oris angustiam scire fastidiam. Addo huc, quod in hoc genere scriptorum maxime pertimescendum est, vitae labem et conscientiae infirmitatem. Quae cum in exercitiis communium studiorum occupato non ita magno sint impedimento, in hac parte perniciosa mihi plane intelligo. Quis enim non videat parem mereri damnationem eum, qui sacramentum dominici corporis indignus assumat, et eum, qui verbum dominicum profanis corruptus moribus tractare praesumat? Vides igitur facile nimis, ut verius aliquid non dicam, tantae rei efficiendae de me praesumtam opinionem, quam tibi, qui tam deliberato et inoffenso iudicio alia soles exigere, indulgentior forsan erga me benivolentia induerit. Sed quia singulare bonum obedientiae sic impense[i] divinis commendatur[k] eloquiis, ut, qui ei resultaverit, frustra nomen christianum usurpet, non ausim pro virili quidem parte non praestare, quod iubes; si tamen divini favoris aura vela nostra non destituerit. Et quia rudis adhuc tyro in his castris abs te cogor militare, nolo quis arbitretur, rudimenta nostra superba aliqua temeritate grassari, scilicet ut, quod semel effutiam, sacrosanctum iudicem, quin potius, quidquid erit, quod superna gratia irroraverit[l], hoc ad suum veritatis fontem sincera et plenaria laude revocetur. Si quid vero meum, id est falsum, effudero (qui enim mendacium loquitur, de suo loquitur), non ego id deprehensum perverso tutabor patrocinio, sed tam severa quam debita animadversione error meus a suo ipsius parente iugulabitur. Uti vero[m] liberiore quodam spatio ea, quae intendimus, in hoc quasi

---

a) tamen *P.* b) vend. *ed.* c) monita *P.* d) perfecti *P.* e) scholae *ed.* f) non *P.* g) examinat *P.* h) ing. acut. *om. P.* i) impensae *P, ed.* k) comodatur *P, corr. in marg. manu iun.* l) irrogaverit *P.* m) Ut ergo *ed.*

spectaculo possint exponi, altius ordiendum videtur. Pauca enim[a] de ipsa fide, non- 864?
nulla de varietate symboli perstringemus, tum demum ipsum symbolum et pestes heresium insigniores illis et quasi capitales et quae maxime in ipsam symboli regulam offendant Deo propitio persequemur.

18.

Liutbertus archiepiscopus Moguntinus Ludowicum Germaniae regem hortatur, ut una cum Karolo rege fratre pacem ecclesiae turbatam restituat. *864?*

Codex deperiit.

Edd. Flacius, Catalog. testium veritat. a. 1556 p. 143—144; a. 1562 p. 81; Lugduni 1597 II, 139; a. 1608 col. 1055—1056, repetiverunt Ioa. Cordesius, Opuscula et epistolae Hincmari a. 1615 p. 628—629; Bibl. max. patr. Lugdun. XVI, 764; Migne, Patrol. CXXIX, 1051—1054; Jaffé Biblioth. rer. Germanic. III, 326—327.

DOMINO PIISSIMO ET AMANTISSIMO ATQUE IN FIDE CATHOLICA FLORENTISSIMO REGI LUDOWICO[1] LIUDBERTUS ARCHIEPISCOPUS[2], SANCTAE DEI ECCLESIAE VERNACULUS, PRAESENTEM ET PERPETUAM IN DOMINO SALUTEM.

Tacendi vel deliberandi inducias non habeo. Neque enim silere me causa permittit. Quam si relinquo, apud dominum nostrum Iesum Christum, cuius interest, inexcusabilis ero et vobis promissam humanitus fidem temerasse convincar[a]; qui, in specula, qua constitutus sum, videns periculum nobis[b] imminens, desidiosa vel infideli taciturnitate dissimulem et ecclesiae Dei, cuius indignus curam pastoralem ac solicitudinem suscepi, negligens effectus, mercenarius potius esse videar quam pastor. Quatitur namque graviter et dehonestatur primatus et dignitas eius in sede sancti Petri, eo quod inaudita quadam et occulta persecutione non ab infidelibus et Dominum nescientibus, sed ab eis — quod dolendum et plangendum est — qui duces et rectores populi Dei esse debuerunt[3], iniuriis appetitur, humana divinis praeferre conantibus. Et necesse est dolorem, qui constat in capite, nisi salubris et velox medicina succurrat, paulatim per membra diffundi. Igitur, quamvis noverim prudentiam vestram humanis admonitionibus non egere, quae syncerissimam de gratia Spiritus sancti hausit doctrinam, mei tamen officii est et acta patefacere et agenda demonstrare. Scitis, periculum populi Dei quod terribiliter imminet, neque latere vos potest, quod ubique auditum ipsa quoque, ut dicam, elementa tremiscunt[4]. At[c] rectores, qui saluti infirmorum studere debuerant, relicto salutis tramite, eunt in praeceps et sequentibus se foveam perditionis aperiunt. Ioh. 10, 12.

Unde prudentiam vestram, veritatis et iustitiae amatricem, exhortor, ut secundum datam vobis divinitus sapientiam cum scientibus legem Dei et iustitiam eius diligentibus tractare studeatis, quomodo, remotis dissensionum scandalis, quae zizaniorum

---

a) *sic ed.*, erunt *P.*

18. a) convincor *ed., corr. J.* b) vobis *ed., corr. J.* c) ut *ed., corr. Tr.*

1) *vel Ludowico II (843—876) vel, quod minus probandum videtur, filio eius Ludowico iuniori (876—882).* 2) *Moguntinus Nov. 30. 863—889, cf. de hac epistola obscura Dümmler, Gesch. des Ostfränk. Reiches II, 80 n. 4, ubi illam ad eas res spectare demonstravi, quae Liutberto adiuvante pacto Tusiacensi in Februario mense a. 865. finitae sunt, v. Capitul. reg. Francor. II, 165.* 3) *Guntharius Coloniensis et Teutgaudus Trevirensis archiepiscopi. Centuriatores (IX c. 7 col. 337 cf. 548), qui haec ad papam Romanum referri voluerunt, in aperto errore versantur, attamen certi aliquid affirmare non ausim.* 4) *terrae motus dicere videtur, qui his temporibus evenerunt a. 867. VII. Id. Oct.; a. 870. in aestate Moguntiaci bis; a. 872. III. Non. Dec. Moguntiaci; a. 881. III. Kal. Ian. Moguntiaci (Ann. Fuld. ed. Kurze p. 66. 71. 77. 97), sed hi omnes in epistolam nostram vix quadrant.*

c. 865 sator subdola machinatione spargere nititur, pax ecclesiis et unitas optata reddatur; et celeriter vigilantiae profectus adhibeatur, ne vulneribus locum praebeat incauta securitas. Neque enim totum adhuc corpus ecclesiae laesum est, quanquam, capite iniuriis pulsato, membra quaedam debilitata esse videantur. Et ideo, cum illis, quae sana esse constiterit, infirmantibus, si forte medicinam suscipere patiuntur, succurren-
cf. Matth. 5, 29; Marc. 9, 44. dum erit. Alioquin amputanda erunt secundum veri medici nostri praeceptum, ne totum corpus eat in perditionem.

Quapropter necessarium mihi videtur et utile, ut religiosus princeps Carolus[1] frater vester, legatis atque literis a vobis destinatis, super hoc negotio mature conveniatur; ut tam ipse quam sacerdotes regni eius, qui hactenus ab huiusmodi sordibus mundi sunt, vobis et vestris episcopis adiungantur eandemque curam et solicitudinem vobiscum participent; quatenus, posteaquam cum auxilio Dei prospere et pacifice de itinere, quo ire disponitis[2], reversi fueritis, pari consensu et communi studio pacem et concordiam sanctae catholicae et apostolicae ecclesiae orthodoxis dogmatibus, adiuvante Domino, reformetis.

19.

Otfridus monachus et presbyter Weissenburgensis Liutberto archiepiscopo Moguntino poema de evangeliis scriptum commendat. *c. 865.*

Codd. Vindobonensis 2687 (Theol. 345) s. IX fol. 4—7' (V); Heidelbergensis (Palatinus) 42 s. IX fol. 2—6 (P).

Edd. princeps Flacius, Catalog. test. veritat. a. 1556 p. 158—160 ex cod. deperdito[3] (quam repetierunt Ioa. Cordesius p. 631—634, Bibl. max. patr. Lugdun. XVI, 764—765 etc.), omnes Otfridi libri evangeliorum editiones inde a Basiliensi a. 1571. impressa, inprimis Otfrids von Weissenburg Evangelienbuch ed. Kelle a. 1856 p. 7—11, ed. Piper p. 6—11; Otfrid ed. Erdmann p. 4—8; Jaffé, Bibl. rer. Germanic. IV, 328—332.

DIGNITATIS[a 4] CULMINE GRATIA DIVINA PRAECELSO LIUTBERTO MOGONTIACENSIS URBIS ARCHIEPISCOPO OTFRIDUS, QUAMVIS INDIGNUS TAMEN DEVOTIONE MONACHUS PRESBYTERQUE EXIGUUS, AETERNAE VITAE GAUDIUM OPTAT SEMPER IN CHRISTO.

Vestrae excellentissimae prudentiae praesentis libri stilum comprobare transmittens, in capite causam, qua illum dictare praesumpsi, primitus vobis enarrare curavi, ne ullorum fidelium mentes, si vilescet[b], vilitatis meae praesumptioni deputare procurent[c].

Dum rerum quondam sonus inutilium pulsaret aures quorundam probatissimorum virorum eorumque sanctitatem laicorum cantus inquietaret obscenus, a quibusdam memoriae dignis fratribus rogatus[d], maximeque cuiusdam venerandae matronae verbis, nimium flagitantis[e], nomine Iudith[f 5], partem evangeliorum eis Theotisce conscriberem, ut aliquantulum huius cantus lectionis ludum secularium vocum deleret[g] et in evangeliorum propria lingua occupati dulcedine sonum inutilium rerum noverint declinare (petitioni quoque iungentes[h] queremoniam, quod gentilium vates, ut Virgilius[i] Lucanus

19. a) Incipit prologus *P, sine lemmate V.* b) *corr. in* vilesceret *V.* c) procuret n *superscr. V.* d) sum *suppl. Jaffé.* e) flagitanti s *postea add. V.* f) ut *add. Flac.* g) delerem *Fl.* h) iungebant *Fl.* i) Verg. *Fl.*

1) *II Calvus rex vel Karolus III (876—887), Ludowici iunioris frater.* 2) *in Moraviam. V. Dümmler l. l. p. 86.* 3) *Flacius, postquam Otfridi translationem a Liutberto comprobatam esse dixit, addit: 'Nam pene in omnibus bibliothecis eius (i. e. dioecesis Moguntinae) fragmenta reperiuntur', cf. de hoc loco Zs. für Deutsches Altert. XLIV, 316—318.* 4) *De hoc prologo vide quae copiose cum aliis eum comparando exposuit A. Schönbach, Zeitschrift für Deutsches Altertum XXXIX, 375—390. De tempore egit nuper W. Luft in eodem loco XL, 246—251.* 5) *De qua, cum Ludowici Pii uxore minime confundenda, nihil certi enucleari potest.*

Ovidius caeterique quam plurimi, suorum facta decorarent lingua nativa — quorum c. 865
iam voluminum dictis fluctuare cognoscimus mundum —, nostrae etiam[a] sectae probatissimorum virorum facta laudabant, Iuvenci Aratoris Prudentii caeterorumque multorum, qui sua lingua dicta et miracula Christi decenter ornabant, nos vero, quamvis eadem fide eademque gratia instructi, divinorum verborum splendorem clarissimum proferre propria lingua dicebant pigrescere[b]) — hoc dum eorum caritati importune mihi instanti negare nequivi, feci, non quasi peritus[c], sed fraterna petitione coactus.

Scripsi namque, eorum precum suffultus iuvamine, evangeliorum partem Franzisce compositam, interdum spiritalia moraliaque verba permiscens, ut, qui in illis alienae linguae difficultatem horrescit, hic propria lingua cognoscat sanctissima verba, Deique legem sua lingua intellegens, inde se vel parum quid deviare mente propria pertimescat. Scripsi[1] itaque[d] in primis et in ultimis huius libri partibus inter quatuor evangelistas incedens medius, ut modo quid iste quidve alius caeterique scriberent; inter illos ordinatim, prout potui, penitus pene[e] dictavi. In medio vero, ne graviter forte pro superfluitate verborum ferrent[f] legentes, multa et parabularum Christi et miraculorum eiusque doctrinae, quamvis[g] iam fessus (hoc[h] enim novissime edidi), ob necessitatem tamen praedictam praetermisi invitus[i]; et non iam ordinatim ut caeperam procuravi dictare, sed qualiter meae parvae occurrerunt memoriae.

Volumen namque istud in quinque libros distinxi. Quorum primus nativitatem Christi memorat; finem facit baptismo doctrinaque Iohannis. Secundus, iam accersitis eius discipulis, refert, quomodo se et quibusdam[k] signis et doctrina[l] sua praeclara mundo innotuit. Tertius signorum claritudinem et doctrinam ad Iudeos[m] aliquantulum narrat. Quartus iam qualiter, suae passioni propinquans, pro nobis mortem sponte pertulerit, dicit. Quintus eius resurrectionem, cum discipulis suam postea conlocutionem, ascensionem et diem iudicii memorat. Hos, ut dixi, in quinque, quamvis evangeliorum libri quatuor sint, ideo distinxi, quia eorum quadrata aequalitas sancta nostrorum quinque sensuum inaequalitatem ornat et superflua in nobis quaeque non solum actuum verum etiam cogitationum vertunt in elevationem caelestium. Quicquid visu olfactu tactu gustu audituque delinquimus, in eorum lectionis memoria pravitatem ipsam purgamus: visus obscuretur inutilis, inluminatus evangelicis verbis; auditus pravus non sit cordi nostro obnoxius; olfactus et gustus sese[n] a pravitate constringant Christique dulcedine[o] iungant; cordisque praecordia lectiones has Theotisce conscriptas semper memoria tangent.

Huius enim linguae barbaries, ut est inculta et indisciplinabilis atque insueta capi regulari freno grammaticae artis, sic etiam in multis dictis scriptu[p] est propter literarum[q] aut congeriem aut incognitam sonoritatem difficilis. Nam interdum tria *u u u*, ut puto, quaerit in[r] sono, priores duo consonantes, ut mihi videtur, tertium vocali sono manente. Interdum vero nec *a*[s], nec *e*, nec *i*, nec *u* vocalium sonos praecavere potui; ibi *y* Grecum mihi videbatur[t] ascribi. Et[u] etiam hoc elementum lingua haec horrescit interdum, nulli se[v] caracteri aliquotiens in quodam sono nisi difficile iungens. *K* et *z* sepius haec lingua extra usum Latinitatis utitur, quae[w] grammatici[x] inter litteras dicunt esse superfluas; ob stridorem autem interdum dentium, ut puto,

---

a) iam *Fl.* b) pigere *Fl.* c) paratus *coni. Schönbach l. l. XXXIX, 382.* d) itaque in prim. *in ras. V.* e) item *Fl.* f) ferre *P.* g) Et quamvis *Fl.* h) hoc — edidi *add. et del. V in marg.* i) munus *P.* k) quibusnam *Fl.* l) suam doctrinam praeclaram mundo notam fecit *Fl pro* doctrina — innotuit. m) Iudaeos *P.* n) se *Fl.* o) *an* dulcedini? p) scripto *V, P,* scriptum *Fl, corr. Graff.* q) litter. *P.* r) *om. Fl.* s) nec a *superscr. V.* t) videtur *Fl.* u) Et — superfluas *in ras. duorum versuum V;* Graeciae *pro* Et etiam *Fl.* v) sese *Fl.* w) qui *Fl.* x) gramat. *V.*

1) *Cf. Schönbach l. l. XL, 110.*

c. 865 in hac lingua *z* utuntur, *k* autem ob fautium sonoritatem. Patitur[1] quoque metaplasmi figuram nimium, non[a] tamen assidue, quam doctores grammaticae artis vocant sinalipham[b] (et hoc nisi legentes praevideant, rationis[c] dicta deformius sonant), literas[d] interdum scriptione servantes, interdum vero Ebraicae linguae more vitantes[e], quibus ipsas litteras ratione sinaliphae[b] in lineis, ut quidam dicunt, penitus amittere et transilire moris habetur; non quo[f] series scriptionis huius metrica sit subtilitate constricta, sed schema[g] omoeoteleuton assidue quaerit. Aptam[h] enim in hac lectione et priori decentem et consimilem quaerunt verba in fine sonoritatem. Et non tantum per hanc inter duas[i] vocales, sed etiam inter alias literas[d] saepissime patitur conlisionem sinaliphae[b]; et[k] hoc nisi fiat, extensio sepius[c] literarum[d] inepte sonat dicta verborum. Quod in communi quoque nostra locutione, si sollerter[l] intendimus, nos agere nimium invenimus. Quaerit enim linguae huius ornatus et a legentibus sinaliphae[b] lenem[m] et conlisionem lubricam praecavere, et a dictantibus omoeoteleuton, id est[n] consimilem verborum terminationem, observare. Sensus enim hic interdum ultra duo vel tres versus vel etiam quattuor[o] in lectione debet esse suspensus, ut legentibus, quod lectio signat, apertior[p] fiat. Hic sepius *i* et *o* ceteraeque[q] similiter cum illo[r] vocales simul inveniuntur inscriptae[s], interdum in sono divisae[t] vocales manentes, interdum coniunctae[u], priore transeunte in consonantium potestatem.

Duo etiam negativi[v], dum[w] in Latinitate rationis dicta confirmant, in huius linguae usu pene assidue negant. Et[x] quamvis hoc[y] interdum praecavere valerem, ob usum tamen cotidianum[z], ut morum se locutio praebuit, dictare curavi. Huius enim linguae proprietas nec numerum nec genera me conservare sinebat. Interdum enim masculinum Latinae linguae in hac feminino protuli; et cetera[a] genera necessarie[b] simili modo permiscui. Numerum pluralem singulari, singularem plurali variavi; et tali modo in barbarismum et soloecismum sepius[c] coactus incidi.

Horum supra scriptorum omnium vitiorum exempla de hoc libro Theotisce ponerem, nisi inrisionem legentium devitarem; nam dum agrestis linguae inculta verba inseruntur Latinitatis planitiae, cachinnum[d] legentibus prebent[e]. Lingua enim haec velut agrestis habetur, dum a propriis nec scriptura nec arte aliqua ullis est temporibus expolita; quippe qui nec historias suorum antecessorum, ut multae gentes caeterae, commendant memoriae nec eorum gesta vel vitam ornant dignitatis amore. Quod si raro contigit, aliarum gentium lingua, id est Latinorum vel Grecorum, potius explanant. Cavent[f] aliarum; et[g] deformitatem non verecundant suarum[h]. Stupent in aliis vel litterula parva artem transgredi; et pene[i] propria lingua vitium generat[k] per singula verba. Res[l] mira: tam magnos viros, prudentia deditos, cautela praecipuos, agilitate suffultos, sapientia latos, sanctitate praeclaros, cuncta haec in alienae linguae gloriam transferre et usum scripturae in propria lingua non habere.

Est tamen conveniens, ut qualicunque modo, sive corrupta[m] seu[n] lingua[o] integrae artis, humanum genus auctorem omnium laudent[p], qui plectrum eis dederat linguae, verbum in eis suae laudis sonare; qui non verborum adulationem politorum, sed

---

a) non — assidue *superscr. V.* b) synal. *P.* c) rationes *Fl.* d) litter. *P.* e) *superscr. V.* f) quod *Fl.* g) scema *P,* h *superscr. V.* h) Aptum *Fl.* i) *corr. ex* duos *V.* k) et hoc — invenimus *om. Fl.* l) solerter *P.* m) lenam *V, P, corr. Fl. cf. Zeitschr. f. Deutsches Altert. XXXI, 295.* n) *superscr. V.* o) quatuor *P.* p) apertius *Fl.* q) *ex* ceterique *corr. V.* r) in illis *pro* cum illo *Fl.* s) *ex* inscripti *corr. V.* t) *ex* divisi *corr. V.* u) *ex* coniuncti *corr. V.* v) Duae et. negativae *Fl.* w) quae *Fl.* x) Et — curavi *om. Fl.* y) hos *P.* z) cottid. *P.* a) caet. *P.* b) necessaria et *Fl.* c) saepius *P.* d) chach. *V.* e) *in ras. V.* f) etiam *add. Fl.* g) *om. Fl.* h) suam *Fl.* i) in *add. Fl.* k) generant *Fl.* l) Res — habere *om. Fl.* m) corruptae *Fl.* n) *om. Fl.* o) linguae *P,* sive *add. Fl.* p) laudet *Fl.*

1) *Cf. Konr. Zwierzina, Zeitschr. für Deutsches Altert. XXXI, 292 — 296, qui de grammaticis latinis ab Otfrido adhibitis agit.*

quaerit[a] in nobis pium cogitationis affectum, operumque pio labore congeriem, non 868
labrorum inanem servitiem[b].

Hunc igitur librum vestrae sagaci prudentiae probandum curavi transmittere et — quia a Rhabano venerandae memoriae, digno vestrae sedis quondam praesule[c] [1], educata parum[a] mea parvitas est — praesulatus vestrae[d] dignitati[e] sapientiaeque in vobis pari[a] commendare curavi. Qui si sanctitatis[f] vestrae placet optutibus et non deiciendum iudicaverit[g], uti licenter fidelibus vestra auctoritas concedat; sin vero minus aptus parque meae neglegentiae[h] paret, eadem[i] veneranda sanctaque contempnet[k] auctoritas. Utriusque enim facti causam arbitrio vestro decernendam[l] mea parva commendat humilitas.

Trinitas summa unitasque perfecta cunctorum vos utilitati multa tempora incolomem rectaque[m] vita manentem conservare dignetur. Amen[n].

20.

Theudoinus praepositus ab Almanno monacho petit, ut post sepulcrum inventum et apertum Vitam sancti Memmii Catalaunensis episcopi corrigat et renovet. *868.*

Cod. vetustus quondam Altivillarensis latet.

Edd. Mabillon, Analecta vetera p. 423—424; Migne, Patrol. CXXI, 385—386. 387—388.

DILECTISSIMO FRATRI ALMANNO MONACHO[2] PROFESSIONE ET PER GRATIAM DEI HIEREO.

In lege Domini die ac nocte meditari non cedit incassum in oculis divinae maiestatis. Ideoque operae pretium duxi tuam commonefacere caritatem, ut, quoniam ab ineunte aetate in loco religioso nutritus, in hoc maxime operam dedisti, ut in nullo expers grammatos, etiam vel hoc proficeres, ut nullatenus esses imperitus graphidos, dimittas nemus Angitiae[3] et totum te cum auxilio divino transferas in vineis Engaddi. Certe nosti et vineam Sorech, audisti et patrem familias, qui exiit primo mane et per divisas horas, tamen praefixas, conducere operarios in vineam suam. Re vera et in hoc mea sunt vota, ut vocatus vocatione secundum propositum Dei facta, etiam iuxta pusillitatem alicuius igniculi tui laborare in ecclesia Domini sabaoth sine ulla interpolatione neque moreris neque ulla dilatione graveris. Est enim nobis mors velocissima, licet sit nobis nimium sapientia tarda[a].

cf. Ps. 1, 2. Cant. 1, 13. Iud. 16, 4. Matth. 20, 1—7.

Ergo accelera in quibuscumque fultus praesidio veritatis et in domo Domini aliquod vasculum [elabora]. Sunt enim in ea non solum vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia in sancta videlicet ecclesia, quae iuxta prophetam Osee desponsata est tripliciter[4], primo ante legem in Abraham, secundo sub lege per Moysen, tertio autem sub gratia, ipso Domino veniente et in utero virginali carnem virgineam assumente, de qua processit tamquam sponsus de thalamo suo. Didicisti etiam, quod cum

Os. 2, 19. 20.

---

a) *om. Fl.* b) labiorum inan. servitutem *Fl.* c) *ex* praesuli *corr. V.* d) vestri *P, corr. in* -rae *V.* e) *ex* dignitate *corr. V.* f) sanctitati *P.* g) *corr. ex* iudicat *V.* h) neglig. *P.* i) eundem *Fl.* k) condemnet *Fl.* l) decernendum *V, P,* -dam *Fl.* m) ac in recta *pro* rectaque *Fl.* n) Explicit prologus *add. P.*

20. a) tanta *cod., corr. Mab.*

1) *847—856.* 2) *De quo Mabillon l. l. p. 425 ex Necrologio Altivillarensi ad diem 22. Iulii haec adfert:* Commemoratio domni Almanni nostrae congregationis monachi, qui Franciam suo tempore a Normannis devastatam exemplo Hieremiae quadruplici planxit alphabeto. Scripsit etiam vitas sanctorum Nivardi archiepiscopi Remensis, Syndulfi presbyteri solitarii, beatae Helenae imperatricis eiusdemque corporis ab urbe Roma ad monasterium Altivillarense translationem et alia opera. 3) *Aen. VII, 759.* 4) *Cf. Hieronymi Commentar. in Os. L. I, Opp. VI, 26. 27.*

868 bestiis agri et cum volatilibus caeli et cum reptilibus terrae disposuerit Dominus
Am. 1, 1. pactum inire et quod etiam per pastores Thecuae consulat Dominus vineae suae.

Atque ut manifestius fiat quod aimus, noveris quod non absque occulta divinae dispositionis providentia accidit, ablato mausoleo et aggere terrae semoto, perlustrasse nos beati Memmii sepulcrum in quadrangula et caementaria pretiosi corporis fossa: et
868 hoc est factum iussu regis Caroli anno ab incarnatione Domini DCCCLXVIII indictione
Mart. 24. I. VIIII.[a] Kal. Aprilis, quae fuit quarta feria ante mediam quadragesimam; eiusque sanctum sepulcrum est inventum minime ex ulla parte haerere ad terram, sed virtute omnipotentis Dei, apud quem merita tanti patroni refulgent, in ipsa fossa veluti libratum in aera pendere quatuor digitis a terra. Quo miraculo stupefacta mortalium corda depromunt dicentes: O quam magno pietatis studio caelesti vitae se conformem reddidit, dum vixit in terra, cuius nunc tanta est gloria in caelo, ut eius sepulcrum nedum corpus tangere indignam se fateatur terra[m]. Eius sanctissimi viri vitam a tua devotione quaerimus innovandam: quae diuturna vetustate et negligentia velut in pittaciis habetur paene consumta. Ergo age, pro viribus nostrae petitioni favens esto, quatenus de tanto intercessore ad perpetuam salutem possis in caelo gaudere.

21.

Almannus monachus Altivillarensis indignum se fassus, qui vitam sancti Memmii Catalaunensis episcopi scribat, Theudoino praeposito tamen id se facturum esse promittit.

Cod. et Edd. ut supra.

VENERABILI PRAEPOSITO THEUDOINO ALMANNUS PECCATOR.

Praecipis mihi caritate caelitus infusa cordibus electorum per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, ut vitam sancti Memmii Catalaunensis primi pontificis vetustate neglectam et imperitia corruptam, haud secus ac si ex cineribus effosam, innovare contendam, peritia corrigam; et quidquid videtur deesse moliar supplere studio veritatis impressus. Sed multa sunt, quibus facile tanto me possum excusare negotio. Primum, quod disputatio neoterica non congruit tantae gravitatis et sanctitatis viro. Secundum, quod ipse testis ignorantiae meae nullius testimonio nititur conscientia mea, ut me profitear sapientem, cum sim insipiens. Ideoque minus convenit, ut praesumam ultra vires aggredi negotium. Tertium et maximum illud est, quod peccatorum meorum luctuosa recordatio, dum pro debito delictorum meorum me soli delegat amaritudini, terribilem mihi timorem incutit, illius gesta pangere stilo, cuius praedicationis apostolicae et sanctissimae religionis numquam me, pro dolor, participem imitatoremque exhibui. Fateor ergo, debetur hoc opus vitae merito et caritatis scientia sapienti, non mihi per omnia insipienti, ne mihi veniat illa vox iustae severitatis quae dicat:
Ps. 49, 16. 'Quare tu enarras iustitias meas et assumis nomen meum per os tuum?' Sed quia te precante caritas iubet, te hortante Christus imperat, quantulumcumque nostrum fuerit munusculum, non subterfugiam, quin quod Dominus dederit pandam. Novi
Ps. 80, 11. Prov. 12, 11. etenim quod dicitur: 'Aperi os tuum et implebo illud'. Et: 'Operare terram tuam et satiaberis panibus'. Nec quaeram altitudinem verborum, cum minime unquam illam attigerim, sed et simplex habens ab antiquitate materiam, verbis quidem simplicem, sed factis limpidius sole lucentem, et omnem mundanae molis machinam potentia sui et virtute divina transscendentem; et ipse velut potero, sequens ero, suffragium a
Marc. 13, 27. vestris orationibus quaerens, ut a quatuor ventis veniens spiritus mortua ossa mea vivificet et me talem facere dignetur, a quo non exigat debita usque ad novissimum

---

a) VIII *ed., quod corrigendum puto, quia VIII. Kal. respondet quintae feriae et annuntiationi Mariae.*

quadrantem, quin potius deleat et dimittat omnia delicta mea usque ad novissimum quadrantem. 868 cf. Matth. 5, 26.

In quo sanctus Memmius nobis pius intercessor exsistat, cui devotionis nostrae servitium offerre conamur, licet exiguum, tamen quantum nostrae parvitatis igniculus et veritatis materia cum auxilio divino contulit nobis. Atque in hoc communi opusculo tuum erit eligere quem sortiamur iudicem. Etenim, cum in omnibus rebus sit utilis probatio apostolo dicente: 'Omnia probate, quae bona sunt tenete', maxime in his 1. Thess. 5, 21. necessaria habentur, quae veritatis lucem iustae examinationis efficacia spectant, et hoc vel solum maximum est, cur exspectamus iudicium sapientiae. Etenim ipsas grammaticae cautelas, quibus a barbarismo aut soloecismo censet ipsa cavendum, aut nihil aut parum curamus in huius rei moderatione: cum quaeratur[a] veritas et debeat facessere vanitas, et optemus fugere contrarium, cum insistamus gravitati pro viribus mentis. Neque hoc dicimus, ut grammaticam reputemus in vitio, cum sit ipsa sola vel maxima virtus scientiae, sed quia veritatem dantibus obscurantur alia velut a sole sidera. Unde dictum est[1]: 'Tenebras non amabo, cum solem videro'. Denique, quantam in hoc patiar verecundiam, effari aut vix aut minime possum, veritus ne fiam fabula[2] sapientibus, qui in hac re volui consulere legentibus, ubi succurreret modestiae latebra, si fieri posset, ut absque exaratoris nomine manet scriptura in opere. Et haec arbitrio tuo pariter derelinquo. Potens est enim Deus auferre opprobrium nostrum, quod et faciet, ut in misericordia eius veraciter confidimus, intercedente beato Memmio, qui nos caelitus oculis respicit benignis; te per devotionem mentis hortantem, me pro debita fidelitate et capacitate cordis scribentem. Opto itaque vobis huius facti non modicam manere mercedem, cui cum omnia debeam, tam arduam rem negare non potui.

Opto vos quam bene valere et esse felicem usque ad supernae gloriae contemplationem.

22.

Aeneas Parisiensis episcopus de Graecorum haeresibus iam olim exortis questus ad quaestiones inutiles noviter ab eis motas singulas respondet. 868.

Cod. Parisinus 2864 (Colbert. 3805) s. IX—X fol. XI—XV', quem cont. A. V. Müller quondam O. P. Edd. Dachery, Spicil. VII, 1—8; ed. alt. I, 113; Labbe, Sacros. Conc. VIII, 476—480; Harduin, Acta conc. V, 314—318; Migne, Patrol. CXXI, 685—690.

AENEAS PARISIACENSIS URBIS EPISCOPUS[3], QUO PRIMUS PRAESEDIT SANCTUS DIONYSIUS, A PAULO APOSTOLO ATHENIENSIUM CONSECRATUS ARCHIEPISCOPUS, SED A SANCTO CLEMENTE TOTIUS GALLIAE CONSTITUTUS APOSTOLUS, PACEM ET GLORIAM CATHOLICAE FIDEI CULTORIBUS[4].

Legimus in libro Iudicum, quod praescientia divina terrae inclytae semini Abrahae Iud. 3, 1. 2. 4. ob inmensae fidei laudem repromissae inesse reliquias Chananeorum ex patre permiserit, scilicet ut experiretur in eis Israel, ne forte otio torpens ignarus bellorum foret, cuius efficax virtutis[a], Deo praeduce, dudum regnum aegregium, cunctis saeculis praedicabile, sibi armis vindicaverat. Huius aequitatis lance caelestium, terrestrium

---

21. a) quaerentur *ed., corr. Tr.*

22. a) *corr. ex* virtus *c.*

1) *Nescio ubi.* 2) *Hor. Ep. I, 13, 9.* 3) *a. 857—871 in., de quo cf. supra p. 87.* 4) *Postquam Nicolaus I papa episcopos tam Galliae quam Germaniae a. 867. die 23. Oct. mens. de iniuriis a Graecorum imperatoribus sibi inlatis certiores fecit, Hincmarus papae litteras Idib. Decembris acceptas regni Francorum occidentalium episcopis notas reddidit (cf. Hincmari ann. ed. Waitz p. 88. 89 et epist. eius IV. Kal. Ianuar. ad Odonem Bellovac. episc. datam, Opp. II, 809), unde anno sequente Aeneam librum suum contra Graecos composuisse colligas.*

et infernorum Dominus[a], sanctam ecclesiam non habentem maculam aut rugam, anulo
Eph. 5, 27. suae passionis sibi sollemniter iure regio desponsatam, hereticae pravitatis assertionibus lacessitam, victrici laurea experiri voluit, veluti stans in acie manus in bella contraheret, et ob creberrimam adversariorum victoriam, in amplexu sui sponsi condelectans, in totius laetitiae patrato triumpho admodum exultaret, et frequenti concertatione in bella Dei sui assurgens, scientia repugnandi venustata cum decore polleret, ut se toxicatis armis adtemptantes potenter repellere addisceret, ipsi conclamans, qui
Ps. 34, 1. 2. caput galeati contrivit chelidri, ac fiducialiter aiens[b]: 'Iudica, Domine, nocentes me; expugna impugnantes me. Adprehende arma et scutum, et exurge in adiutorium mihi'.

Igitur multoties devicti hostes cum indigne ac turpiter rediviva audent reparare certamina, in hoc segnitia deterioris famae per ora magnatorum infelicius deteruntur, quo subrigi ingeniis fraudium ad sublimiora gestiunt, sed ceu effeminati viribus terga[c] praebentes deformiter succumbunt. Ita siquidem venenata pernicies perversi dogmatis ab initio nascentis ecclesiae usque ad praesens nequiter pululans serpere non desistit, occupare incautos, corrumpere doctrina quietos, more latronis aggredi latenter bene degentes, vera in falsis transmutare callide laborans. At sancta ecclesia, iam quasi senio lassata, cum Moyse ad Dominum interventrices elevat manus pro suis ut vincant;
Exod. 17, 12. et pulchre Aaron[d] et Hur fatigatas sustinent, scilicet novi ac veteris testamenti series, testimonia sanctarum defensionum in promptu festina portendit, ne forte sui, quos catholice enutriens ad perfectionis culmen evexit, cedant spiculis oppugnantium, sed
Ps. 23, 10. clipeo veritatis viriliter resistentes, domino virtutum et regi gloriae iocundantes pro-
Exod. 15, 1. clament: 'Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est, quia equum et eius ascensorem deiecit in mare'.

Itaque temporibus gloriosi et orthodoxi Hludowici imperatoris Grecia, quae se matrem verborum et genitricem philosophorum et omnium liberalium artium fautricem appellari contendit, de his superstitionibus superfluis, quae et nunc, Romanam ecclesiam, immo et omnem gentem Latina lingua utentem consulere temptavit, satisque mirandum in tam vilissimis quaestionibus occupatam, longevo[e] ventilatis aevo et perspicue ad liquidum dilucidatis, quae totius peritiae ac facundiae se fore gloriatur auctricem, ut pelagus dialecticae subtilitatis expostulat, putans se posse veraciter distinguere vera a falsis. Ergo, ut intonat apostolus usque ad tertium caelum raptus,
1. Cor. 1, 22. si 'Iudaei signa petunt, et Greci sapientiam quaerunt', haeret sagacitas de puro fonte potantium, cur ita hebitudo sensus despicabilia sciscitando summa tenere conantes ignominiose obtenebrat, quos culmen magni intellectus, ut illi falso opinantur, in gremio amplitudinis suae velut coruscans amplectitur et fovet. Nempe cum populi Orientalium, quasi sub scabello Domini specialiter subsidentes, cum Occidentalibus in fidei documentis disceptare videntur, quasi sol pulcherrimus mane in Oriente positus, in occiduos suae lucis radios vesperi transmutat in tenebras. Non autem caeli climata deteriores reddunt animos mortalium, neque plagae supernae pro variarum dementiis sectarum culpandae, cum Oriens et Occidens mixtim contineat iustos et reprobos, sed humanitas primo bona condita et in libero arbitrio potenter stabilita, neglegendo creatorem et obaudiendo seductorem, de dextris ad levam promoveri meruit; exin orbis multiplicis[f] tramiti devio inhiare coepit.

Nec adeo mirum ab Asia vel a finibus Europae, ubi sita Constantinopolis Greciae metropolis habetur, tantarum fallaciarum oriri discrimina: si enim revolvantur sanctorum statuta canonum et ecclesiasticarum discutiatur series hystoriarum, ab illius regni
Luc. 3, 7. partibus potius quam sub Romana dicione degentibus repperientur pullulasse genimina

---

a) *ras. post* dominus. b) agens *c., corr. Tr.* c) *ras. post* terga. d) *in ras.* e) longevo — aevo *in ras.* f) multiplicas *c.*

viperarum, id est, quamplurimi inventores perversorum dogmatum, veluti fuerunt, ut 868
ex multis memoremus aliquos, Arrius, Eunomius, Fotinus, Marcion, Chaerintus, Manicheus, Hebion, Nestorius Constantinopolitanus episcopus, ceteraeque pestes dilatatae hereseos, quibus non fuit requies omni instantia catholicas dilacerare et obpugnare mentes. Euticius etiam, Constantinopolitanae urbis episcopus, de resurrectione in tantum erravit, ut affirmaret, quod corpus nostrum in illa resurrectionis gloria futurum esset inpalpabile, ventis aerique subtilius; sed nos econtra dicimus sanctaque credulitate firmamus, quod in illa resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritalis potentiae, sed palpabile per veritatem naturae. Nam beatus papa Gregorius, quondam in eadem Constantinopolitana urbe positus, cum praefato Euticio de hac re in conspectu Tiberii Constantini imperatoris gloriosum habuit certamen, veluti ipse plenius commemorat in XIIII° libro Moralium Iob.[1] Sed ita ab eo nobiliter est devictus, ut pellem manus suae teneret dicens: 'Confiteor, quia omnes in hac carne resurgemus', quod omnimodis prius negare consueverat.

Est[a] dictu lamentabile, quia eadem sedes, quae caput levare conatur ad superos, pro rectae fidei praesulibus doctrina foedatos rectores olim habuit hereticos, quos Tripertita denotat historia[2] et sanctorum patrum in canonibus dampnat sollertia. Non vero in Romana sede, Deo rectore, tale umquam contigit dedecus, ut aliquis heresiarches eidem praesideret, quam summus apostolorum princeps sua sessione inlustravit et fuso sanguine consecravit, cui suas regendas oves Dei filius speciali cura commisit; nec mirum, quia ipsi dictum fuerat: 'Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo eccle- Matth. 16, 18. 19.
siam meam: et tibi dabo claves regni caelorum'. Ergo cui propria auctoritate regnum dabat, huius fidem firmare non poterat? Quem cum petram dicit, firmamentum ecclesiae iudicavit. Liberius tamen, papa a beato Petro tricesimus septimus, quamvis a fidei tramite non deviaret, exilio et minis Arriani principis territus[3], non virtute qua debuit perfidis Arrianis viriliter repugnavit. His autem, qui ab arce totius christianitatis deviare videntur novasque adinveniunt quaestiones, recte intonat Paulus ad Galathas, quorum ex Grecia propagatur origo: 'Miror, quod sic tam cito transferimini Gal. 1, 6. 7.
ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi Iesu, in aliud evangelium, quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant et volunt convertere evangelium Christi'. Magna etiam auctoritate ingeminat dicens: 'Sed licet nos aut angelus de caelo evangelizet ib. 8.
vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit'. Et consequenter addit: 'Sicut praediximus, et nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod ib. 9.
accepistis, anathema sit'.

Iure itaque a rectore sanctae ecclesiae a via veritatis aberrantibus talia apostolice inferuntur. Hac etiam virga reprehensionis digni habentur: 'O insensati Galatae, quis Gal. 3, 1.
vos fascinavit veritati non oboedire, ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est et crucifixus?' Denique cunctis saeculis inorme generatur piaculum, dum ab ipsis, quorum doctrina adornari debuerat ecclesia, flore nitore religionis, et augmentum accipere suae salvationis, humiliari zelo nequitiae contenditur: et a qua omnis macula longe abesse debuerat, ei infligere nituntur, ut non sit a sordibus aliena. Sed quia sanctus dicit apostolus: 'Oportet autem hereses esse, ut probati manifesti fiant', falla- 1. Cor. 11, 19.
ciarum ludibria, quae ad eam applicare temptavit sanctarum hostis animarum, clipeo redemptoris sui repelli habet, nec patietur divinitas visibilium et invisibilium rerum sacratior et potior vinci a creatura, quae condita fuit angelica, sed ob tumorem superbiae sua sponte, non alio cogente, sceleratior facta, incidit in baratrum perpetuae

---

a) autem *add. ed.*

1) *Lib. XIV c. 56 § 74, Opp. I, 466—467.* 2) *Cf. L. IX c. 40.* 3) *Constantii Caesaris, cf. Lib. pontific. ed. Mommsen p. 77.*

868 dampnationis, cui nil placitum nisi tantum perditio beatorum. Nam cunctorum opifice largiente, sapientiam non vincet malitia, sed victor apparebit in propriis, qui suos
2. Tim. 3, 12. semper a primo armavit spiritalibus documentis: 'Omnes enim qui volunt pie vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur'.

Itaque inpraesentiarum iam adfore deprehenditur aetas plena miseriarum, quae praesentitur amplecti spatium temporis, de quo apostolus lamentando praecinuit, dicens:
ib. 4, 3. 4. 'Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur'. Ecce in promptu haec praedicta serpere conspicimus, et ideo, dum tuba personatur belli, necesse est ut arma aptentur in militum membris, ut doctum industria praeoccupare nequeat perfidus hostis. Quamvis autem in talibus controversiae procellis concutiatur Domini exercitus, valde indignum, ut animos fortitudine nobilitatos a statu rectitudinis detorqueant heretica pravitate degeneres. Quanto enim astutia diaboli cum saeva calliditate accedit atrocior, tanto providentia fortium cautius praemunita debet esse paratior. Admonens siquidem alumnum Timotheum
ib. 2, 16. 17. apostolus, ne impediretur decipulis malignantium, blande hortatur, dicens: 'Profana autem et inaniloquia devita; multum enim proficient ad impietatem; et sermo illorum
Tit. 3, 9. sicut cancer serpit'. Ad Titum etiam ita dicit: 'Stultas autem quaestiones et genealogias et contentiones et pugnas legis devita: sunt enim inutiles et vanae'. Et ut
ib. 10. 11. sollicitior redderetur et sancto acumine instructior esset, addit: 'Hereticum hominem post unam et secundam correptionem devita: sciens quia subversus est qui eiusmodi est, et delinquit proprio iudicio condemnatus'. Ergo cum sancto Heliseo credamus,
4. Reg. 6, 16. quia 'plures sunt nobiscum quam cum illis', id est, utriusque testamenti sagacissimi patres, et pro defensione verae fidei avidissimi et invictissimi bellatores, qui cum
Ios. 10, 13. robustissimo Iosue Deum supplicare studeant, ut stet sol, id est, tempus sanctae con-
1. Thess. 4, 7. certationis prolixius clarescat, donec se verus Israel ulciscatur de inimicis suis. 'Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem', dicit apostolus, postquam unda baptismatis et Spiritu sancto in gratia Christi renovati sumus. Quocirca non cedendum adversariis, sed viriliter resistendum, ut non capiamur illius inlecebris, qui de supernis ob superbiam ad ima delapsus, hoc elaborat nisibus iniquitatis, ut ecclesia, quae est filia pacis, dilaceretur doctrina foeditatis et pateat morsibus erroris.

Haec et similia ut praecaveret Timotheus, sacrarium Spiritus sancti caritate
2. Tim. 2, 23. fervens, admonet Paulus: 'Stultas autem et sine disciplina quaestiones devita, sciens, quia generant lites'. Haec nempe praecavere oportet generaliter cunctos in Christum credentes, maxime eos, qui regimen debent habere animarum et esse speculum bonorum operum et sanctarum forma virtutum. Indeque gemendum bene viventibus, quia, unde in sancta ecclesia decorum esset splendere honorem gaudii, ab his partibus
Prov. 27, 17. multis volventibus saeculis oboriuntur inmensi detrimenta scandali. Si enim ferrum ferro acuitur, congruum esset, ut Graeca lingua a vero non discreparet, in quo Latina normam catholicae fidei indissolubiliter tenet.

Hae sunt ergo superfluae quaestiones ad saecularia potius quam ad spiritalia tendentes, quae non videntur procedere ab experientia magni intellectus, sed nasci a reprehensibilitate exterioris sensus. Illud itaque pelagus, ut iactatur, insignis eloquentiae infert Romanis auribus: quare Spiritum sanctum a patre et filio profiteamur procedere, et non a solo patre, rursus quare in sabbatis ieiunium exerceamus, et quare ab officio presbiterorum nuptias arceamus. Addunt etiam, quare presbiteri Latinorum inhibeantur frontes baptizatorum chrismate linire, cum locus consignandi in fronte proprie sit episcoporum et in vertice presbiterorum. Item sciscitantur, quare a carnium esu octo ebdomadibus ante pascha et septem a casei et ovorum more suo non cessamus. Opponunt praeterea, cur clerici barbas radant, et quare diaconi non-

dum suscepto presbiteratus officio in episcopum ordinantur[a], ut mos est aliquando 868—869
Romanis. Conqueruntur[b] etiam de transmigratione principatus Romanae sedis, quam dicunt factam Constantinopoli, unde et eam cum patriarcha suo caput dignitatis appellant. Ad stultarum cumulum et inertium[c] ineptiarum garrientes inquirunt, quare chrisma nostrum, immo Dei, ex aqua fluminis conficiamus et quare agnum simul cum corpore Christi et sanguine in pascha super altare ponamus et more Iudaeorum offeramus, cum nullatenus haec vel aliquis desipientium umquam crediderit. Quae duo in tantum videntur indignissima, ut ab auditu fidelium ex toto iudicentur penitus esse extranea.

Haec deleramenta versutiarum Graecalis industria supercilioso ambitu per Romanum spargit imperium, et dominicis aciebus insistens, astu calliditatis scaturriens, contendit lacessire quietos. At contra repugnant ducibus iniusta molientium agmina supernarum virtutum, quin immo longe portendunt scutum sanctae repulsionis inlustrium defensio patrum, concordia canonum, auctoritas et victoria excellentissimorum antistitum, per christiani nominis limitem in theoria magnifice vulgatorum, verbo ac doctrina caelos contingentium. In hoc forti congressu non ferent vexilla tyrones nec fatigata brachia efferent emeriti senes, sed delecta viribus iuventus, id est in fidei Christi perfectissimis utentes sensibus, ex omni parte armis sacrorum dogmatum munita corpora mentesque ferentes, inclyta lacessient bella et Domino favente victores existent. Lege autem triumphantis peracto certamine, dum lassatis quasi membris refrigerium subministrabit Spiritus sancti afflatus, potiti voto gloriosissimi milites et ob agoniam eximie laetantes, ad caelos porrigent conspicuos vultus, regi regum dominatori suo laudis praeconia acclamantes: 'Dominus fortis et potens, Dominus potens in proelio'. Ps. 23, 8.
Et: 'Dominus virtutum ipse est rex gloriae'. At vero exhilaratus pater totius ecclesiae, ib. 10.
apostolicae scilicet sedis beatissimus pontifex, cum Paulo apostolo erigens in excelsis caput, haec verba protectori Deo sollemniter personabit: 'Dominus autem mihi astitit 2. Tim. 4, 17, 18.
et confortavit me, ut per me praedicatio adimpleatur et audiant omnes gentes; et liberatus sum de ore leonis. Liberavit me Dominus ab omni opere malo, et salvum faciet in regnum suum caeleste, cui sit gloria in saecula saeculorum. Amen'.

23.

I.

Ludowicus II imperator Adonem Viennensem archiepiscopum rogat, ut Bernarium, Lotharii regis clericum, episcopatui Gratianopolitano consecret. *869.*

Cod. Parisinus 1452 (Colbert. 449) s. IX liber oblatus ad altare sanctae Mariae Anitiensis ecclesiae dono Adelardi eiusdem sedis episcopi *fol. 196', de quo cf. Maassen, Sitzungsber. der philos.-histor. Cl. der Wiener Akad. LIV, 184—187; descripsit Bethmann b. m.*

Edd. Sirmond, Concilia Galliae III, 376, Bouquet, Recueil VII, 572; cf. Mühlbacher, Reg. 1208.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI DEI ETERNI LUDOWICUS DIVINA ORDINANTE PROVIDENTIA IMPERATOR AUGUSTUS ADONI VENERABILI ARCHIEPISCOPO[1] SALUTEM.

Amantissimus et desiderantissimus frater noster Lotharius nostri desiderii causa ad nos veniens[2] nosque in Beneventanorum regno nostro requirendo visitans, rogavit nostram mansuetudinem, ut cuidam suo clerico Bernario nomine episcopatum Gratianopolitanum concederemus, quod et nos benignissime fecimus. Idcirco monemus sanctitatem tuam, ut si dulcissimus frater noster eundem praedictum clericum ad te miserit

---

22. a) ordinatur *c.* b) conquaer. *ex* conquer. *corr. c.* c) inertiam *c., corr. Tr.*

1) *a. 860—875, cf. supra p. 102.* 2) *De Lotharii II itinere Italico Iunio mense a. 869. suscepto cf. Dümmler, Gesch. des Ostfränk. Reiches II, 273.*

869 ordinandum, mox voluntati ipsius dulcissimi fratris nostri oboedias certus de nostra concessione: ut in Grationopolytana ecclesia ordinetur episcopus. Credimus enim eundem clericum nobis fore fidelem, quippe cum omnia nostra fratris nostri sint et omnia ipsius nostra. Vale.

II. Idus Iulii acceptae.

II.

Lotharius II rex postquam cum imperatore et Hadriano papa convenit, Adoni Viennensi archiepiscopo iubet, ut Bernarium clericum fidelem suum episcopatui Gratianopolitano consecret, sicut antea iam praeceperat. Apud Sanctum Mauritium in reditu suo ei occurrere vult. *869.*

Cod. ut supra.

Edd. Sirmond, Conc. Gall. III, 377, Bouquet, Recueil VII, 571; cf. Mühlbacher, Reg. 1289.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI DEI AETERNI LOTHARIUS DIVINA ORDINANTE PROVIDENTIA REX ADONI VENERABILI ARCHIEPISCOPO FIDELI NOSTRO SALUTEM.

De itinere nostro scias, quia prospere ad carissimum imperatorem fratrem nostrum pervenimus et cum apostolico Hadriano nostram causam tractavimus[1], quam[a] suo tempore vobis et aliis fidelibus nostris manifestabimus. Nunc interim mandamus, ut scias, quia Bernario fideli nostro consentiente hoc ipsum imperatore fratre nostro episcopatum Gratianopolytanum datum habemus, hunc, cum venerit ad vos, sicuti nobis fidelem recipite ac in Gratianopolytana sede episcopum ordinate. Iam enim vobis per venerabilem archiepiscopum Remigium[2] et inlustrem comitem Gerardum[3] de eodem ipso clerico praeceperamus, qui vos inde monerent ac voluntatem nostram vobis inde aperirent.

Valete et obviam nobis venite ad sanctum Mauricium.

Kal. Aug. Viennae accepta.

III.

Karolus rex Adoni Viennensi archiepiscopo iubet, ut Bernarium diaconum, quondam Remigii archiepiscopi tum Lotharii regis, episcopatui Gratianopolitano consecret. *869.*

Cod. et Edd. ut supra; Bouquet, Recueil VII, 560, Migne, Patrol. CXXIV, 875—876.

KAROLUS REX ADONI VENERABILI ARCHIEPISCOPO NOBISQUE CARISSIMO SALUTEM.

Per Odonem et alios fideles nostros voluntatem nostram vobis aperuimus. Inde cum ad nos veneritis, cerciores vos reddemus. Mandamus fidelissime sanctitati vestrae, ut sciatis, quia cuidam clerico, diacono olim venerabilis archiepiscopi Remigii et postmodum cari nostri Lotharii nepotis, ita concessimus Gratianopolitanum episcopatum, ut vestro iudicio, si canonice probaveritis, ibi vestra sanctitate ordinetur episcopus. Non enim diu sine episcopo oportet[b] eundem ipsum esse episcopatum. Vos enim scitis inde satis canonicam auctoritatem: quicquid enim ibi neglectum fuerit, vobis sine dubio a Domino imputabitur, qui disponere et ordinare, etiamsi dilectus[c] nepos noster in alia intendens praeterit[4], ne populus Dei pastori carens oberraret, ipsum episcopum et

---

a) quaem *cod.* b) orportet *cod.* c) delectus *cod.*

1) *Kal. Iulii in monte Cassino cum papa convenerat, cf. Hincmari ann. 869, ed. Waitz p. 99.* 2) *Lugdunensem 852—878.* 3) *Viennensem, de quo cf. supra p. 72 n. 6. 102.* 4) *Lothario II rege die 8. Aug. mensis Placentiae defuncto Karolus ante diem 23. huius mensis de hac re certior factus Lotharingiae fines adiit, unde haec epistola, cum die 26. Sept. m. demum Viennam venerit, vel nimis tarde missa sit oportet vel Karolus mortem nepotis nondum cognovisse finxit, quam iamdiu cognitam habebat; cf. Dümmler, Gesch. des Ostfränk. Reiches II, 281—282.*

episcopatum ac omnia ipsius ecclesiae debuistis. Vobis enim et omnibus episcopis suis omnem ecclesiam suam Christus deus noster commisit, cui et nos in omnibus venerabiliter subdi oportet, ut, cum vos quae illius sunt inpigre perfeceritis, sine dubio apud illum pro nobis regnoque nostro fidentius intercedere vos non dubitemus. c. 865—870

Valete et in orationibus vestris nostri memores semper sitis.

Accepta VI. Kal. Octobris.

24.

Christianus sacerdos monachis monasteriorum Stabulaus et Malmundarii evangelium Matthaei secundum historicum sensum se exposuisse indicat, evangelia Iohannis et fortasse etiam Lucae se expositurum pollicitus. Monachorum mores admodum laudat.

c. 865—870.

Codd. Vindob. 724 (Theol. 122) s. X f. 1—2 (V), Monacensis (quondam S. Emmerammi) 14066 s. X f. 1—2 (M), Cheltenham. 1148 (quondam Codex monasterii sancti Michaelis prope Babenberge*) s. XI f. 1'—2', quem contulit Hampe (C). Extat etiam in cod. Parisino S. Genovefae 71 s. XII f. 49, cf. Catal. de la bibl. de Ste. Geneviève I, 50.*

Edd. Christiani Druthmari expositio in evang. Matthaei ed. Wimpheling, Argentor. 1514, per Menr. Moltherum, Haganoae 1530; Bibl. patr. Paris. (ex Wimphelingio) a. 1654. XVI, 277; Bibl. max. patr. Lugdun. XV, 86—87; Migne, Patrol. CVI, 1261—1263.

VENERABILIBUS IN CHRISTO[a] PATRIBUS IN COENOBIIS SANCTI PETRI PRINCIPIS APOSTOLORUM COGNOMINIBUS STABULAUS[b] ET MALMUNDARIO[c] DEO MILITANTIBUS ET AD FELICIORA TENDENTIBUS VESTER FIDELIS FAMULUS[d] CHRISTIANUS INDIGNUS SACERDOS[1] PRAESENTIS AEVI PACEM AC PROSPERITATEM FUTURI[e] AETERNAEQUE[f] BEATITUDINIS IN SPLENDORIBUS[g] SANCTORUM CUM REGE REGUM ARBITRO[h] SAECULORUM OPTAT SOCIETATEM.

Quia[i] verba sonando transeunt et[k] transeundo deficiunt, necesse est[l] alligari literis verba, quae aliquid utilitatis habere videntur, ut desides et frivoli cum perfectione[m] studere voluerint, abiecta vanitate inveniant iterum unde ammoneantur, quod aliquando iuvenili more citata aure surdaque transierunt. Nam quia perspexi iuvenibus vestris[n] post expositum bis textum evangelii Mathei oblivioni habere, statui apud me ipsam expositionem eo tenore literis mandari[o], quo coram vobis verbis digessi. Et si aliquis requirit, quare post beatum Hieronimum hoc ausus fuerim agere[p], respondeo, quia perspexi beatum Hieronimum multa verba[p] quasi levia praeterisse et parvulis sensu[q] difficilia reddidisse. Idcirco quod mihi aliquando difficile visum fuit facile volentibus[r] scire reddidi[s]. Et[t] usus loquendi melius intellegitur de his, qui[u] de eadem provincia sunt, quam aliquid[v] depravate[w] usi[x]. Habet[2] enim unaquaeque provincia morem proprium loquendi, quem[y] alia non habet, et ideo suavius auditur.

Aperta quoque locutione id[z] ipsum contextum digessi, quoniam stultiloquium est in expositione alicuius libri ita loqui, ut necessarium sit expositorem ipsius exposi-

---

24. a) Dominis et *pro* in Christo *Mo.* b) Stabulariis *Wimph.*, Stabulensis *Mo.* c) Malmundariensis *Mo;* sedula devotione *pro* et Malm. *W.* d) *om. C.* e) *om. C,* futurique *V, Mo,* futuraeque *W.* f) aeternae *V, W.* g) spend. *C.* h) arbitre *V, Mo.* i) Omnia *W.* k) *hucusque uncialibus scr. in C.* l) igitur *add. W.* m) perfectioni *W.* n) nostris *W.* o) mandare *Mo.* p) *om. C.* q) parvuli sensus *M, W.* r) valentibus *W.* s) reddidit *M, W.* t) Quod *Mo.* u) quę *V, M.* v) de aliquo *W.* w) depravatę *V, C,* depravati *M, W,* depravatus sit *Mo.* x) usus *Mo;* quam ab his qui de longinquis *pro* quam — usi *C.* y) quae *V, Mo,* quę *M.* z) *om. W.*

1) *Sigebert. de SS. ecclesiast. c. 72 (Miraei Bibl. eccles. p. 141):* Christianus ab Aquitania in Galliam veniens nomen suum scribendo notificavit. *Druthmari cognomen, quod Trithemius ei addidit, ab eo fictum esse videtur, cf. commentationem meam 'Ueber Christian von Stavelot', Sitzungsber. der philos.-hist. Cl. der Berliner Akad. a. 1890 p. 935—952.* 2) *Cf. Hieron. in evang. Matth. L. IV c. 27 Opp. VII, 225.*

c. 865—870 tionis quaerere. Eo enim modo quis loqui debet ad alium, si vult verba sua ab[a] illo
cf. Act. 21, 37. intellegi[b], quo ille[c] loquitur. Sicut beatus Paulus apostolus dicit: 'Si esses Graecus, Graece tibi loqui deberem'. Ad illum[d] verbum Graecum, ad illum[d] verbum Latinum. Studui autem plus historicum[e] sensum[f] sequi quam spiritalem[g], quia inrationabile[h] mihi videtur spiritalem[g] intellegentiam[i] in libro aliquo quaerere et historicum[k] penitus ignorare, cum historica[l] fundamentum omnis intellegentiae sit et ipsa primitus quaerenda et amplexanda, et[m] sine ipsa perfecte ad aliam non possit transiri. Ego vero nulli nolenti ingero[n] aut legere aut habere hunc librum, sed[o] qui voluerit. Et[p] si aliquis hunc detestatur, ordinet meliorem, et ego voluntarie ipsum suscipio. Nam iste nihil[q] ulli nocet. Amicis in hoc facto parui, inimici mea voluntate non tangent[r], ne forte de bono emulationes fiant.

Si ergo videro, quod vobis hoc primum factum placeat, ad evangelium Iohannis manum mittam, quia Augustinus aquilam sequens, id est beatum Iohannem, qui aquilae assimilatus[s] est, cum ille ultra nubes, iste prope nubes incedit[t]. Propterea parvulis sensu necessarius est humilis et terrae[u] gradiens expositor, ut possint intellegere[v] quod ille quasi omnibus notum relinquat[w] intactum. Nam in Marco non est necessarium manum mittere post beatum Bedam. In Luca quoque audio post sanctum Ambrosium eundem Bedam manum[x] misisse, sed non potui invenire[y] adhuc in toto eius expositionem[z], nisi quasdam[a] eius homelias[b]. Si vero nec invenero et vestrum omnium cohortatio adfuerit[c], et in hoc quoque laborare temptabo, si tamen gratum vobis fore speravero.

Supra enim omnes homines vestra mihi gratior[d] est sotietas, quia est sincera et absque dolo, et quam Deus docuit sanctique eius apostoli tenuerunt[e] ac posteris tenendam[f] tradiderunt. Non enim est fel amaritudinis in vobis neque zelus iniquitatis, sed fides firma, caritas inviolabilis erga Deum ac[g] proximos. Et[h] licet rebus terrenis egentes sitis[i], virtutibus tamen repleti estis, ita ut qui vos perfecte agnoverit, ulterius dilectione[k] a vobis non[l] posset separari. Sed si modico tempore vobiscum[m] moratus fuerit, pro certo intelleget[v], quia Deus cohabitator vestri[n] sit[o] et Spiritus sanctus regat[p] opera vestra. Neque enim habitabit diu malus inter vos neque permanebit
cf. Prov. 17, 3. in consortio vestro. Quia sicut aurum et argentum in camino probationis sordes abitiunt, ita et qui inter vos venerit, aut desinet a malo opere, aut certe alienus efficietur a consortiis vestris. Qui namque[q] inter vos conversantur, non multum mirantur[r], si plurimi sancti in his monasteriis probabiles fuerunt, sed pro certo experiuntur[s], quia qui apud vos non est bonus, sine dubio nusquam alicubi erit, quo-
Matth. 10, 16. niam vos estis qui veraciter[t] audistis vocem Domini dicentis: 'Estote prudentes ut[u] serpentes et simplices ut[v] columbae'. Et[w] si reges et principes atque vulgaris populus vos veraciter[x] agnovissent, ut veros Christi discipulos amarent, supra[y] omnes homines venerarentur ac[z] diligerent.

Christus custos vester, qui coepit vos custodire in secula, concedat in concoepto bono opere permanere usque ad finem vitae vestrae[a].

---

a) intelligi ab illo *C.* b) *corr. in* -ligi *M.* c) cui ipse *pro* q. i. *W.* d) alium *Mo.* e) istor. *corr. in* hist. *V, M.* f) quam spir. sequi sens. *C.* g) spirital. *superscr.* u *M.* h) in- *superscr.* r *M.* i) intelleg. *corr. in* -lig. *M,* intellig. *C passim.* k) h *superscr. V.* l) historia *M, W.* m) cum *Mo.* n) iussero *W.* o) sed qui vol. *om. C.* p) Quod *Mo.* q) nulli *pro* nihil ulli *C.* r) tangunt *C.* s) assimulatus *M.* t) incędit *M.* u) terra *C.* v) *corr. in* intellig. *M.* w) relinquit *C, W.* x) manus *M.* y) in toto eius inv. adh. *C.* z) tota . . . . expositione *M, edd.* a) paucas *C.* b) omel. *C,* hom. h *eraso M.* c) *corr. in* affuerit *M,* affuer. *C.* d) est grat. *M, W.* e) tenuere *W.* f) tenenda *V, C, Mo.* g) et *Mo.* h) Quod *Mo.* i) *corr. e* scitis *V.* k) a vob. dil. *C.* l) separ. non poss. *C.* m) quis *add. W.* n) vester *M, W.* o) est *Mo.* p) regit *Mo.* q) nanque *C.* r) mirentur *W.* s) experientur *W.* t) veratiter *V, M.* u) sicut *C.* v) sicut *C, W.* w) Quod *Mo.* x) veratiter *corr. in* -citer *M.* y) enim *add. et del. C.* z) ac dilig. *om. C.* a) Incipiunt capitula de evangelio secundum Matheum *sequitur in V, M, C.*

25.

I.

H. monachus quidam L. episcopo gratias agit ob pietatem per Gerbaldum Cavillonensem episcopum ei significatam. Ut apud (Karolum) regem pro se intercedat precatur. 860—870 *post 863.*

Cod. Escorialensis Vitruvii f. III 19 saec. X—XI fol. 85', quem Knust b. m. et Bruno Violet V. Cl. descripserunt. Fusius de eo egit Löwe, Sitzungsber. der philos.-hist. Cl. der Wiener Akad. CXII, 180—181. Ed. Dümmler, Neues Archiv XXV, 189—191.

SEMPER DOMINO SEMPER PATRI L.[a] EPISCOPO OMNI PRAECONIORUM GENERE EFFERENDO H.[b] SUUS.

Quo[c] magis vivo, unde magis sim vobis obnoxius, in dies invenio. Nec quicquam est, quo me magis urgeri[d] sentiam[e], quam ut me hoc gravatum onere[f] divinis retributionibus exorandum dedam. Corsum[g] istud? Ut noveritis certissime, quanto exilior est humana possibilitas, tanto vobis propensius alias praemium reservari[h]. Quod domno Gerbaldo episcopo [1] litteris significatum accepi de vestra in me semper prona pietate, summa in memet gratulatione conplexus sum, parendumque vobis quam mortalium alteri animo induxissem, nisi frustra[i] saepe conatus repulsam exitiabilem pertulissem. Gratuite itaque pietati vestrae gratias inexplicabiles et ago et habeo et vestrae . . .[k] nomen[l] adeo apud me valere profiteor, ut absque etiam temporalis inpensa benefitii, si daretur copia, vestra me sola praesentia delectaret. Nunc vero adeo obseptus sum partim regis[2] imperio huic terrae assidue et capitaliter imminenti, partim inflexibilis, ut nostis, senioris mei[3] rigore, ut ne pedem quidem usquam efferre liceat. Ita uterque nichil relevans, plurimum gravans, extremae desperationi[m] miserum adduxerunt. Nec puto me modis omnibus hinc posse regredi, donec adulta aestas praecipiti cedens laboribus nostris levaminis quiddam ferat. Nisi forte vestra dignatio quippiam comminisci posset, quod pro me regi ad vos ventum suggereret. Interim certe quasi vobis vestrisque[n] fruens, totum me vestrae fidelitati transscribo, fidens semperque fisurus aeque de vobis, tametsi terrarum et maris immanitas spem vestrae visionis nullarum rerum magis cupido abnegarent, venientem tamen quandoque[o] ad vos solitae credo dignationis[p] gremio excipietis.

Hac spe subnixus patrem et dominum opto valere et praevalere perenniter.

II.

S. Medardi Suessionensis congregatio apud Karolum (Calvum) regem de violentiis a Karlomanno abbate filio eius sibi inflixis queritur. *860—870.*

Cod. et ed. ut supra.

PRAECELLENTISSIMO ET CUM[a] POTESTATIS, TUM ETIAM PIETATIS INSIGNIBUS RADIANTI, DOMINO NOSTRO K[AROLO] REGI DEVOTISSIMA BEATORUM MEDARDI ET SEBASTIANI CONGREGATIO FIDELES ET CONTINUAS ORATIONES.

Sicut munificentiam vestram erga nos extollere et dignis laudum praeconiis satis accumulare non sufficimus, ita contra violentias improborum et illata dispendia vestram

---

25. I. a) L *superscr.* b) $\overline{\text{h}}$ *C*, servus *addidit Knust.* c) *post* Quo *rasura.* d) orgreri *C.* e) sententiam ten- *del.* f) honere. g) *i. e.* quorsum. h) *corr. ex* reservare. i) frusta *leg. Violet.* k) *in C lacuna nulla, sed* excellentiae *vel simile quid deesse videtur.* l) Nmen *C.* m) *corr. ex* desperatione. n) nostrisque. o) que *superscr.* p) dictionis na *superscr.*, dilectionis *corr. Knust.*

25. II. a) si *corr. ex* iam *leg. Löwe.*

1) *Cavillonensi v. Gallia christ. IV, 876—877, qui primo a. 864. Iunio mense commemoratur in charta episcoporum Autissiodori monasterio S. Germani data (Dachery, Spicil. II, 591; Quantin, Cartul. de l'Yonne I, 87), postremo in Karoli III praecepto die 12. Iunii mens. a. 885. dato (Mühlbacher, Reg. n. 1656) cf. etiam Capitul. reg. Franc. II, 349. 369.* 2) *Karoli Calvi (840—877).* 3) *Karlomanni fortasse abbatis S. Medardi, de quo altera epistola agit.*

c. 850—868? clementiam adire, defensionem implorare, suffragium poscere summa et inevitabili necessitate coartamur. Itaque quod numquam vel induxeramus animo vel optaveramus[a], magnitudine malorum addicti[b] adversus filium vestrum, seniorem nostrum K[arlomannum][1] eiusque sequaces pro innumeris, quas nobis intulere, violentiis[c] querelam vix explicabilem agitare compellimur. Postquam enim vestrae pietatis largitas nostrae parvitatis usibus villas[d] villarumque reditus suae praecepto maiestatis concedere pariter et delegare[e] dignata est, quod quidem vel inmanissimum vel gravissimum extitit, non aliter a supra nominato seniore nostro obtinere potuimus, ut praecepto vestrae altitudinis in reddendis villis adquiesceret, nisi ex tesauro ecclesiae, quo nostras[f] .....

26.

I.

Anonymus (Godescalcus?) episcopum quendam a libello mendoso dehortatur praedestinationis doctrinam contra eum tuitus[2]. *c. 850—868?*

Cod. Lugdunensis Batavor. Vossianus lat. oct. 88 saec. IX fol. 18'—25, quondam ex libris Petri Danielis Aurelii, descripsit Wattenbach b. m.

Ed. Dümmler, Neues Archiv XIII, 345—357. 648—649.

Apoc. 20, 13. Cum enim praemitteret sanctus Iohannes apostolus dicens: 'Et iudicata sunt
ib. 14. singula secundum facta sua', breviter subiuncxit, quemadmodum fuerint iudicati: 'Et mors et infernus', inquit, 'missi sunt in stagnum ignis',

Quo ne tu missus doleas nec temet abyssus
Involvat, totis caveas, deposco, medullis,
Atque scias utinam, quantum, carissime, plangam
Ob tale scriptum, quod habetur, sit quasi[a] dictum
Ipsius ore Dei, pro quo [olim] iurgia[b] novi
Facta, sed et fieri non cessant climata mundi
Per diversa, mihi sicut dixere periti,
Ipse vel audivi passim, letalia fundi[c].
Hinc ego lamentor, hinc te modo cernuus hortor:
Emendato tuum, velud esse necesse libellum
Cernimus, ante Deum ne sis damnatus in aevum[d],
Antestabis eum pudibundus quando, benignum
Electis vultum praebentem; hinc quoque multum.
Flagito te denuo: Miserere tui pius ultro,
Ne tunc, quando voles, nequeas, hos per modo soles
Est operae pretium patrare quod: ergo supernum
Perspice iudicium neque sit pudor hoc ad agendum,
Sis licet antistes; quin immo, quod esse superstes
Cerneris hoc ad opus, Domino grates age pronus,
Acceleraque viam devote demere culpam,
Quatinus hinc veniam valeas adipiscier, ut iam
Non sibi displiceas, est cuius ubique potestas

---

a) *corr. ex* operaveramus. b) *an* adducti *legendum?* c) violentis i *superscr.* d) -las *in ras.* e) -le- *in ras.* f) *an* necessitates *supplendum?*

26. I. a) quale *C.* b) quo iuria *C,* olim *add. Traube,* iam *P. v. Winterfeld,* iurgia *corr. Wattenbach.* c) letalia fandi *corr. Traube.* d) *corr. ex* evum *C.*

1) *abbatis 860—870, qui propter rapinas et violentias depositus est.* 2) *Hunc anonymum Godescalcum monachum fuisse Traube et ex metro et ex argumento sibi persuasit.*

Quos vult pontifices damnare[a] perinde nocentes, c. 850—868?
Quosque cupit superis conectere civibus ipsis.
Inter eos nitide iugiter merearis ut esse,
Quo fervore velim, si nescis[b], promere possim,
Et puto, si fatear, tanto vix a patre credar.
Conscius in celsis tamen est et in aethere testis,
Qui scit inesse tui de se mihi pignus amandi.
Perspice, quae Domini dederit tibi gratia nostri
Unius et trini, excepit cum temet ab [aevi][c]
Auspiciis teneri. Reminiscere, quanta volenti
Ire per abrupta obstiterit pietate paterna,
Abstuleritque tua ignoscens puerilia multa,
Contuleritque sua spirans in te sacra dona,
Gratis, non merito, carismata larga serendo,
Fontis opima sui potare fluenta clienti
More sibi solito gratis concessit et ultro.
Cui de parte tua modo talia sunt retributa,
Inficieris uti, quod perditionis alumni
Non sint praefixi sub tartara praecipitandi,
Cum constet missos et eo iam praecipitatos;
Ut legimus patulo credentes pectore toto:
Gratis ut electos paradisi in luce locatos,
Sic merito reprobos in abyssum scimus adactos[d].
Figulus ipse luti ceu vult facit. Ecquid[e] iniqui Rom. 9, 21.
Murmur figmenti praesumit ad ista reniti?
Ast ego praescitos fateor divinitus ipsos
Ad facienda malos proprio probra velle futuros;
Hinc praedamnatos[f] in abyssum praecipitatos
Regis iudicio superi probo sat quoque iusto.
Tu tamen econtra peribes his esse parata
Tantum tormenta, existant quasi non et in ipsa
Hii praefiniti[g], praefixi praeque parati,
Cum praedamnati, praemissi, praecipitati
Credantur plane, cognoscantur manifeste,
Probentur[h] clare seu convincantur aperte.
Quisquis habet visum, non tantum cernit id[i] ipsum,
Insuper exclamat, quod sic est nec secus extat,
Increpat, ingeminat, testatur et hoc ita monstrat,
Certius esse quasi nil umquam quiverit ipsi.
Ac tu, qui summa specialiter esse sophia
Praeditus[k] effereris, minime sic esse fateris.
Haecine[l] nutrici sunt reddita seu genetrici
Praemia tam dulci? meruerunt haecine, fili,
Gratia gratuita et sapientia, mater opima?
Haec de parte tua capient, non altera dona?
Ista repensa sui cum liba tuentur alumni,

---

a) donare *C.* b) fervere . . . nescio *C, corr. Tr.* c) ad *(?) C,* ab aevi *corr. Traube.* d) adauctos *C.* e) Et quid *C, corr. P. v. Winterf.* f) *manu coaeva corr. in* predampnatos *C.* g) *corr. ex* prefinita. h) Probantur *C.* i) ad *C,* id *corr. Wint.* k) *corr. in* Praed. *al. man.* l) Hecine *al. man. corr. in* hęcine.

862—875

Laetanturne dolent, gaudent an his mage merent?
Vere causa sui non est hic tripudiandi,
Nec fuit ista tibi de se sors his redibendi,
Sed tamen in Domino, patre, prole ac flamine sancto,
Indubie[a] fido, quod iam carismate digno,
Munere quin largo deitas pia corriget ultro[b],
Quicquid ibi mendae[c] potuit humanitus esse,
Nil quia de proprio nisi menda tenetur; ab illo
Nato primorum sors haec de parte parentum
Restitit, haec superest, sed iam modo tempus ad hoc est,
Praeveniente[d] Deo, comitante, sequente benigno,
Arripiatur uti constantia libera libri
Nunc emendandi, datur hic dum stilla morandi
Temporis et fandi necnon sata prava putandi,
Quin evellendi nequam plantaria nostri
De medio campi: ramnus radicitus horti[e]
Sit[f] procul a nostri[g] areola, quoniam male multi
Ipsius incauti spinis heu sunt scio puncti,
Quos tu si nosti vix desinis ora rigari[h]
Uberibus lacrimis[1], quoniam, quod deterius his
Noscitur esse malis, delerant[i], sint quod opimis
Pasti deliciis potius, quam sunt ita dumis
Puncti, sicut eis perhibemus tristibus extis.
Dic illis igitur, cui credunt quemque fatentur
Auctorem horum velut utilium fore florum,
Vitalem pastum quasi spiritibus referentum. . . . .[2]

II.

A. quidam E. magistro de caritate sua erga eum et de mysteriis nonnulla praefatus quaestiones de Hieronymo Donato aliisque rebus addit, ad Teutbertum, L. et Isaac episcopos, Fulcoldum decanum mandata dat, Amandum adolescentem commendat, de episcopo a rege sine plebis electione creato quaerit, versiculos in ingressu refectorii parieti adscribendos mittit, libros ab eo commodandos per cursorem expetit, sanctimoniales duas in monte Laudunensi ab eo foveri vult. *862—875.*

Cod. et ed. ut supra apud I.

ULIXEO INTUITU SE REGENTI, SYRENARUM TRACTUS FACILI IMPULSU TRANSEUNTI, ADNULLANTI CHARYBDIN ET SCYLLEOS LATRATUS MODESTA SEVERITATE CALCANTI AC PER HOC IDEALI THEOREMATE CATHREDRALEM EPTADIN[3] IURE TENENTI REGENTIQUE IN APOTELESMATICEN, PERFECTAM SCILICET CONSUMMATIONEM, PLECTRA PHOEBEA, DOMINO VERE SANCTO ET DESIDERABILI DESIDERANDOQUE MAGISTRO E. A. VOTO PERPETE SUUS, QUADRIFORMEM AGONEM IN CYCLO PHENONIS[4], PEGASEAM SESSIONEM IN CIRCULO SOLIS GORGONEAMQUE PARTHENEN IN INTENTIONE VIRTUTIS USQUE AD BRAVIUM SALUTIS PERPETUAE ET GLORIAM FELICITATIS AETERNAE.

Dan. 10, 11. O vir desideriorum sanctorum Christoque amabilis, qui non sine multo detrimento luebas animam meam, quaeso te talem michi exhibere digneris iuxta energian, qualem verbis inedicibili nectare plenis ex ingenti es caritate pollicitus. Etenim ex parte

---

a) *corr. ex* Indubio *C.* b) ultra *C, corr. Tr.* c) mendę *sec. man. corr.* d) Praeven. *corr. sec. m.* e) orti *C.* f) Sic *C.* g) nostra *C, corr. Tr.* h) rogari *C.* i) deierant *C,* delerant *corr. Wint.* (= delirant).

1) *Cf. Aen. IX, 251:* lacrimis . . ora rigabat. 2) *Finis desideratur.* 3) *Cf. Martiani Capellae l. VII § 738, ubi de heptade veneranda agitur (p. 262 ed. Eyssenhardt).* 4) *Cf. Martiani Cap. l. VIII § 851:* nam Saturnum Phaenoea dicunt *(p. 315 l. l.).*

etiam hoc novi, quod iuste innumeris calamitatibus totus premitur orbis, cum pariliter 862—875
innumeris cavillationibus deditus sit minor materie mundus, unde et iusto iudicio Dei etiam gentilis poeta humano rubori, si tamen ita intellegeres, succenset, 'Nusquam', inquiens[1], 'tuta fides'. Et comicus[2] quasi quodam flagello corriperet, si audientes inveniret, dicens, ut bene nostis: 'Hic dies aliam vitam affert, alios mores postulat'. Ergo isto ductus forte tandem auxiliante Deo inveni, in quo fidenter quaerere quod utiliter expedit possimque repperire quod salubriter conducit. Est autem totum hoc 'fides, Gal. 5, 6.
quae per dilectionem operatur'. Estote igitur ductor, cultor et custos totius hominis mei, ne forte utens, quod absit, pessimo praeceptore me ipso exorbitem a tramite salutis et via veritatis. Scio namque huiusce dictum aequa lance perpensum[3]:

'Metiri se quemque decet propriisque iuvari
Laudibus, alterius nec bona ferre sibi'.

Revera siquidem potero dicere, quamdiu vixero, sicut quidam: 'Postquam vos novi, multum vos semper amavi', et ex me quidem circa vos hoc solum: quod enim amplius faciam non habeo. Ex vestra vero munificentissima benignitate erga me erit plurimum boni, si vestrae id sederit piissimae mansuetudini, ut sum omnino credulus. Adposuit itaque omnipotens Deus sua solita clementia michi virgam debitae correptionis et necessariae correctionis, cum vos michi proposuit et exterioris hominis exemplar atque interioris praefixo exemplo sidereum iubar. Ideoque, ut ipse experior, vix me ipsum potero cohibere, quin absentiam vestram amarissimis prosequar threnis, licet intelligibilis topos et qui recte perpensus solus est topus, minime patiatur absentiam, cum totus mundus exilio sit vere philosophantibus. Verum quia humanitas sibi respondet, si aequatur in hominibus pondus amoris, difficile tolerat eius absentiam sine ictu doloris.

Ut enim quadratur numerus numero et mensura mensurae, ita et pondus ponderi. Non autem effugit sensibilem speciem qualitas et quantitas, licet intelligibiliter vigere debeant in animo prudenti. Recolo hic siquidem dixisse vos, auditu comperisse ab venerabili A. magistro, in mysteriis numerorum constare musicam. Dixit quidem ille vir magnus, quod adiudicavit dicendum. Tamen si ita est, minime debemus ambigere, immo discere sicque docere, et grammaticam in mysteriis litterarum et dialecticam in mysteriis syllogismorum procedentium a generalissimis usque ad specialissima et rhetoricam in mysteriis argumentorum et geometricam in mysteriis linearum et arithmetricam in mysteriis numerorum non ad aliquid, ut in musica, relatorum, sed ad se tantum, necnon et astrologiam in mysteriis astrorum, quod multum est disserere et sui expositione librorum indiget magnitudine. Sed neque in quadripertita[a] philosophia mysterium aliter habetur, nisi discendo aut docendo. Quod si ideo debet taceri disciplina, quia est mysterium, ergo nullus erit discipulus cessante doctore ab officio linguae. Quomodo enim discent sine docente, sicut apostolus: 'quomodo autem audient sine Rom. 10, 14.
praedicante'? Quod si ei placuit, ut sic sentiatur mysterium discendi et docendi sicut credendi, tunc omnes artes fide sunt credendae, non doctrina discendae. Est autem mysterium secretum: quomodo autem sunt artes secretae, quae non solum definitae, verum etiam a multis sunt descriptae? Non est igitur secretum, quod est ab exordio diffinitum, discriptum et traditum. Si vero hic respondebitur, quia simile est fides, dicimus nos habere apostolum dicentem: 'Corde creditur ad iustitiam', non autem ib. 10.
corde credimus artes, sed disciplinabili mente discimus illas. Omnium enim intimorum intimus est Deus et omnium in visibilium invisibilis, cui soli videndo per fidem corda

---

26. II. a) quadriperta *C.*

1) *Verg. Aen. IV, 373.* 2) *Ter. Andr. I, 2, 18:* Nunc hic dies aliam vitam defert, alios mores postulat *(cf. supra p. 136. 137).* 3) *Aviani fabulae V, 1. 2 (Poet. lat. min. ed. Bährens V, 38).*

862—875 mundantur. Non autem est necesse fide purgari corda ad artes videndas; verum ipsis artibus purgatur Platonicus oculus, quo videatur creator omnium Deus. Non est igitur mysterium musica, sed doctrinalis[1] scientia quae abstractam desiderat[a] quantitatem, per quam quaeritur mysterium fidei, quo credatur per fidei meritum, donec videatur per ipsius fidei mirabile praemium invisibilis, immortalis et incommutabilis Deus.

Hoc autem dico, Deus scit, non docere affectans, qui nichil sum, sed discere cupiens in quod libentissime promtus[b] sum, neque pertinaciter refellens, sed humiliter quaerens. Quod si, ut dicere coeperam, qualitas et quantitas sibi etiam sensibiliter respondent, quanto amplius nichil minus etiam sensui subiacet amor, et qua parte non penitus a se valet excludere, quin metuat, cupiat et laetitiae dolorique succumbat. Ergo si apud vestrae sophiae gravitatisque celsitudinem ita se habent, obsecro, placeat vobis in his michi ferre solamen, et quoniam philosophari necesse est[2], et istud ferre necessarium erit, saltem in hoc vos ipsum reddatis michi quasi praesentem, ut per hunc latorem aut Terentium aut adnotationes in Genesim caeterosque Eptatici libros, prophetias et psalmos aut super sacrosancta evangelia sive super sacros canones[c], et rescribite ad omnia eo tenore, ut quicquid licet compendiose, tamen perperam dixi, placeat vobis fortius figere stilum. Intimatote etiam, qui sint illi eunuchi, quos, ut sanctus Hieronimus in expositione Mathei evangelistae dicit[3], faciunt deliciae matronarum, et quae sint primae definitiones canonum, quae secundae, quive sint psalmi plebeii, quos prohibent canones recitari in ecclesia, et qualiter cantetur apud vestrates
Eccli. 23, 6. in responsorio 'Domine pater', et 'animo' (vel 'animae') 'inreverenti et infrunito' (aut 'infronito' sive 'infrodito') antepenultimo acuto secundum doctrinam Iohannis Scotti. Quando nunc fui ad palatium Compendium, dixit michi Manno[4] ex nostri consultu, quid esset mechani, unde mechanica[d] ars, sed excidit a memoria. Precor igitur, ut rescribatis cum ea proprietate[e] [qua consuestis], quae sit, et quae sit vis mechanicae, et quid differant mechanica et mathesis.

Ceterum mitto quae iussistis, et precor multum, ut in quibusque expedire videritis, placeat, ut corrigatis. Si quid autem defuerit, ut potero illum adire, quem scitis, habere forsitan potero. Mitto etiam penulas adnotationum a Tetberto nobis carissimo commodatas eique per vos reddendas, recepto a vobis manu ad manum nostro libello. Mitto et brevicellos, quos praefato Teutberto iampridem dirigere volui, et precor ut legatis, et, si commodum duxeritis, illi dirigatis. Illa vero, in quibus eum consulebam, potius per vos cupio rescire. Nostras praeterea litteras L. episcopo mittere operae precium non duxi, non enim alium michi talem invenire potero brevem, sicut vestrum, in mei commendatione sermonem. Isaac vero episcopo[5], quales iussi facere horno, tales per vestram dignationem litteras mitto, et confido, quia super id, quod dico, de omnibus facietis et me litteris vestris eo, quo dixistis, tempore visitabitis, eoque vos tempore praestolabor comite vita.

VALETE, vivite et gaudete in Domino ad vota nostra et in[f] saecula, et meminisse vobis placeat Amandi adolescentis, quem quod propriis verbis vestrae magnitudini non commendavi, oblivio fuit in causa.

Quodsi alicui episcoporum obicitur a plebe, quod non sua electione, sed regis
cf. Ioh. 10, 1. et principum voluntate adeptus sit episcopalem cathredram ideoque non per ostium intrasse, et expectare clerum et populum, ut si occasionem fuerint consecuti, inde se

---

a) considerat *Is.* b) potitus *C*, promtus *corr. Wint.* c) *verbum deesse videtur.* d) mechania *C.* e) cum ea proprietate *aliquantulum detritum*, qua consuestis *aut tale quid suppl. Traube.* f) et in *bis script. in C.*

1) *Isid. Etym. II, 24, 14.* 2) *Tusc. l. II c. 1:* Ennius apud Ciceronem: philosophari est mihi necesse. 3) *L. III c. 19, Opp. ed. Vallarsius VII, 1, 146, cf. infra p. 186 n. 1.* 4) *De quo magistro, qui a. 843. natus, a. 876. presbyter ordinatus est, cf. Traube in Rhein. Museum für Philol. N. F. XLVIII, 284—289.* 5) *Lingonensi, 856—880.*

reclamare habeant, aut etiam minentur ei pro hoc interpellare Romani pontificis aures, quaeso vehementer rescribere praesentialiter, si qua sit inde canonica sententia, qua possit talis episcopus reddi a tanta formidine securus et tutus. (Istud in ultimo, et alia manu longum)[a]. 862—875

Vale, carissime, vale. Caeterum domno Fulcoldo venerabili decano dicatis, obsecro, implorare me sibi multam in caelo mercedem etiam pro eo, quod tanto sinu pietatis tantaque paternitatis benignitate me dignatus est non solum recipere, sed etiam benivolae caritatis amplexibus fovere. Enimvero fidelis ei eram ex voto, sed deinceps ero ex debito et, quamdiu vixero, habebit me tantillum, etsi non servitorem fidelem, quia non possum, attamen fidelem oratorem per quoscumque possum, si tamen dignabitur, et adimplere precor vicem meae devotionis et dilectionis apud ipsius celsitudinem. Deus scit, omni cum fiducia potestis eum, ut patrem piissimum, possidere. Inspector namque omnium novit, quia multa de vobis michi bona dixit, et quia illum semper audivi et pro tempore vidi studere bonitati, et in ea crescendo semper studet appropinquare Deo. Credo revera, nec vana fides[1], de illis unum esse, de quibus scriptum est: 'Qui sanctus est, sanctificetur adhuc'. Apoc. 22, 11.

Praeterea in ingressu refectorii, ubi cervi figuram ex utraque parte vidi depictam, visa est michi illa superscriptio quasi muta; non enim in aliquo vel audientes aedificat. Operae pretium duxi ob memoriam mei subiectos vobis mittere versiculos, ut vobis familiari veritatis tramite a vobis correcti et iudicio vestro forsitan probati scriberentur ibi, si forte placeret fratribus una cum domno decano, sub hora dumtaxat Cerbero depicto. Poterit autem istud esse, si forte vestro sederit sano consilio et adiudicaveritis non indignum quod dico. Alioquin, peto, deleantur et nemini res pandatur. Per omnia nempe et in omnibus credulus sum magnae et sincerissimae fidei vestrae.

Cerberus et cervus distincti pragmate verso
Humanum signant lapsum pariterque regressum.
Namque alter cedens tris sortes reddit ab urna,
Debita pandit et hinc operis quoque cordis et oris,
Atque triceps quod captat ovans sub lege vorandi,
Est mortis laqueus redigens in pulvere corpus.
Alter sed rediens cursu petit astra polumque,
Pascitur illa avidus, requiem sectatus in ipsis,
Inque caput simplex oculos defigere nitens,
Angues proturbat, donec sua iura reposcat. (Hii ex una parte.)

Pictor Apelleas cupiens aequare figuras,
Sub cephali[b] simplum varioque tricorpore cervum
E regione canis Cocyti stagna[2] tenentis
Finxit et in simili numero luctamen agonis
Longe dissimile et quanto celumque chaosque;
Ergo movens inhiat mortis tria Cerberus ora[3].
Haec, lector, dum posse subest, vitare memento[4]
Ac cervi de more fugax depelle venena
Serpentis[5], repetens rivum fontemque[c] salutis.
Christus ad haec virtus, cursus requiesque suorum. (Hii ex altera parte.)[d]

---

a) *haec a librario addita esse videntur.* b) *i. e.* κεφαλῇ *Traube.* c) fomemque *C.* d) Hii — parte *suppl. Traube.*

1) *Aen. IV, 12.* 2) *Aen. VI, 323* 'Cocyti stagna'. 3) *Georg. IV, 483* 'tenuitque inhians tria Cerberus ora'. 4) *Cf. Catonis dist. L. II, 13. IV, 7.* 5) *Cf. Isidor. Etymol. XII, 1, 18.*

862—875 Isti cursori impendite misericorditer aliquid pietatis, et praesenti negotio succurrite, obsecro, michi de canonibus adnotatis aut de eorum adnotationibus, et rescribite cum ceteris omnibus de causa episcopi in superiori diplomatis parte notati, et Terentium mittite aut Agellium[a] noctium Atticarum[1] aut Philonis Iudei historiam. Dicit beatus Hieronimus[2], triplex esse genus eunuchorum, et in medio ponit illos, quos captivitas facit vel deliciae matronales, et paulo post: 'et alii eunuchi, qui ab hominibus fiunt, quos aut philosophi faciunt aut propter idolorum cultum emolliuntur in feminas'. Ergo, precor, intimatote nobis ista, quae ideo hic posui, quia superius non totum posui, quod ignorabam. Donatus[3] praeterea dicit in verbo de formis: 'Nam et in his Greca lingua deficit', et ignoramus, qualiter deficiat. Similiter scemata dianoeas, quae dicit[4] ad oratores pertinere, nescimus qualiter sint, licet sciamus eadem esse nomine, quae sunt et lexeos, et si ipsa exempla, quae inserit, tantum debeant referri ad scemata lexeos an ad utrumque. Quod si ad utrumque, precamur dignemini pandere, et qualiter ipsum nomen, cuius est genetivus dianoeas, declinetur.

Quod superest: in monte sanctae Mariae[5] sunt duae sanctimoniales, quarum una est filia Balduini generi regis[6] et optimi satellitis, altera est mea consobrina, quas nunquam vidi, praeterquam modo. In quo primo colloquio obnixe me rogaverunt, ut apud vestram sanctitatem pro illis intercederem, ut eas dignaremini visitare, consolari, animare, docere, monere, et in omnibus, quae ad salutem pertinent, curam gerere. Ergo obsecro vos per mansuetudinem Christi, ut vice mea propter Deum illas dignanter suscipiatis, placeatque vobis exhortari illas ad omnia officia pietatis. Precatae sunt autem similiter super Burgardum illius monasterii praepositum, et, ut michi dixerunt, optimum in sua iuventute clericum, qui illis multa confert bona. Sed quoniam michi per omnia est ignotus, nescio qua fronte illum possim adire mea petitione. Igitur pari modo vos ut idoneum magistrum et verissimum efflagito, ut vice benigna eas illi adsignetis, referentes ei gratias de praeteritis bonis, quae illis est conferre dignatus, et postulantes de futuris, et hoc vice illarum, ne videantur ingratae, et mea, si ei servire possem. Indigent enim tanto adiutore et consolatore. Deus scit, non satior vobis scribendo eloqui, etenim quando vestram praesentiam merui, aures cordis valde necessarias habui. Iterum valete.

III.

H. quidam apud A. magistrum se litteris eius serius respondisse excusat eiusque indulgentiam implorat.

Cod. et ed. ut supra apud I.

REVERENTISSIMO ET PLURIMORUM PRAECONIIS CELEBRANDO A. MAGISTRO H.

Quid anxietatis, quid taedii, quid denique pudoris animo tulerim, postquam vestrarum me persequi contigit penita[a] litterarum, non facile mihi ipse extorqueo. Quibus

---

a) *i. e.* A. Gellium.

26. III. a) *Gl. marg.* interiora.

1) *Cf. supra p. 8.* 2) *Cf. supra p. 184:* 'Triplex genus est eunuchorum, ... alii sunt qui de matris utero sic nascuntur, alii, quos vel captivitas facit vel deliciae matronales. Tertii sunt qui se ipsos castraverunt' *etc.* 3) *Donati ars grammat. (Grammatici lat. ed. Keil IV, 381 lin. 28):* 'formae igitur sunt quattuor, nam et in his graeca lingua deficit'. 4) *Ib. (IV, 397):* 'sed schemata dianoeas ad oratores pertinent, ad grammaticos lexeos'. 5) *i. e. Laudunensi, qui mons Lauduni vocatur, cf. Flodoardi Ann. a. 951.* 6) *Ferrei, Flandriae comitis, cui Iudith, Caroli regis filia, a. 862. nupsit.*

cur non rescripserim, id in causa est. Distentum me serio rei familiaris negotio 862—875
laturarius vester repentino superventu oppressit, cum iam dies in vesperam pronior commearet. Dataque vestra ex parte salute[a], ac qui mittebantur quaternionibus mancipatis, id horarum superfuit, dum signo praenuntio vesperas peteremus, quas tunc quidem ob sanctae crucis insignem memoriam praeterisse iniurium videbatur. Quibus exactis ac repetito diversorio, ille quidem a nobis minime compertus est. Portarius eum abduxerat, nos vero propter imminentes vigilias festivae noctis curata humanitate cubitum discessimus, missarum a vobis teste Christo minime conscii litterarum, quod neque is quicquam se praeter quaterniones et penulas attulisse monstraverat nec nobis eosdem quaterniones, quibus abditae erant scaedae, eatenus[b] copia fuerat revolvendi. Cursor vester regressionis anxius antelucandum credidit, atque me quidem renitente ac saltem usque ad gentaculum distinere frustra conato, matutinus abscessit. Postridie eius diei cum libellos nostros scrinio componerem atque, quos mihi profecturo comites delegeram, secrevissem, quas miseratis scaedulas, vestris quaternionibus elapsae stupentis animum stimulis immanibus adegerunt. Et textus quidem earum serie inmodice sum allectus[c], meae vero tum inertiae, tum incuriae eotenus[d] pertaesus, ut paene impos animi sales Horatianae[e] facetiae[1] in me meamque desidiam fellita[f] dicacitate contorserim: 'O numerus tantum et fruges consumere nate'. Quippe impendio[g] veritus sum, nec adhuc vereri desisto, luculentissimum illum simplicissimumque pectoris vestri radium tanta mihi serenitate compertum, hoc quasi quodam simultatis[h] fomite offensum iri[i] atque nonnullam hic in me ansam patuisse calumniae[k], dum quod accidit non stolidissimae[l] mentis eludio[m], verum nequitiae reputabatur ac tumori. Cuius[n] apud amicos foedissimo inspergi nevo[o] quam capitaliter reformidem, solius eius nitor testimonio, qui id genus vitii cum in refugo angelo[p] puniendum, tum[q] ab philosophantium[r] quoque animis edicto censuit abdicandum. Eapropter censuram prudentiae vestrae susque deque ferre neutiquam[s] potui, quin in ipso paene meae profectionis articulo manum calamo inicerem atque (praeterquam audendum fuerat) viro undecunque facundissimo obtentu apologiae ingenitae[t] hebetudinis[u] atque inediae meae maciem impudentius publicarem. Quicquid ergo illud fuit, quod inter nos decus officii paene infecit, mea noxa, mea fuit inertia. Ego certe improvidus negotii, incautus periculi, ut in admisso reus, in satisfactionis quoque impendia[v] perinde sum paratus. Exonerate, quaeso, verecundiam meam et inusti[w] reatus notam ultro praeferenti indulgentissimum vos praebete, nec supercilio aut nequam oculo asscribite, quod ignorantia delictum constat. Sapientem quippe et probum quemque, ut fert priscorum sententia, dexteriora[x] potius sensisse decet. Credo vero, nec vana fides[2], quae nostra sunt, non verbis solum, verum operibus prope diem vos persensurum. Interim valetote votis amicorum ac nostris in dies successu iucundiore fortunatior[y].

---

a) salutate *C, corr. Traube.* b) *superscr.* usque tunc. c) *in marg.* delectatus, ab allego, id est aliquid cum delectatione intimo. d) *superscr.* eo usque vel in tantum. e) *corr. ex* horatio. f) *corr. ex* fellito. g) *Gl.* multum. h) *Gl. marg.* simultas. fictio *(?)* i) *Gl.* offensurum esse. k) calumniam *C.* l) stolidissime *corr. in* -mę. m) *Gl.* eludium ipsa delusio. n) Cui *C.* o) *Gl.* macula. p) angulo *C, corr. Traube.* q) cum *C, corr. Traube.* r) *abhinc prior manus.* s) ne *(in marg.* nec*)* ut quam *C, corr. Traube.* t) *Gl.* naturalis. u) *Gl.* stoliditatis. v) *Gl.* sumptus. w) *Gl.* impressi. x) *Gl.* meliora. y) *secuntur ead. manu scr.* Panteon omnium deorum. Politeia multorum vel plurimorum deorum. fonascus *(corr. ex* -iscus*)* medicina vocis. Monarchia singularis principatus et monarchus singularis princeps.

1) *Hor. Ep. I, 2, 21.* 2) *Aen. IV, 12.*

27.

866—876 *Vulfadus Bituricensis archiepiscopus et clericos et laicos dioeceseos suae de officiis exsequendis monet.* *866—876.*

Cod. Andegavensis 301 (292) s. X fol. 144'—148 post Hrabanum de institut. clericor., contulit V. cl. Delad'hone cf. Catal. des mss. des départ. XXXI, 292; Hist. litér. de la France V, 481.

Edd. Mabillon, Analecta vet. ed. 2 p. 100—102, qui alio codice nunc deperdito usus est; Migne, Patrol., CXXI, 1135—1142.

VULFADUS[a 1] ETSI INDIGNUS ATQUE PECCATOR GRATIA TAMEN DEI SANCTAE MATRIS BITURIGENSIS ECCLESIAE EPISCOPUS OMNIBUS CONSACERDOTIBUS ET COMMINISTRIS NECNON ET UNIVERSIS ECCLESIAE MIHI COMMISSAE FILIIS IN DOMINO SALUTEM.

Solliciti semper, karissimi fratres, de salute vestra et de periculo[b] animarum vestrarum, qui in ecclesia pastores vocamini et gregem Domini reficere et providere debetis, rogamus vos et obsecramus, ut in his, quae ad ministerium vestrum pertinent, iugiter meditantes[c] lucrum animarum vobis commissarum omni intentione quaeratis et custodias super populum Domini omni tempore habere studeatis. Officium ergo ministerii nostri est, ut utilia vobis et necessaria suadeamus[d] et proficua si possumus[e] ostendamus. Itaque, dilectissimi, providere debetis, ut quod nominamini esse contendatis. Sacerdotes vocamini: sancti et mundi esse et sacerdotium sanctum digne
Levit. 19, 2. tenere et frequentare studete, quoniam de sacerdotibus Dominus dicit: 'Sancti estote, quia ego sanctus sum dominus Deus vester'. Pastores appellamini: oves consignatas[f] sollicite regere et providere contendite. Speculatores nuncupamini: ut in altiori virtutum gradu sanctitate et intellectu vosmet ipsos erigite[g], ut carnalibus desideriis superatis[h] contra mundanos impetus et nequitias spiritales viriliter possitis pugnare. Fidem quoque rectam (quod est fundamentum omnium virtutum) corde firmiter tenete et ore praedicate et lectioni prout potestis adtentius[i] insistite ac meditari in scripturis sacris et divinis praeceptis contendite. Orationi et psalmodiae vigilanter incumbite, quoniam haec sunt arma, quibus diabolus vincitur et minister Christi in fide et bonis operibus solidatur. Praedicationis officium plebibus vobis commissis congruenter impendite et bene agentes ad meliora verbo et exemplo invitate. Pravos quoque et impios fortiter redarguite et repugnate, et seculares pugnas, minas atque terrores nullatenus formidate et potius Deo quam hominibus placere contendite et quod aliis praedicatis in vobis primo ostendite. Religionem et sanctitatem, castitatem atque munditiam prae omnibus habere corde et corpore studete, et[k] idoneos Christi ministros vos ipsos ostendite[l], ut exemplo sanctitatis et religionis ad servitutem Christi alios possitis instruere. Sicque[m] munditia et nitor sanctae conversationis atque omnes in commune virtutes in vobis resplendeant, ut, si minor est[n] in vobis doctrina quam deceat, munda et sancta conversatio subiectos vestros ad bene agendum informet, et quod verbo et praedicatione non valetis, exemplo totius bonitatis doceatis, quoniam et[o] cuius vita despicitur, restat ut eius praedicatio contempnatur. Caritatem fraternam amate et hospitalitatem diligite et per secularia negotia turpiter nolite discurrere, nec[p] videatur in vobis ministerium sacrum vilescere. Inreprehensibiles vos in omni conversatione et actu[q] exhibete, ne nomen Christi in vobis possit blasphemari. Quaecumque iniqua vel inhonesta aut certe periculosa in gregibus Christi vobis commissis, in potentibus et nobilioribus et in minoribus et pauperibus, in masculis sive in feminis conspicere et

---

27. [a]) *Lemma:* Sermo Vulfadi archiepiscopi. [b]) pretio *ed.* [c]) me ditantes *A.* [d]) suademus *ed.*, -demus a *suprascr. A.* [e]) possimus *ed.* [f]) consignatis *A.* [g]) erigere *ed.* [h]) superetis *A.* [i]) ardentius *ed.* [k]) ut *ed.* [l]) ostendere *ed.* [m]) Sic *A.* [n]) sit *ed.* [o]) *om. ed.* [p]) ne *ed.* [q]) acta *ed.*

1) *Vulfadus, clericus quondam Remensis, Karoli regis familiaris, cuius favore a. 866. archiepiscopus Bituricensis factus, sedit usque ad annum 876, cf. supra p. 102 n. 2.*

intellegere potestis, sine favore aut aliqua personarum acceptione ostendere eis con- 866—876
tendite; et unicuique peccata et iniquitates suas absque tarditate et neglegentia vel certe verecundia annuntiate, et de omnibus sceleribus suis consilium congruum eis praebete et scientiam Domini nobis omnibus comminantem per omnia formidate: 'Si Ezech. 3, 18, cf. 33, 8.
non annuntiaveris, inquit, iniquo iniquitatem suam, animam eius de manu tua requiram'. Et item: 'Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem' et cetera. Penitentibus etiam Isai. 58, 1.
qui vagabundi per secularia negotia discurrunt, quasi nihil mali gesserint, pericula[a] sua ostendite et, ut in uno loco morantes, dignos penitentiae fructus facere[b] commonete, cf. Luc. 3, 8.
annuntiantes eis verissime, quod paenitentiam et militiam secularem pariter non possunt agere.

O vos quoque, laicalis ordinis viri, monere desidero et annuntiare vobis ea, quae ad salutem vestram pertinent, cupio, quoniam periculum animarum vestrarum valde formido et pro vobis omnibus rationem Deo redditurum me esse cognosco. Sunt namque vicia et peccata, per quae diabolus mortales seducit et decipit et[c] ad hoc assidue laborat, ut eos secum ad infernum demergat[d] et morte perpetua damnet, id est cupiditas, superbia, homicidium, adulterium, sacrilegium, fornicatio, rapina, periurium, falsum testimonium, invasiones rerum ecclesiasticarum, oppressiones pauperum, infractiones ecclesiarum[e], dehonorationes sacerdotum, iuramenta illicita, maledictiones pessimae, conspirationes iniquae, detractiones, susurrationes, discordiae, invidiae, odia, ebrietates, inhonesta lucra, iudicia iniusta, mensurae inaequales, amicitiae per sacramentum promissae et violatae, res ecclesiasticae ab ecclesiis subtractae et in proprias redactae, decimae[f] et nonae ab ecclesiis, quibus debitae sunt, subtractae et multa alia quae Dominus et redemptor noster prohibet et diabolus hostis et inimicus noster suadet. Haec vero vitia et peccata in tantum sunt gravia, ut, cum instigante diabolo perpetrantur, homines a Deo separent et hereditatem caelestem ac vitam perpetuam auferant et facientibus inferni flammas et cruciatus adquirant. Et ideo, dilectissimi filii[g], obsecro, ut recurrat unusquisque ad conscientiam suam et diligenter requirat, qualis sit vel quae[h] in pueritia, in adolescentia, in iuventute, et[i] in omni aetate sua gessit; et si quis se homicidam, adulterum, sacrilegum, fornicatorem, periurum aut falsum testem viderit, ad Deum et matrem ecclesiam confugium faciat, et confessionem puram de omnibus iniquitatibus suis sacerdotibus donet, et penitentiam suscipiat et verissime eam adimpleat; et quod inique gessit elemosinis, ieiuniis, orationibus, abstinentia et ceteris bonis operibus delere et redimere satagat, quoniam nisi hic, dum tempus et locum habet, emendare studuerit, regnum Dei testante apostolo habere non cf. Gal. 5, 21.
poterit. 'Nolite itaque[k], ait apostolus, errare, neque homicidae neque adulteri neque 1. Cor. 6, 9. 10.
sacrilegi neque periuri neque rapaces neque masculorum concubitores neque ebriosi neque maledici regnum Dei possidebunt.'

Monemus et eos, quorum dissensione et discordia haec regio vastata et multis miseriis afflicta et pene adnullata est, ut peccatum et iniquitatem suam recognoscant et quod[l] impie et crudeliter egerunt ad mentem semper reducant et sint eis omni tempore in lamentum et singultum et velamen oculorum suorum, et paenitere ea studiosissime contendant ac redimere se elemosinis, ieiuniis, orationibus et aliis operibus Deo acceptis satagant[m]. Similiter et eos, qui res ecclesiasticas quondam invaserunt aut modo sine voluntate eorum, quibus debitae sunt, retinent, ut resipiscant et penitentiam pro sacrilegio agant et Deo atque[n] ecclesiis, quas leserunt, satisfacere studeant. Eos quoque monemus, qui leviter plurima sacramenta iurant

---

a) peccata *ed.* b) faciant *ed.* c) decipit et *om. ed.* d) detrudat *ed.* e) oppressiones — ecclesiarum *om. ed.* f) pecuniae *ed.* g) fili *A.* h) qui *A.* i) *om. ed.* k) inquit *A.* l) quae *ed.* m) accepta satagat *A.* n) et *ed.*

866—876 et nomen Dei atque sanctorum eius in vanum assumunt vel sine reverentia male-
cf. Exod. 20, 7. dicunt, ut se ab hoc peccato abstineant et quod nimis odibile sit agnoscant, dicente
Eccli. 23, 12. scriptura: 'Vir multum iurans replebitur iniquitate et non recedit[a] de domo eius
1. Cor. 6, 9. lepra'. Et sicut supra dictum est: 'maledici regnum Dei non possidebunt'. Monemus etiam iudices, ut iuste iudicent et recta iudicia terminent et timorem Dei semper ante oculos habeant, scientes, quod et ipsi Deum iudicem habebunt et ipsi a Deo
Lev. 19, 15. Deuter. 17, 10. pro omnibus iudiciis suis, dictis et factis iudicandi sunt. Ipse enim praecepit: 'Nec accipias[b] personam pauperis nec honores vultum potentis. Non declines ad dexteram sive ad sinistram, iuste iudica proximo tuo'. Caveat etiam[c] unusquisque, ut falsum
Prov. 19, 5. testimonium nullatenus proferat, quia scriptum est: 'Testis falsus non erit impunitus'. Audivimus quoque duplices mensuras apud vos esse et maioribus ad emendum, minoribus ad vendendum uti[d]: quod, rogamus, ut corrigatis et iustam atque aequam
Lev. 19, 36. mensuram omnes in commune habeatis secundum praeceptum Domini dicentis: 'Sit tibi equus modius iustusque sextarius'. Ab usuris etiam vos abstinete, scientesque
Deuter. 23, 19. hoc non leve peccatum esse, cum dicitur[e] in lege: 'Ad usuram non fenerabis'. Negotiationes vero, quae in mercimoniis fiunt, sine sacramentis et periuriis[f] satagantur; et unusquisque caveat, ne fratrem suum aliqua fraude ibi decipiat. Ipsas vero amicitias nolite per sacramenta, sicut nunc usque aliquos fecisse audivimus, firmare, quoniam illud sacramentum numquam sine peccato poterit esse. Nullum etiam[g] sacramentum quisquam[h] alicui iuret, nisi seniori suo debitam fidelitatem secundum consuetudinem promiserit aut legalia et legitima sacramenta iuraverit.

Sacerdotibus vestris, sicut Dei ministris, debitum[i] honorem impendite; et si forte eos[k] in aliquo lesistis, satisfacere studete. Si vero et ipsi aliter quam decet egerint, nolite eos[l] detrahere, sed aut per vos ipsos, si potestis, illos corrigite, aut magistris eorum vel certe episcopo vestro ea, quae de ipsis veraciter scitis, humiliter nuntiate. Ecclesiam Dei, in qua baptismum accepistis, confessiones vestras donastis[m], penitentiam suscipitis, praedicationem auditis et alia percipitis unde salvi esse potestis, diligenter honorate et ad ecclesiam saepissime cum oblationibus vestris concurrite, ibique pro vobis orari rogate. Munera quoque pro ecclesiis dandis nullatenus exigete[n] et manere vel morari ibi cum uxoribus vestris nolite.

Conspirationes et coniurationes contra regem aut principes aut certe contra vos ipsos monemus ut nullo modo agatis, quoniam et hoc grave delictum et divinis atque humanis legibus valde prohibitum est. Detractiones itaque et susurrationes inutiles a vobis repellite et nolite ulterius eas ullo modo agere[o], quoniam, sicut scriptum est: 'Qui detrahit semet ipsum et audientes occidit'. Odium in corde nullo
1. Ioh. 3, 15. modo retinete, quoniam, sicut in epistola sua Iohannes apostolus ait: 'Omnis qui odit fratrem suum homicida est'. Invidiam et discordiam procul a vobis repellite, quoniam discordantium et invidorum oblationes et munera Deo non sunt accepta nec aliter oblationes nostrae in ecclesiis recipi debent, nisi prius a cordibus hoc verissime eieceritis. De elemosinis, quas egrotantes vel morientes proximis vel amicis commendant, rogamus vos, ut sic[p] fideliter ipsi, qui[q] ea suscipiant[r], distribuant, sicut ipsi volunt, ut et alii pro sè faciant; et agnoscant se, si bene egerint[s], remunerationem a Christo percepturos, sin[t] aliter, rationem Deo proinde reddituros[u]. Divinum ergo[p] iudicium terribiliter eos condemnat, qui aliorum elemosinas fraudant. Ita

---

a) recedet *ed.* b) accipies *A.* c) enim *ed.* d) *om. ed. lacuna relicta.* e) dicit *A.* f) periuris *A.* g) quoque *ed.* h) quisque *ed.* i) debitam *A.* k) illos *ed.* l) eis *ed.* m) donatis *ed.* n) exigere *ed.* o) agatis *A, sed in marg. infer. folii 148 repetuntur* quoniam et hoc — ullo modo agere *(om.* est *post* prohibitum*).* p) *om. ed.* q) quae *ed.* r) suscipiunt *ed.* s) egerunt *ed.* t) si *ed.* u) reddituris *A.*

enim in canonibus legitur: 'Fraudatores elemosinarum fratrum anathematizantur'. Si 866—876
qui[a] vestrum cognoscant[b] parentes suos de rebus ecclesiasticis abstraxisse aut per vim vel malum ingenium res[c] vel hereditates pauperum vel munus potentum[d] abstulisse et suis rebus iunxisse, misereantur, obsecro, animabus eorum et restituant ecclesiae quod illi[e] iniuste abstraxerunt[f], et reddant heredibus, quoniam illis iniuste abstulerunt[g], scientes verissime, quod, quamdiu ipsae res a se aut a quibuscumque aliis retentae fuerint, illi, qui hoc[h] fecerunt, in regno Dei hereditatem habere non poterunt[i].

Monemus etiam potentes, ut familias suas proprias vel certe ecclesiasticas[k] sibi commissas secundum timorem Dei bene regere et gubernare studeant, scientes, quod et ipsi, quamvis potestate minores sint, fratres eorum sunt[l]. Et[e] ut et ab aliis eos defendant et ut misericorditer eos tractent[m], neque in mensuris neque iniustis reditibus[n] sub aliqua occasione opprimant. Vos quoque pauperes et[e] minus potentes monemus, ut dominis vestris subiecti sitis et fideliter eis serviatis, et quod debetis sine fraude in veritate eis reddatis, scientes, quia[o] et ipsi super vos a Deo ordinati sunt et vos illis subiecti esse debetis. Monemus etiam eos, qui res ecclesiasticas beneficiario iure possident, ut nonas et decimas ecclesiis reddant, ex quibus ipsae res esse videntur, et amplius ea nullo modo retineant, ne forte sacrilegium incurrant.

Viri uxoribus ad tempus debitum reddant et nullatenus se aliis pollutionibus cf. 1. Cor. 7, 3.
maculent. Uxores similiter viros suos diligant eisque in omnibus placere studeant, ne (quod absit) suo odio[p] ad alia facinora eo[s][q] impellant. Et utrique caveant, ne per commixtionem corporalem immundi et illoti ecclesias ingrediantur. Monemus quoque de incestis, ut nullus se cum proxima sua vel cum proxima uxoris suae commisceat, quoniam turpissimum est[e] et adeo prohibitum[r]. Illud etiam adtentissime caveat, ne pudicitiam filiae suae aut neptis aut propinquae maxime uxoris suae pro gratia alicuius mortalis hominis ad violandum tradat aut consentiat, aut castitas earum[s] aliquo modo aut ingenio, nisi legitimo coniugio corrumpatur.

In tribus etiam festivitatibus anni, nativitate Domini, pascha, pentecosten, unusquisque mundus ad ecclesiam veniens communicet, exceptis his, qui in publica paenitentia sunt, quoniam nisi in[e] his tribus sollemnitatibus communicaverit, nec[t] inter christianos habitare debet. Videat ergo unusquisque, ut digne et munde et devote communionem Christi percipiat: quoniam[u] qui corpus Domini et sanguinem indigne 1. Cor. 11, 29.
sumit, iudicium sibi manducat et bibit. Consulimus itaque precamur quoque[v] feminas[w] nobiliores et alias quascumque[x], ut filios suos proprio lacte nutriant et nullatenus eos[e] ancillis[y] aliis ad educandum tradant.

Curate ergo, dilectissimi filii, ut hoc, quod vobis[e] pro salute vestra scribimus, adtente et diligenter animo comprehendatis et de omnibus his sollicite caveatis, et in quibuscumque vos deliquisse cognoscitis[z], emendare tota intentione satagatis, ne[a] in aeternum (quod absit) infeliciter pereatis. Mementote[b], ubi sunt patres vestri, ubi sunt reges, ubi[c] principes, ubi[d] potestates et omnes qui seculum amaverunt; et scitote, quod[e] vos omnes citissime morituri estis et post hanc vitam nihil boni habituri, nisi bonis operibus promerueritis. Mortem, precor, karissimi[f], ante oculos semper habete et quid post mortem facturi sitis cogitate, et ne mortem timeatis providete, quoniam nulli bono mors nocere potest. Christum redemptorem vestrum totis viribus diligite et proximos vestros sicut vosmet ipsos amate, et ecclesiam Dei honorate, et dictis

---

a) quis *A*. b) cognoscunt *A*. c) eos *ed*. d) parentum *ed*. e) *om. ed*. f) abstulerunt *ed*. g) et reddant — abstulerunt *om. ed*. h) haec *ed*. i) potuerunt *A, ed*. k) ecclesias *ed*. l) sint *ed*. m) videant *ed*. n) reddit. *ed*. o) quod *ed*. p) suo odio *om. ed*. q) eo *A, om. ed*. r) est *add. hic ed*. s) castitatis eorum *A*. t) non *ed*. u) etenim *ed*. v) que *ed*. w) feminis *A*. x) quibuscumque *A*. y) ancillas *A*. z) cognoscatis *ed*. a) et *A*. b) memento *ed*. c) vestri vestri *ed*. d) vestrae *ed*. e) quoniam *ed*. f) dilectissimi *ed*.

ac praedicationibus sacerdotum vestrorum[a] oboedite, et ad paradisi gaudium et societatem sanctorum venire festinate, ad quorum societatem divina Trinitas et indivisa unitas vos perducere et gratuita miseratione protegere, consolari et benedicere dignetur Deus noster, qui vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.

28.

Usuardus monachus et sacerdos Karolo (Calvo) regi scribit se iussu eius exempla Hieronymi Bedae Flori secutum sanctorum festivitates in martyrologio copiosius illis adnotasse. *875.*

Codd. Parisinus 13745 (S. Germani Prat.) s. X fol. 1 (G), Cantabrigiensis Corp. Christi 201 p. 270 s. X (C). Extat etiam in codice Parisino 17742 s. XI cf. 1 aliisque multis. Alium textum adeo mutatum, ut eum seorsum edere placuerit, praebent Parisinus 5547 s. XI f. 1 ex parte deletus, quem supplet liber Bruxellensis (quondam S. Laurentii Leodiensis) 10849—54 s. XI f. 2, quos omnes contulit K. Hampe socius.

Edd. Usuardi Martyrologium opera Io. Molani Lovan., Lovanii 1568; Migne, Patrol. CXXIII, 599—600.

A.

DOMINO[a] REGUM PIISSIMO KAROLO USUARDUS[b] INDIGNUS SACERDOS[c] AC MONACHUS PERENNEM[d] IN CHRISTO CORONAM.

Minime vestram latet celsitudinem, o[e] sapientissime princeps, qualiter monemur imitandis antiquorum studiis, ut quicquid in gestis praecipue[f] ecclesiastico dogmati congruis minus perfectum inventum fuerit, debeamus vel pro posse supplere vel certe suppleri obtare[g]. Quae res pia quidem sollicitudine, vestro, si recordamini, iussu dignanter admoto, me ad hoc etsi indignum compulit, quatinus sanctorum sacras[h] atque anniversario recolendas festivitates ex quibusdam praecedentium patrum martyrologiis in quandam[i] colligerem unitatem. Recolebamque in ipsis eorundem sollennitatibus quam multos propriae neglegentiae excessus, quos etiam purgari tali cupiebam officio. Praeterea et venerabilium Hieronimi scilicet ac Bedae presbiterorum piis, quamvis succinctis[k], super hoc provocabar descriptis, quorum prior brevitati studens, alter vero quam plures kalendarum[l] dies intactos relinquens, multa inveniuntur huius operis praeterisse necessaria. Quos tamen secutus censui et Flori memorabilis viri latiora iam in eo ipso negotio sequi vestigia, praesertim in secundo eiusdem libro. Ibi enim multa, quae in priore omiserat, et correxit et addidit. At si quid praeter quod ab illis accepi in hoc opere auctum[m] vel mutatum est, sagaci a me indagine id perquisitum agnosci poterit.

Ceterum, benignissime, idcirco hanc exiguitatis meae praefatiunculam huic opusculo inserere malui, ut sciretur non[n] me in hoc usum levitatis conamine, sed potius vestris, ut erat dignum, paruisse imperiis catholicorum fidelium solito consulentibus utilitati. Unde quod vestrum est obsecro, ut, si iustum decernitur, propriae tuitionis anchora roboretur, quo[o] videlicet et praesentibus regalis examinis auctoritate et futuris tantae auctoritatis firmetur examine.

Excellentiam magnitudinis vestrae per multa annorum curricula rex regum Dominus sua dignetur custodire potentia. Amen.

---

a) virorum *A, ed., corr. Tr.*

28. A. a) Incipit prologus Usuardi *antecedit in G.* b) Osuuardus *C.* c) sacerd. ac ind. mon. *C.* d) perhennem *C.* e) *om. C.* f) *man. mod. corr. in* precipiat *G.* g) optare *C.* h) sacra *C.* i) in quand. *legi non possunt G.* k) succintis *G.* l) *om. G.* m) actum *G.* n) in hoc non me *C.* o) quod *G.*

B.

DOMINO[a] VENERABILITER RECOLENDO KAROLO REGUM PIISSIMO HUSUAR[DUS][b] QUANQUAM INDIGNUS SACERDOS ET MONACHUS PRAESENTIS VITAE[c] PROSPERITATEM [ET AETERNAE BEATITUDINIS] GLORIAM. 875

Vestram minime latet celsitudinem, o reverende princeps, qualiter imitandis antiquorum studiis movemur quicquid[d] in libris maxime ęcclesiasticae doctrinae congruis minus debito per[fec]tum habetur vel[e] pro posse supplere vel[f] suppleri optare. Quae [res] pia quidem sollicitudine, addito[g] etiam vestrae dignitatis iussu, m[e compulit, ut] videlicet sanctorum [rec]urrentes[h] festivitates[i] ex diversis sanctorum patrum martirologiis[k] in quandam colligerem[l] unitatem. [Recolebam siquidem] in sacris sanctorum sollempniis[m] multimodos propriae neglegentiae[n] excessus, quod me p[lu]rimum ad hoc eis in Dei amore persolven[dum cogebat] officium et si non satis[o] idoneum, utpote inscium, sed tamen [divino[p], ut confidebam, ac indigno eorum] sublevandum auxilio. Nam et vener[abiliu]m Hieronimi scilicet ac Bedae presbiterorum in hoc p[rovocabar de scri]ptis. Quorum unus brevitati admodum studens, [alter] vero quamplures kalendarum dies intactos relinquens multa probantur huius opusculi praeterisse necessaria. Adhibui igitur Flori memorabilis viri collecta e pluribus in eodem negotio secundi[q] libri commenta, quem maxime imitandum[r] in his, quae visa sunt congrua ac memoriae digna, censui, quia plurima[s] summo studio, quae breviter[t] perstrinxi, et[u] correxit et addidit[v]. Unde una [no]biscum legentem[w] efflagito, quo non propere, quicquid in sequenti libello sibi forte contrarium fuerit, indiscusse repudiet nec me insuper temerarium iudicet, praesertim cum a talibus et tantis viris hoc praemonstratum esse meminerit. Perpendat etiam, quia in rebus humanis, ut ait quidam[1], nihil[x] perfectum ex omni parte soleat inveniri. Scriptorum quoque errore ita saepe constat vera permutari, ut plerumque dictantis asscribatur[y] vitio, quod mendaci solet admitti calamo[z].

Cęterum, benignissime rex, idcirco hanc exiguitatis praefaciunculam huic operi inserere curavi, ut sciatis me non usum fuisse levitatis conamine, sed potius religiosorum[a] minus capacium[b] utilitati consuluisse. Quo tamen labore pro viribus quove studio cognoscendae veritatis[c] [hoc[d] perquisierim, haud facile parvitas mea volet intimare. Supplex denique vestram expostulo magnificentiam, ut, si dignum decernitur, vestrae tuitionis anchora roboretur.

Excellentiam magnitudinis vestrae per multa annorum curricula ad communis utilitatis suffragia rex regum sua dignetur custodire potentia. Amen.]

29.

Paulus diaconus Neapolitanus Karolo (Calvo) regi libellum conversionis S. Mariae Aegyptiacae iterum offert, eodem libello una cum poenitentia (Theophili) vicedomini casu quodam deperdito.

Cod. Parisinus Bibl. Mazarine 1707 s. X f. 1, cf. N. Arch. XXIII, 655, quem descr. Kar. Hampe.

Edd. Surius, Vitae SS. Apr. 2, II, 598 Col. a. 1571; ed. alt. II, 15; Fabricii Bibl. lat. (Hamb. 1736) V, 618, ed. Mansi V, 209; Migne, Patrol. LXXIII, 671—672.

---

28. B. [a]) Domni Husuardi ad regem Karolum super nataliciis quorundam sanctorum *antecedunt in B.* [b]) *sillabae aut verba uncinis inclusa in P legi non possunt.* [c]) aevi *B.* [d]) qu.. *P, B.* [e]) ut *superscr.* vel *P, B.* [f]) aut *P.* [g]) adito *P.* [h]) *corr. ex* recurrens *B.* [i]) festivites *B.* [k]) martyrol. *B.* [l]) exciperem *B.* [m]) solemniis *B.* [n]) negligentię *P.* [o]) sensatis *pro* si non sat. *P.* [p]) infidel .. indign. *P pro* divino—eorum. [q]) sęcundi *P.* [r]) immitandum *P.* [s]) plura *B.* [t]) quę brev. *om. P.* [u]) *om. P.* [v]) correxi et addidi *P.* [w]) *om. B.* [x]) nichil *P.* [y]) asscribantur *P.* [z]) kalamo *B.* [a]) relligiosor. *B.* [b]) capatium *P.* [c]) utilitatis *B.* [d]) *quae secuntur desunt in P duobus foliis excisis.*

1) *Priscianus grammaticus v. Grammatici lat. ed. Keil II, 2.*

876 ex.— 877 in.

DOMINO GLORIOSISSIMO AC PRAESTANTISSIMO REGI KAROLO[1].

Sciens gloriosissimam maiestatem vestram tam divinis eloquiis quamque sanctorum praecedentium exemplis valde delectari, cum iamdudum libellum conversionis Mariae Aegyptiacae cum thomulo de cuiusdam vicedomini paenitentia[2] domino meo obtulerim, quia ille ipse casu quodam deperiit, nunc interim iussui vestro in eodem restaurando devotus oboedivi. Obsequii quoque et devotionis meae fuit, ut non simplicem tantum memoratae rei textum exhiberem, sed et alia quaesitu digna superadicerem de venerandis scilicet constitutis et gestis praesulum Romanae ecclesiae, quorum sanctionibus quam reverenter ecclesia utatur, maiestas vestra optime novit. Hoc autem brevitatis compendium servus vester ideo sumpsit, ut serenitas vestra, quam rei publicae fascibus valde honeratam attendo, cui sparsim diversa non vacat percurrere scriptorum volumina, quasdam consuetudines ecclesiasticas in brevi, quasi in quodam enchyridion inclusas tenere possit et, quia secundum regalem industriam sanctum studium domini mei in hoc fervere didici, ut facta dictave vestra iuxta auctoritatem inrefragabilem dirigere [a] et, quid erga cultum divinum tenendum quidve reiciendum sit, sollicite disquirere et perscrutari elucubrationis sit assiduae, qualiter eius divinitatis ope muniti prosperis successibus ad omnia currere mereamini.

Explicit epistola.

Huius imitabilis conversationis actuumque et morum vitam et paenitentiae magnum virileque [b] certamen venerabilis Mariae Aegyptiacae, qualiter in heremo expleverit tempora vitae, de Greco transtulit in Latinum Paulus venerabilis diaconus sanctae Neapolis ecclesiae[3].

30.

Hildigrimus (II) Halberstadensis episcopus atque abbas Werdensis Reginberto praeposito Werdensi de legatione ad palatium missa scribit, de fratrum utilitatibus ac de turre aedificanda negotium ei dat. *876 ex.— 877 in.*

Cod. autogr. Urkunden des Fürstentums Münster n. 2 in tabulario Monasteriensi saec. IX, quem olim descripsit Pertz b. m., cont. Mart. Meyer.

Ed. Erhard, Regesta historiae Westfaliae I (1847) Cod. diplom. 3.

HILDIGRIMUS [a] [O]MNIPOTENTIS DEI GRATIA EPISCOPUS[4] REGINBERTO PRAEPOSITO UNA CUM RELIQUA CONGREGATIONE IN DOMINO SALUTEM.

Serenam inprimis caritatem vestram non ignorare optamus, quoniam prosperitatis vestrae felicitatem semper Christi in gratia pollentem ovare desideramus. Deinde, quod nostri iugiter in Domino memoriam habeatis tam [super variis [b] nost]ris excessibus vel infirmitatibus, quam etiam pro communibus omnium nostrorum necessitatibus sive utilitatibus, obnixe precamur. Proinde nuntium nostrum modo cum Oddone[5] ad palatium[6] ire sciatis propter ammonitionem negotii nostri, pro cuius legatione mentionem vestram coram sancto patrono nostro cotidie fieri modis omnibus persuademus, quatinus per

---

29. a) diligere *C, corr. Tr.* b) virilique *C.*

30. a) *Lemma in pagina exteriore:* Ragenberto praeposito salutem. b) super variis *leg. Pertz.*

1) *Cf. Köpke, Hrotsvit v. Gandersh. p. 50.* 2) *Cf. Acta SS. Bollandi Februar. I, 483 sq.* 3) *Cf. Sigebert. de SS. ecclesiast. c. 69; Archiv f. ält. D. Gesch. X, 323.* 4) *II, a. 853—888. Erhard (I, 89) hanc epistolam non recte Hildigrimo I tribuere voluit, cuius opinionem refutavit H. Beckel (Zeitschr. für vaterländ. Gesch. u. Alterthumsk. XVIII (N. F. VIII) a. 1857 p. 220—241. 253—254. Assensus est ei R. Wilmanns, Kaiserurkunden der Prov. Westf. I, 220.* 5) *comite vel duce, Liudolfi filio, qui inde ab anno 880. primas in Saxonia partes egit.* 6) *Ludowici iunioris (876—882), cf. Mühlbacher Reg. n. 1508. 1509.*

Dei misericordiam quandoque bonitas illius in hoc negocio nostrae paevalere mereatur c. 854—877(?)
infirmitati.

Subinde mandamus praeposito et omnibus officialibus nostris, ut unusquisque suum ministerium ad communem fratrum utilitatem quasi coram Deo honeste procuret, nec fratribus aliquid ex suis necessariis vel etia[m] in vinali propinatione inrationabiliter subtrahatur, sed omnia mensurate fiant. Nam Deo favente nobis advenientibus ministeria vestra et cunctas utilitates vestras vobiscum rationabiliter[a] ord[ina]r[e] et utiliter constituere st[udebimus][b]. Quod tamen quando fieri valeat, redeunte praefato nuntio [v]obis renu[ntiare] curamus. Propterea aed[i]ficio turris sine intermissione insistere iubemus, quatinus Deo volente cum a[l]iis beneficiis hoc etiam nostris temporibus perficiatur.

Valete semper horum memores in Christo Iesu.

31.

Epistolae breves, quae ex Scottorum colonia Leodiensi oriri videntur. c. 854—877(?)

Cod. Lugdunensis Batavorum Vossianus in octava forma 92 fol. 122—123 s. X in., quem descripsit Bethmann b. m., contulerunt Zeumer (cf. formulas ab eo editas p. 287. 327) et de Vries V. Cl.

Ed. Dümmler, Neues Archiv XIII, 361—363. Versus edidit Traube, Poet. Carol. III, 690—691.

I.

Clericus quidam propter penuriam ut necessaria ei subministrentur ab episcopo quodam rogat.

DOMINO VENERABILI EPISCOPO[1] EGO ULTIMUS SERVORUM DEI[2] IN CHRISTO SALUTEM.

Notum sit vestrae pietatis visceribus, quod in magnis angustiis coartor, immo vivere non possum in tali miseria, non habens ad manducandum et bibendum, nisi pessimum panem et minimam particulam de pessima cervisa. Vae mihi misero! Obsecro igitur suppliciter vestrae pietatis misericordiam, ut inter fratres ordinetur mea sufficientia, quoniam impossibile est mihi ita vivere propter intolerabilem miseriam et paupertatem nimiam. Veniat in vestram mentem, quod domnus imperator[3] ita vobis iam dixerat, ut inter fratres sim ordinatus, nec parva vobis merces erit apud Deum, si tantis malis dextra pietatis mihi succurratis.

Valeat semper vestra praestantia[a] in Christo.

Christe, fave votis, salvator maxime mundi;
Tu lux es: tenebras elue, Christe, meas.
Unica lux mundi, salvator maxime Christe,
Expurga tenebras, rex benedicte, meas,
Tu solus nobis sol aureus, alme, coruscas,
In cuius pennis flagrat odore salus.

II.

Scottus peregrinus Roma redux beneficium expetit.

Vestrae[b] nobili caritati innotescat, quod copiosam a Domino retributionem in caelestibus habebitis, si pauperculo et Scotto peregrino mihi in Domino benefaciatis.

---

a) ratinabiliter *c.* b) sp[eramus] *leg. Erhard.*

30. a) presentia *corr. in* prestantia. b) *Salutatio deest.*

1) *Franconi fortasse, cf. infra epp. IV. V.* 2) *an Electus presbyter? Cf. infra ep. IV, quae ab eisdem verbis incipit.* 3) *Karolum II (Calvum) dicere videtur, cum Lotharius I († 855) vel Karolus III (885—887) minus probari possint.*

c. 854—877(?) Non sum grammaticus neque sermone Latino peritus, sed haec epistola quasi mea lingua pro me loquitur: Mementote, quod Christus etiam in minimis pauperculis lateat, qui vos iustis exigentibus meritis in aeterna tabernacula suscipiat. Beati ergo eritis, si mihi[a] fesso Roma redeunti in visceribus caritatis Christi oportunum auxilium tribuatis.

Valete semper in Domino, valeat per vos caritas. Mihi reddite meam epistolam, quia non est sermo in lingua mea. Ecce tu, Domine, cognoscis. Cognoscat vos
Matth. 25, 40. Dominus in numero suorum electorum, quibus dicturus est: 'Quamdiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis'.

Omnia Christus habet, per Christum cuncta reguntur;
Mentior haud vobis: omnia Christus habet.

III.

Presbyter Scotticus senex et aeger ab itinere Romano impeditus; petit fautor eius, ut recipiatur.

Cum[b] vestrae caritatis flagrantia erga pauperes et inopes suaviter respiret, obsecramus vestrae pietatis viscera, quatinus hunc senem nomine N., dignitate presbiterum, in Christi nomine suscipiatis. Siquidem infirmitate pedum praepeditus cum suis fratribus ire Romam non potest. Beati eritis, si tali venerabili seni opem pietatis impendatis, qui vos in orationibus Deo commendabit et missas cotidie pro vobis faciet. Testimonium enim de illo perhibemus, quod sit Dei servus et relligione praeditus.

Sumite Scottigenam devota mente benigni;
O vos Francigenae, sumite Scottigenam.

IV.

Electus presbyter Scotticus Roma redux a Francone Tungrensi episcopo petit, ut res ab hominibus eius sibi in itinere ablatae restituantur.

DOMINO VENERABILI MULTISQUE MODIS LAUDABILI FRANCONI[c 1] EPISCOPO EGO NOMINE ELECTUS SCOTTIGENA, PRESBITER DIGNITATE, MISERICORDIAM SEMPER ET FELICITATEM ET GLORIAM IN CHRISTO.

Notum sit vestrae pietatis visceribus, quod causa orationis Roma revertens prope hoc monasterium, miserabile dictu, homines, qui mecum erant in eadem navi, spolia mea rapuerunt, hoc est unam albam cum stola et corporalibus[d] duobus et unam bonam nigram capam III uncias valentem, et tonicam[2] cum fasciolis valentem II solidos, et unam camisiam II solidos valentem, et unum rocum valentem unciam, et IIII osas Scotticae vestis, et unam pelliciam et reliquas minutas causas, sed mihi necessarias.

Haec autem omnia quidam rusticus homo Burgarii[e] vestri capellani furto abstraxit, qui rusticus Elleger nominatur. Ulferio[f] ei consentiente, qui homo est Alagundi vestri capellani[g] et qui cum quodam sacerdote nomine Odacras in castello iuxta Namucum[3] habitat.

Qui ergo largas elemosynas erga pauperes Christi indefessa clementia peragitis, grandis vobis elemosyna est, domne episcope, coram Deo et hominibus, si peregrini et pauperis presbiteri res iniuste raptas pia misericordia reddi fortiter praecipiatis.

---

a) si mihi *lectu difficile.* b) *Salutatio deest.* c) Franī *c.* d) corporibus *c.* e) *corr. ex* burgurii. f) ulfēr *c.* g) capelli *c.*

1) *Tungrensi vel Leodiensi 854—901, cf. de eo, Scottorum fautore, Poet. Carol. III, 185. 199. 220.*
2) *Cf. de hac voce Traube, O Roma nobilis p. 372.* 3) *Namur.*

Vincat vestra pietas raptorum impietatem; quae furtiva manus abstraxit, vestrae nobilitatis dextra retrahat, quo victrix sit vestra benivola bonitas et victa malignorum malignitas. Cito fer opem seminudo et spoliato pauperi, ut vos Christus aeterna vestiat stola. Agite causam Christi, ut Christus agat vestras per omnia causas. Sub vestra potestate sunt illi raptores ideoque sub vestra censura et zelo iustitiae idem sint raptarum rerum redditores. Vos autem Christi gratia in omnibus divites faciat et columnam in gloriam ecclesiae suae per multa secula conservet. c. 854—877 (?)

V.

Otveus presbyter Franconem Tungrensem episcopum certiorem facit, se pro eius salute in quadragesima viginti psalteria et triginta missas decantavisse.

DOMINO REVERENTISSIMO MULTIMODAE PIETATIS INSIGNIBUS REDIMITO FRANCONI[a] EPISCOPO EGO ULTIMUS SERVORUM OTVEUS PRESBITER AETERNAM MENTIS ET CORPORIS SOSPITATEM.

Vestrae pietati clarescat, quod in hoc quadragesimali tempore pro vestra specialiter salute ac desiderabili per omnia prosperitate XX psalteria ac XXX missas decantavi, sicut decet nos semper militare pro vobis in Domino, ut Deus ac dominus noster in gloriam suae ecclesiae vos gloriose conservet atque exaltet.

VI.

Otveus presbyter Amub. magistrum petit, ut nocturnale antiphonarium correctum sibi commodet.

VIRO VENERABILI ATQUE AMANTISSIMO MAGISTRO AMUB[b 1] EGO OTVEUS VESTER IN DOMINO FIDELIS AMICUS GLORIAM IN CHRISTO ET HONOREM.

Vestrae praestantiae innotescat, quod secundum nostrae facultatis modulum pro vestra salute, incolomitate atque prosperitate omnibus diebus et noctibus semper ad Dominum exoremus, quatinus vos per singulos dies magis magisque in omnium virtutum specimine atque in splendoribus sanctorum coram Deo et hominibus coruscetis. Funiculus triplex non facile rumpitur et frater fratrem adiuvans exaltabitur. Idcirco vestrae caritatis viscera eflagito, quatinus nocturnale antifonarium correctum atque omni falsitate expurgatum nobis vestra benignitas accomodare[c] dignetur, nosque statuto tempore, prout vestra industria diffiniverit[d], ipsum codicem ad vos dirigemus. Qui maiora nobis dedistis, quod minus est non denegate. Eccl. 4, 12. cf. Prov. 18, 19.

Valete in Domino, valeat per vos caritas.

32.

Clericus vel monachus quidam a domino suo B. pro alio libro ei commodato Boethium de musica expetit; de stellarum cursu, intervallis et significatione copiose agit.

Cod. S. Galli 831 saec. XI p. 175—181, de quo agitur supra p. 115, descripsit Mich. Tangl, socius noster.

DOMINO MEO B. SALUS ET VITA.

Sicut iussisti, mi domine, flos et paradoxa sanctae Dei aecclesiae, librum satis nobis serium praeceptis tuis non parere formidans tibi direxi, impendio obsecrans, ut eodem affectu karitatis, quo id praeceperas, librum Boetii de musica mihi mittas, cuius quidem intelligentia quam longe se a meis sensibus proreptura sit, iam videre videor,

a) Franī *c.* b) *an* Amulberto? c) *corr. ex* accomedare *c.* d) diffiuerit *c.*

1) *de quo nihil constat.*

nisi mihi tua sacratissima manus annotando porrexerit opem. Verumtamen non penitus despero, nisi forte tua ammirabilis prudentia illud Virgilianum a lacertulis meis tamquam magnus Alexander a Dario[a] sive Poro extorquere voluerit, Magnarum[1] scilicet esse virium clavam Herculis extorquere de manu putetur[b], haec ratio est.

Secundum opinionem Aegyptiorum, quos et Plato sequitur, lunae circulus a terra primus est; hunc sequitur solis, huic superponitur Mercurius, quem Venus supergreditur, hinc Mars collocatur, inde Iovis et Saturnus sexto et septimo circulis elevantur. Itaque dicunt[2], quod spacium illud, quo luna dirimitur a terra, duplicetur a terra usque ad solem, quae symphonia dyapason dicitur; inde triplicetur a terra usque ad Venerem. Triplum autem et duplum si conferas, ut puta II, qui est duplus unitatis, et tres, qui triplus est unitatis, sesqualtera fit proportio, quae symphonia dyapente nominatur. Deinde quadruplicetur a terra usque ad Mercurium stellam; quadruplum vero et triplum si consideres, videbis quatuor habere ternarium in se et eius tertiam partem, id est unum[c]. Ter enim unus tres efficit, quae collatio sesquitertia symphonia dicitur diatessaron[d]. Sic a Mercurio usque ad Martem novies tantum fit a terra; novem vero et quatuor si expendas, nec dupla nec sesqualtera nec sesquitertia collatione iunguntur; sed neque diapason aut diapente aut diatessaron consonantiam reddunt, et idcirco Martis stella inhabilis rebus secundis iudicatur. Neque me fallit quatuor et novem primos esse numeros quadratorum, et quatuor quidem binario bis posito compactum, VIIII vero ternario ter copulato confectum; et iste a primo paritatis numero quadratur, ille ab imparitatis primo generatur. Sed nec illud excidit, quod VIIII et sex sesqualtera sibi proportione, XII et VIIII sesquitertia collatione copulantur, quatuor vero et VIIII huiusmodi similitudine nulla nectuntur. Qui vero post hunc Iovis sequitur, octies tantum spacii a terra usque ad sui recipit orbem. Si autem comparare velis VIIII ad VIII, invenies toni habitudinem. Quantum enim distat VIIII ad VIII, videlicet uno, tantum distat tonus a symphonia. Postremo quantum spacii fit a terra usque ad Iovem, septies vicies tantum fit a terra usque ad Saturni orbem. Igitur VIII et viginti septem si conferas, videbis octonarium in viginti IIII[e] triplicatum et ternarium insuper adcrevisse, sed nec duplo nec sesqualtera nec sesquitertia sibi proportione iungi. Et si septenarium huic complendo subicias, ter invenies septenario cumulato et addito senario XXVII cumulari. Et si quinarium speculeris, quinquies eo multiplicato repperies duos excrevisse. Quaternarii porro et octonarii una condicio est, quorum alter altero duplicato conficitur. Ternarius vero novies[f] multiplicatus XXVII metitur. Multa[g] etiam dici possunt, quae studio brevitatis omittimus.

Ergo his colligationibus numerorum videre possumus, quare illa sive illa sidera adversitatis sive prosperitatis ministra ferantur. Itaque Iovis stella, quae soli accommodatior est, et Veneris, quae luna magis quadam numerorum et naturae ratione coniungitur, humanae salubritati plus conducere aestimantur, non quod illorum sententia vel potius beneficia vel maleficia sint, sed ea, quae necessario futura sint, per horum VII transitum, stationem recessumve monstrentur, ut aves seu praetervolando seu stando vel sui specie vel voce vel pennis quaedam significant nescientes. 'Sui autem specie' dixi, quia quaedam aves[3] quibusdam auguriis plus captandis con-

---

32. a) Adario *G.* b) putentur n *del. G.* c) unam *G.* d) diatessarim *G.* e) septem *G, corr. v. Winterfeld.* f) septies *G, corr. v. Winterfeld.* g) Multi *G.*

1) *Hieronymi Praef. Hebraic. quaestion. in Genes. (Opp. III, 301).* 2) *Plinii Hist. natur. II c. 21. 22, cf. K. Rück, Auszüge aus der Naturgesch. des Plinius (Progr.) München 1888 p. 36; Die natur. hist. des Plinius im Mittelalter, Münchner Sitzungsber. 1898. 1, 263.* 3) *Serv. in Aeneid. I, 393, ed. Thilo I, 132:* columbae non nisi regibus dant *(sc. auguria),* quia numquam singulae volant, sicut rex numquam solus incedit ..., item cycni nullis dant nisi nautis *etc.*

veniunt, veluti cignus nautis, columba regibus, quia cętu gaudet. De his quoque stellis quinque, quamvis et naturales sint, cometae[1] id est crinitae et XXXII iuxta stoicos aliquando fiunt; et si de Iove et Venere fiant, optima significant. Bona enim inradiatio Iovis honores hominibus largiri, Veneris affectionibus affatim adesse putatur. De Marte vero et de Saturno deteriora significare dicuntur. At si de Mercurio fiant, quia minister est deorum, considerandum cui planetarum cuive signorum cohereat et ex eo vel prosperitatis vel adversitatis significatio rimanda est.

His ergo praelibatis consideremus tantisper de spera mundi et eam dividamus in partes XII, quo facilius colliquescat ratio, quare domicilia deorum in illis vel illis syderibus esse dicantur. Et, ut superior ratio monstravit, arietem in orientis medio iuxtaque taurum et geminos disponemus, inde cancrum in australis plagae medio figamus, post leonem et virginem. Haec quidem in uno hemispherio continentur; in altero autem reliqua sex signa feruntur. Sic autem sphera mundanae volubilitatis circumfertur, ut numquam vel aries vel taurus vel gemini vel reliqua signa loca, in quibus fixa sunt, excedant, quamlibet nunc in septemtrionem versus, nunc in occidentem, nunc in orientem, nunc in meridiem ferri videantur. Sed et hoc nobis diligenter intuendum, quomodo[a] dicantur ipsa sydera partim nocte oriri. Nam[2] ortus et occasus duo sunt, unus ЄΛΙΔΚΩϹ id est solaris et alter ΚΩϹΜΙΚΩϹ id est mundanus; propterea fit, ut ea signa, quae cum sole oriuntur, a nobis non possint videri et ea, quae videmus, quantum ad solis rationem pertinet, videantur occidere. Igitur exempli gratia, quo clarescat quod dicimus, sole posito in leone et ex oriente dies fit, et vertente sic mundo cum venerit ad eum circulum, qui mesembrinos, id est australis, vocatur, efficiet medium diem. Sed cum leo fuerit exortus, haec signa in superiori hemisperio[b] feruntur: cancer, gemini, taurus, aries[c], pisces. Horum cum tria signa occiderint, hoc est pisces, aries, taurus, et exhorta fuerint tria signa, quae leonem secuntur, id est virgo, libra, scorpius, tunc fieri dimidium diem necesse est et leonem pervenire ad australem circulum, quem mesembrinum Greci vocant. Cum autem cum reliquis signis leo ipse occiderit, et exorientur sagittarius, capricornus, tunc aquarius oritur et in superiori hemispherio vehitur. Quae cum occiderint, rursus leo exortus efficiet diem. Unde indubitate constat, quod in quocumque signo sol fuerit exoriens, quodcumque ab eo signo septimo loco fuerit, eius in occasu primum exorietur, et ita conficiet cursum. Mundus enim, id est caelum, semel in die ac nocte verti videtur. Unde praeter illud, in quo solis agitur cursus, reliqua sydera possunt videri, quamlibet quidam sint auctores, qui dicunt illud non videri, in quo proxime sol fuerit, et illud, in quo cursu solito feratur, sed et illud, in quod statim sit ingressurus.

Sed ut redeamus ad id, quod proposuimus, ista VII, quae planetae dicuntur[d], per XII signa circumaguntur, tamen multum refert, cuiuscumque stellae domus aliena ipsiusne sit propria domus; quo fit, ut cancer lunae sit sive propter illud, quod praetuli, quia his partibus caeli invehitur cursu, sive quia cancer id est inpulsus retro cursum dirigere dicitur, ut videmus lunam nunc a sole elongari et retro cedere, nunc succedere ipsi, ut eius splendore inlustretur, sive idcirco, quia quibusdam stellis ipsius signi archana quadam ratione naturae magis iungitur. Quod dico 'iungitur' id est aut referetur[e] ad quandam quasi similitudinem aut ad quandam societatem. Sed unde conceperimus, paulo post liquebit, cum verba Sergii super Veneris stella proposuerimus, ex quo nostrae assertionis nodus ita, ut credo, roborabitur, ne dubitatio ulla remaneat, quare

---

a) quomo *G.* b) hemisperio h *post suppl. G.* c) auries u *expuncto G.* d) vel vocantur *suprascr. G.* e) referaetur *G.*

1) *Servius in Aeneid. X, 272, ed. Thilo II, 421, cf. in Georg. I, 335, ed. Thilo III, 201.* 2) Nam—occidere *ex Servio ad Georg. I, 218, ed. Thilo III, 182.*

domicilia deorum in XII signis cum per cuncta ferantur etiam oculis approbantibus, tamen discrete in quibusdam esse dicantur. Leo soli asscribitur propter vim fervoris et quia isdem metis cursus solis dirigitur et quod quibusdam stellis ipsius signi magis applicatur. Haec autem duo, id est luna et sol, idcirco sibimet ipsis copulantur, quia et secundum Aegyptios et secundum Platonem primum sibi locum planetarum defendunt. Nam Mercurium super eos locatum volunt, et ideo his duobus, id est lunae et soli, cancrum et leonem in domicilio deputant, quod eorum calore, sive diurno sive nocturno[a], fomentari terrae semina videntur. In his sane duobus sole posito, cancro[b] videlicet atque leone, caloris vis amplius effervescit. Virginem et geminos Mercurio donant, qui et orationis deus dicitur et interpres deorum. Eloquentiae quidem sectatores et fortitudine animi praeminent, ob quam gemini Castor et Pollux donati caelo esse dicuntur, ne turbata mente et verba et sententiae pariter elabantur et puritate corporis, quae ministra subtilia complectendi, sed et illa ratione, quod quaedam stellae horum signorum similitudine quadam Mercurio iunguntur, qui radianti colore perspicitur, propter quod non inmerito domicilium eius in his signis deputatur. Veneri sane libram et taurum assciscunt, sive propterea quod eo tempore, quo sol his signis circumvehitur, salubritas et temperies influit terris, sive quod quaedam stellae in his sint, quibus memoratum sydus magis applicatur. Siquidem super hoc sydere ita Sergius dicit[1], cum exponeret illud poetae clarissimi[2]: It portis iubare exorto, id est nato lucifero, nam proprie iubar lucifer dicitur, quod iubas[c] effundat[d], et post paululum: est autem lucifer interdum Iovis plerumque Veneris stella, unde Veneris dicta, ut quem Venus ante alios astrorum diligit ignes[3]. Quem locum sic exponit[4]: Venus in caelo habet unam propriam stellam, quae oriens luciferum, occidens vesperum facit. Inde Statius[5]: alterno deprenditur unus in ortu, habet etiam duas alias, unam in signo tauri, et unam in septemtrione, unde etiam taurus domus esse dicitur Veneris; ideo dixit: quem Venus ante alios astrorum diligit ignes. Ex quo satis possumus animadvertere, quid de reliquis sentiendum sit nobis. Quamvis de signo librae nihil tale dixerit, non dubium tamen est eodem pacto intellegendum Marti scorpium et arietem, quia et eius stella similis est illi stellae, quae in aculeo caudae scorpionis esse dicitur, et scorpius adversa terris et in quibusdam locis nocentissima comprobatur, aries autem mediae temperationis est. Sed neque Martis sydus Saturnive aeque nocet quolibet loco vel tempore, sed prout ratio se habuerit divinae dispositionis. Iovi sagittarius et piscis domicilio esse feruntur, quod videlicet credebant ipsum et pluviarum et fulminum esse potentem. Haec enim habundant et apud Italos et apud quosdam, quando sol in his signis dicitur agere cursum. Sed et stellae quaedam sunt horum signorum, ut superius monstratum est, quae huic specialius iunguntur. Saturno capricornum et aquarium sociant, scilicet quia haec signa pluviis habundant et solis et lunae cursum et Saturnus etiam gelidus et senex fingitur esse[6], quod superioribus circulis elatus XXX annos signiferum metiatur. Ut autem praemisimus, senex et gelidus fingitur, propter tarditatem sui cursus, non quia vel ipse vel aliae planetarum, ut Plinius fatur[7], accelerent tardentve naturales motus, qui certi[e] ac singuli sunt illis; sed quia deductas a summa abside lineas coartari ad centrum necesse est sicuti in rotis radios, ideoque[f] motus alias maior alias mĩnor centri propinquitate sentitur.

Ceterum quod illo ordine dicuntur planetae unum signum a superioribus cancro, alterum a sequentibus leonem sibi vindicare, videlicet ut Mercurius virginem et geminos teneat, Venus libram et taurum, Mars scorpium et arietem, Iovis sagittarium et pisces,

---

a) *corr. ex* nocterno. b) *corr. ex* cancra. c) lucis *add. Serv.* d) effundit *Serv.* e) r *corr. ex* c *G.* f) idemque *Plin.*

1) *Servius ed. Thilo I, 486.* 2) *Aen. IV, 130.* 3) *Aen. VIII, 590.* 4) *Servius ed. Thilo II, 281.* 5) *Theb. VI, 241.* 6) *Serv. ad Georg. I, 336, ed. Thilo III, 201.* 7) *Hist. natur. II c. 16, cf. c. 8.*

Saturnus capricornum et aquarium, quomodo sit accipiendum, quamvis auctoritate veterum quaesita non invenerim, est tamen nobis inspiciendum, utrum necne possit referri ad qualitatem centri earum. Nam, ut Plinius dicit[1], a terrae centro absides altissimae sunt, Saturno in scorpione, Iovi in virgine, Marti in leone, soli in geminis, Veneri in sagittario, Mercurio in capricorno, mediis omnium partibus, et e contrario ad terrae centrum humillimae atque proximae. Sic fit, ut tardius moveri videantur, cum altissimo ambitu feruntur. Item[2] altera sublimitatum causa, quoniam a suo centro absidas altissimas habent in his[a] signis, Saturnus in librae parte XX, Iuppiter cancri XV, Mars capricorni XXVIIII[a], sol arietis XXVIIII[a], Venus piscium XVII[a b], Mercurius virginis XV[a], luna tauri IIII[a]. Tertia vero altitudinum ratio caeli mensura, non circuli, intelligitur, subire eas aut descendere[c] per profundum aeris oculis aestimantibus. Huic convexa[d] latitudinum signiferi obliquitatisque causa est. Per hunc stellae quas diximus feruntur, nec aliud habitatur in terris, quam quod illi subiacet, reliqua a polis squalent. Haec neque superioribus de domiciliis deorum iunguntur, neque istis, quae de absidibus secundum altitudinis rationem dicuntur. Quare ostenditur Aegyptios eum ordinem tenere planetas dixisse, qui naturalis est illis, de quibus, quia multa possunt adhuc dici, sed et de his, quae memoravimus, Plinii dictis neque sic possunt ad liquidum explanari, quomodo mutua collocutione discerni illud breviter annotamus, quod ideo et a superioribus cancro et a sequentibus leonem planetas dixerit sibi signa vindicare[3], ut ostenderet illud, quod sollempne est illis retrogradari et eum tenere cursum retrogradientes, qui Aegyptiorum sollertia indagatus est, scilicet ut Mercurius a virgine in geminos migret vel contra a geminis in virginem concedat. Sic et de reliquis accipiendum ea de causa, quoniam non continuo tempore videntur, sed naturali ortu sive occasu vel videntur a nobis vel occultantur nobis. Itaque [quare][e] per XII signa planetae ferantur, quare magis his signis, quae praetulimus, quam reliquis haerere videantur et quare haec sive illa signa domicilia[f] eorum esse dicantur, pro facultate nostra credimus explanatum[g].

33.

Scottus[4] quidam in territorio Mediolanensi commorans Graecae linguae gnarus de psalterio in linguam Latinam transferendo atque emendando disserit.

Codd. ex territor. Mediolan. Monacensis 343 s. IX fol. 1'—9' (M), quem contul. Traube; Vaticanus 82 s. IX fol. 2'—12' (V 1); Vaticanus 83 s. IX fol. 1—9' (V 2), utrumque cont. Ioh. Haller V. Cl.

Ed. Ant. Franc. Vezzosi in Ios. Mariae Thomasii Opp. omnibus tom. II (Romae 1747) p. XX—XXVI ex codd. Vaticano 82 et Monacensi.

---

a) aliis *Plin.* b) XVI[a] *G.* c) descen *G in fine versus.* d) conexa *Plin.* e) quare *add. Tr.* f) domilia *G.* g) *sequuntur hi versus in G:*

Iani[5] prima dies et septima fine timetur.
[A]st[h] Februi quarta est; praecedit tertia fine[m].
[M]artis prima necat, cuius sub[i] cuspide quarta [est].
[A]prilis decimo est, undeno a fine minatur[k].
[M]aio tertius est lupus, est et septimus anguis.
[I]unius undecimo, quindeno a fine salutat.
[T]redecimus Iulii decimo innuit ante kalendas.
[A]ugusti nam prima fugat, de fine secunda.
[T]ertia Septembris vulpis ferit a pede denam.
[T]ertius Octobris gladius decimum ordine gerit.
Quinta Novembris acus vix tertia mansit in urna.
Dat duodena choros septem inde decemque December.

h) *Primae horum versuum litterae ligatura teguntur.* i) sic *G.* k) *corr. ex* timetur *ead. manu.*

1) *Hist. natur. II c. 16, cf. Rück, Auszüge p. 39—40.* 2) *Cf. supra p. 200 v. 42.* 3) *Hist. natur. II c. 16, cf. Rück p. 40.* 4) *Sedulium hunc fuisse suspicatur G. Morin, Revue benedict. X (1893) p. 193—197.* 5) *Hos versus de diebus Aegyptiacis ediderunt A. Riese, Anthol. lat. n. 736; Baehrens, Poet. lat. min. V, 355; Mommsen, Corpus inscription. Latinar. I, 411; cf. Poet. Carol. IV, 272.*

Ut[a] reprobare superflua et inserere congrua in psalmorum cantibus scirem, emendationis studium, quantum mihi Dominus sensum huius operis impertire[b] dignatus est, quamquam logis[c] non in omnibus, sed ubi vigui, hoc in nablo[d] ex Graiorum psalteriis exercitare conatus sum. Necnon[e], ut ipsa Graeca, quae in Latinum transtuli, certa esse videantur, non alia, sed quae beati Hieronimi[f] emendationi consonant, eligere curavi. Quia, sicut me ipsius patris docet lectio, plurimi fuerunt, qui etiam in Graiis[g] rimatibus[1] graecizando[h] discordes esse videntur. Unde, ut lectori satisfaciam, unum e pluribus causa compendii huic praefatiunculae meae discordationis testimonium subnectere non abnuo, ut verbi gratia in psalmi septuagesimi tertii loco, ubi
Ps. 73, 8. legitur: 'comprimamus dies festos Dei de terra'. Quod[2] Aquila[i] et Symmachus[k] verterunt: ΕΝΕΠΥΡΗCΑΝ ΠΑCΑC CΥΝΤΑΓΑC ΤΟΥ ΘΕΟΥ, id est 'incenderunt omnes sollemnitates Dei'. Quinta vero editio ΚΑΤΕΚΑΥCΑΝ, id est 'combusserunt'[l]. Sexta ΚΑΤΑΚΑΥCΩΜΕΝ, id est 'comburamus'. Quod et LXX[m] iuxta exaplorum[n] veritatem[o] transtulisse perspicuum est. Theodotion quoque ΕΝΕΠΥΡΗCΑΜΕΝ[p] vertit, id est 'succendimus'. Quamobrem cognoscens istorum discordias, sicut praefatus sum, mihi labor optimus esse videtur, si, aliorum respuens, tantum ipsius beatissimi Hieronimi, qui celeberrimus[q] in sancta ecclesia per totum orbem proficuus habetur, ad meum comprobandum atque roborandum opusculum editionem eligere studuero. Tamen, quia ipse sanctus Hieronimus exceptis tractatibus, sicut in eius dictis legitur, bis in catholicis libris laborasse videtur: primo vero labore emendatione, quam rogatus a feminis Romanis Paula et Eustochio[r] in LXX[m] interpretibus obelis et asteriscis Graeca transtulendo exercuit[3], secundo autem labore ex Hebraico tantum quod intellexit, sensuum potius veritatem quam verborum interdum ordinem conservans, in Latinum edidit[4], ego, qui eius bimata[5] in hoc opere sequi nisus sum, non alii ex his duobus, nisi emendationi suae, propter Graecam cognationem et ne nimia novitas fastidium lectori generaret, adhesi. Et in huius capite libelli[s] ipsa Graeca cum sua interpretatione concordante per omnia cum dictis sancti Hieronimi nota quidem suis propriis notis, sicut et in corpore psalterii notata esse videntur, scribere curavimus, ut, cum lector in psalmi quolibet loco notas variatas reppererit[t], cognito psalmi numero, de quo inquirit, necnon et ipso loco, quem scire inhiat, quid pro ipsis praenotatis dicere debeat vel qualiter in Graeco eadem resonant, currens ad principium, in quibus universorum verborum notis dissimilibus praenotatorum[u] est distincta congeries, eodemque statim, sicut diximus, loco cognito, illud quod quaerit invenire queat[v].

De vitiis. Quatuor namque modis in scripturis vitia esse videntur, id est detractione, adiectione, mutatione, transmutatione[6]. Adiectione, sicut est in primo psalmo,
ib. 1, 2. ubi legitur: 'Sed in lege Domini fuit voluntas eius'. In hoc loco 'fuit' non legitur in Graeco nec etiam in Latino psalterio, quod a beatissimo Hieronimo videtur esse emen-
ib. 6, 7. datum. Detractione, sicut est in sexto psalmo, ubi legitur: 'lacrimis stratum meum rigabo'. In Graeco legitur: ΕΝ ΔΑΚΡΥCΙΝ[w] ΜΟΥ, id est 'lacrimis meis'. Sicut quidem in Graeco, ita et in praefato psalterio sancti Hieronimi habetur. Mutatione, sicut

---

33. a) *Lemma:* Prologus psalterii *M.* b) *corr. in* impertiri *V 2.* c) logis *vel* legis *M,* logis *rad. corr. in* locis *V.* d) id est psalterii *man. saec. 14 V 2 (recte, ex glossario quodam).* e) non *superscr. M.* f) Hieronimini *V 1.* g) gravis *V 1.* h) greziz. *M.* i) Aliqua *V 1.* k) Simachus *M,* Symachus *V 1.* l) combuserunt *V 2.* m) septuaginta *V.* n) examplorum *priore* m *del. V 1,* apostolorum *V 2,* exapostolorum *M.* o) veritate *M, corr. in* veritatem *V 2.* p) *YII al. man. superscr. V 2.* q) cęl. *M.* r) Eustochia *V 1.* s) belli li *superscr. V 1.* t) repperit *V 1.* u) prenotarum *M,* praenotarum *V.* v) quaeat *V 2.* w) *δαχρυσυν al. man. corr. -σιν V 2.*

1) *i. e. sermonibus.* 2) *Ex Hieronymi ep. 106 ad Sunn. et Fretel. § 46, Opp. I, 654 (Tr.).* 3) *Opp. X, 105—108.* 4) *Ep. 112 ad Augustin. § 19, Opp. I, 746.* 5) *id est gradus (βήματα).* 6) *Cf. Quintil. Inst. orat. I, 5, 6; Charis. (Grammat. lat. ed. Keil I, 265, 10) Ir.*

est in quarto psalmo, ubi legitur: 'a tempore frumenti'. In Graeco pro tempore habetur ΑΠΟ ΚΑΡΠΟΥ, id est 'a fructu'. Nam tempus Graeci ΚΑΙΡΟC dicunt et in sancti Hieronimi similiter legitur: 'hoc est a fructu frumenti et vini'. Transmutatione, sicut legitur in quinto psalmo, ubi legitur: 'Domine, deduc me in tua iustitia'. In Graeco vero haec verba ita resonant: ΚΥΡΙΕ[a] ΟΔΗΓΗCΟΝ ΜΕ ΕΝ ΤΗ ΔΙΚΑΙΟCΥΝΗ COΥ, id est 'Domine, deduc me in iustitia tua'. Ecce nos ante dicimus 'tua' quam 'iustitia', Graeci vero post 'iustitia' dicunt 'tua'. Sed ego tria illa vitia corrigere studui; istud vero quartum, quod transmutatione fit, emendare neglexi, eo quod, quamvis ipsum ordinem non habeat, tamen eadem verba servat. Ps. 4, 8. ib. 5, 9.

In fine autem praefatiunculae meae, mi fratres dilectissimi, in quorum manibus iste libellus versabitur, exoro, ut non iudicum, sed amicorum animo relegatis. Nam, si praesumptionis forsitan animo iudicio contentiosorum hoc fecisse coniciar[b], profiteor me hoc non diiudicans a me esse factum, ut utrum[c] translatoris vitio voluntateve[d] an scriptoris errore haec inolevisse vitia videantur, sed quia auctor laboris huius sanctus Hieronimus in hoc opere admonet dicens[1] quosdam, qui eum, ut eis psalterium emendaret, rogitarunt: Ergo et vos legite magis quae vera sunt, ne, dum additum suscipitis, quod a propheta scriptum est relinquatis.

Hoc namque fretus ego testimonio necnon et aliis, quae per singula narrare longum est, nisus sum, ut in ore psallentis magis veritas resonet quam carmen strophosum[e]. Quod si antiqui, Graecos non solum in veris, sed etiam in falsis adsertionibus[f] secuti, amore ipsorum decepti, aeneseos[g] palmam sunt consecuti: cur, inquam[h], ego, qui tam sanctum virum atque veracissimum, fama exprobrationis maculer? immo eligo probra atque convicia sustinere talem sequendo patulum veritatis virum, quam gloriam atque honorem permanendo in desidia habere torporis. Nonne ipse sanctus Hieronimus in praefatione sua, quam in psalterio a se emendato scripsit[i 2], per aliorum editionem, hoc est Theodotionis, se emendasse psalterium professus est[2], quia noverat sine ictibus inter spinarum congeries inlaesa manu[k] rosas eligere? Ego vero, qui bovis bostam[3] calco, sentem non sentiens[l], sed quasi regium iter sine offensione calculorum ad finem usque perveni.

Quod si de veritate, o lector, haesitas dicendo: quis scit, ut[m] utrum vera an falsa haec Graeca apud Graecos habeantur, lege, inquam[h], psalteria Graecorum, quae veracia esse doceberis; hoc tantum praescito, quia in multis locis, sicut superius diximus, propter eos, qui iuxta sensum suum dixerunt, dissonantia sibi esse videntur. Cognitis namque Boeticorum psalteriis et si in ipsis fallente inertia aliquid plus minusve aut etiam aliter, quam Graecus pronuntiat, in Latinum transtulisse repperiar, placeat tibi sanctus Hieronimus, cuius rimatibus intentus Graeca quasi elaphus supergressus sum, quia et ipse in multis locis Graeca respuens Hebraicum secutus est fontem.

Quod si de sancti Hieronimi veritate aliquid erroris passum me esse dicas, eo quod forsitan in eius psalterio aliter sonant, quam quod hic pronuntiata sunt, consideretur consuetudo singularum provinciarum, quia[4] unaquaeque provincia sibi proprium locutionis vernaculum possidet, ut quod una loquitur, alia se nescire fatetur, sicut in passione Domini Petro dictum est: 'Nam et loquela[n] tua te manifestum facit'. Nonne omnes et qui tenebant et qui tenebantur Hebraei erant[o]? Sed, sicut diximus, quia unaquaeque provincia proprium sibi vernaculum linguae vindicat, habebat quidem Petri pro- Matth. 26, 73.

---

a) ΚΕ *V 2*, κε *V 1, M, corr. Tr.* b) conitiar *M.* c) *superscr. M.* d) voluntate vae *V 1*, te *in ras. M.* e) strophorum *V, M, corr. Tr.* f) assert. *M.* g) *corr. ex* aneseos *M.* h) inquit *V, M, corr. Tr.* i) quia *add. V, M.* k) *corr. ex* manum *M.* l) senties n *suprascr. V 1.* m) *suprascr. V 1.* n) loquella *V 2.* o) eran t *suprascr. M.*

1) *Ep. 106 § 41, Opp. I, 652.* 2) *Hieronymi opp. X, 105—108.* 3) *'bostar domus ubi boves stant', Corp. Glossar. V, 283, 13.* 4) *Cf. Hieron. in Matth. IV, 27, Opp. VII, 225; supra p. 177.*

vincia in sermonum locutione, quod illorum, quamvis Hebraei sicut et ille erant, nesciebat.

Quodsi de Graecis Latinisque in hoc emendationis conamine me fefellisse[a] perspexeris[b], lector meus, aequanimiter, rogo, accipies[c], quia, sicut in his, quae mihi adlata sunt, psalteriis repperi, ita scripsimus. Nam et dehinc rationem accipe: nonne et ipse sanctus Hieronimus[1] in praefatione sua, quam scripsit in libro, in quo vita monachorum Aegyptiorum scripta esse videtur, ita eum, cui transtulit, admonuit dicens: Verum quia eloquentium virorum sunt plurimae Latino sermone conscriptae, quarum lectiones me expertum esse te etiam adstruente testificor, si quid de illis aut hic insertum forte reppereris[d] aut minus eliganter expressum, ne meae culpae reputetur, exoro, quia, sicut in dato mihi codice repperi scripta, sic transtuli, licet nec ea me studiose posuisse profitear?

De notis. Quinque sunt notae, quas in hoc psalterio depinximus, id est I. ϴ Theta. II. Ψ Psi. III. ☧ Chrismon. IIII. ⁊ Et[e]. V. Ↄ Diastole.

I.[f] De nota ϴ Theta. Haec quidem nota mortem significat[2], quam Graeci theta hoc est 'apo tu thanatu', id est 'a morte' vocant. Nam apud antiquos iudices hanc litteram, id est ϴ thetam ad eorum nomina adponebant, quos mori iudicabant. Unde et habet per medium telum, id est signum mortis. Hac autem littera ego usus sum in his locis, ubi superfluum esse videtur, ut sicut in iudicialibus sententiis eos, qui vivere non debebant[g], significabat, ita et in his locis mortuum significat, hoc est ut non dicatur illud apud Latinos, quod apud Graecos Hieronimumque non dicitur.

II. De nota Ψ Psi. Secunda nota est quam Graeci Ψ[h] psi vocant. Per hanc autem[i] literam Graeci ΨΕΥΔΟΝ, hoc est 'falsum', scribunt. Ego quidem ea usus sum in his locis, ubi mutatio esse videtur, ut, sicut qui falsum dicit alteram rem pro altera nominat, ita et haec nota falsitatem significet in his locis, ubi aliud sonat in Latino, aliud vero in Graeco.

III. De nota ☧ Chrismon. Tertia[k] nota est quae chrismon ☧[h] nuncupatur. Haec[3] quidem ex voluntate scriptoris ad aliquid notandum ponitur. Ego quippe ea usus sum in his locis, ubi in Latino minus habetur quam in Graeco consonanti Hieronimo, eo quod, si ipsa nota altius consideretur, apud Graecos per eam solam nomen Christi exprimitur, quia duae litterae, hoc est X, quam Graeci 'chi' nominant, necnon P, quam ipsi 'ro' nuncupant, quibus nomen Christi legitur, concatenatae sibi in una videntur, unde apud illos monogrammon dicitur, id est unalis scriptio. Ideo autem ea usus sum in his locis, quae superius diximus, quia Dominus in evangelio dicit:
Ioh. 8, 12. 'Qui sequitur me, non ambulat in[i] tenebris, sed habebit lumen vitae'. Nam ubi sunt maiores tenebrae, quam ubi ignorantia esse videtur? unde etiam eum, quod facile non potest intellegi, a quibusdam obscurum solet dici. Nam cum in tenebris ambulamus, non possumus videre membra, quae in domo sunt. Cum vero lumen accenditur, tenebrae quidem fugantur et membra, quae antea latebant, manifestabuntur. Sic autem et in his locis, ubi ea nota depicta esse videtur, cum sunt sine ea nota, qua
cf. 1. Ioh. 2, 8. nomen veri luminis, quod est Christus, nominatur, qui verum atque lucidissimum lumen esse firmissime[l] creditur, tenebrae ac caligo ignorantiae ibi esse[m] nullus am-
1. Cor. 4, 5. bigit. At ubi nomen Christi, qui inluminat abscondita, sonuerit, omnia lucidissime[n] atque clarissime[o] sine ullo obstaculo tenebrarum patebunt.

---

a) fefelisse *altero* l *superscr. V 1.* b) prospexeris *M.* c) accipe *M.* d) repereris *M.* e) *ETH M.* f) *om. M, V.* g) debeant b *superscr. V 1.* h) *om. M, ubi lacuna extat.* i) *om. V 1.* k) vero *add. V 1.* l) firmissimę *M.* m) nullus esse *M.* n) lucidissimę *M.* o) clarissimę *M.*

1) *immo Paschasius in praefat. ad 'verba seniorum', Vitae patr. ed. Rosweyd. (a. 1628) p. 664—665 (Tr.).*
2) *Isid. Etymol. I, 3, 8; I, 23, 1.* 3) *Ibid. I, 20, 22.*

IIII. De nota ⁊ et. Quarta nota, quam in hoc psalterio depinximus, figuratur ita ⁊, cuius nomen, quo vocetur, quamvis non repperi, sed tamen in libris a scriptoribus pro 'et' coniunctione positam esse scio. Unde et ego ea simili modo in his locis usus sum, ubi ΚΔΙ, id est 'et'[a] apud Graecos et sanctum Hieronimum habetur.

V. De nota ↄ diastole. Quinta nota est diastole ↄ[b]. Qua vero nota utuntur grammatici[1] in his locis ad discernenda verba, quae male sibi cohaerentia esse videntur. Ego autem ea usus sum in his locis, quae a duabus praefatis notis, id est ϴ theta et Ψ psi, notantur, ut discernat ea verba usque ad quae loca superflua aut mutata esse notantur. Nam ceteris duabus notis, hoc est ⁊, quae 'et' diximus significare, necnon et ☧ chrismon[c], quae aliquid deesse [sicut] praefati sumus ostendit, hanc diastole notam non coniuncximus[d], eo quod istae duae notae praedictae, quae aliquid deesse ostendunt, non ibidem ea[e] verba specialiter, quae esse debeant, sicut ceterae demonstrant. In cuius ergo fine eam ponere debuimus, cuius verba ibi non leguntur?

Nunc autem voce supplici atque corde intento prudentiam lectoris profusius exposco, ut in hoc psalterio nec addere aut mutare aliquid praesumat. Quod si instigatus a cordis sui sensu emendationis iura adiciendo aut subtrahendo aliquid[f] voluerit, peto ut non praesumat illud prius facere, nisi prius legerit psalteria Graeca necnon et Latina, quae a beato Hieronimo emendata esse plenissime scierit, quia et[g] nos, qui hoc emendare curavimus, non prius ausi fuimus in hoc correctionis ius exercere, nisi ante scrutati fuimus Graeca atque Latina, quae, sicut iam diximus, a sancto Hieronimo esse emendata cognovimus: et tunc quidem non in aliis locis nisi in his, ubi a Graecis atque beato Hieronimo, in quantum sensi, opitulante summa atque veracissima Trinitate, discordari, correctionis studium exercui. Ea[h] autem loca quamvis a sancti Hieronimi emendatione separata esse comperi, tamen, quia cum Graecis consonant, intacta reliqui, ideoque, quia Graecorum auctoritatem cognoscens, eo quod ipsi auctores paene omnium scripturarum esse videntur necnon et causa meae provinciae consuetudinis. Quodsi emendassem contra morem priorum meorum et Graecorum auctorum, noxa praesumptionis, fateor, conicerer. Unde de[i] ipsis locis, quae diximus intacta reliquisse, unum e plurimis testimonium ad lectori[k] satisfaciendum conferam, sicut est in loco psalmi centesimi quarti, ubi legitur, quia exacerbaverunt verbum eius, in Graeco vero simili modo legitur ΟΤΙ ΠΑΡΕΠΙΚΡΑΝΑΝ ΤΟΥC ΛΟΓΟΥC ΑΥΤΟΥ: oti id est 'quia', parepicranan[l] id est 'exacerbaverunt', tus[m] articulum est accusativi pluralis, logus id est 'verba', autu id est 'eius'. Ps. 104, 28.

Ubi vero inveni quamvis a Graecis separata, tamen cum sancti Hieronimi dictis concordantur, cognoscens auctoritatem patris praedicti, quae[n] per omnem mundum summo cum desiderio appetuntur atque tenentur necnon et causa meae provinciae[o] moris, ne praesumptor contra talem ac tantum virum et priorum meorum consuetudinem respuens iudicarer, inconcussa reliqui. Unde unum causa compendii e plurimis et de his, ut lectoris studio satagem, in medio proferam, sicut est in psalmi trigesimi quarti loco, ubi legitur: 'Domine, quis similis tibi?' In Graeco bis dicitur Domine, Domine, hoc est 'cyrię cyrię'. Cetera, sicut diximus, non habentia auctoritatem, sicut sunt in his locis, quae notata videntur, favente Domino emendavi. ib. 34, 10.

---

a) *del. M.* b) *om. M, ubi lacuna extat.* c) crismon h *suprasc. M.* d) coniunximus *V 2.* e) ibi de mea *M.* f) aliquit *V 1.* g) *suprascr. M.* h) *corr. ex* eam *M.* i) *corr. ex* et *M.* k) lectoris *M.* l) pareprican *V 1.* m) tu *V 1.* n) quę *corr. ex* quem *M.* o) provintiae *V 2.*

1) *Cf. Isid. Etym. I, 18, 7.*

34.

Sedulius Scottus proverbia Graecorum a se collecta lectoribus commendat.

Cod. Cusanus C 14, nunc 37 fol. 246 saec. XII[1]*, quem iterum contulit V. Cl. Georgius Karo.*
Ed. Jos. Klein, Ueber eine Handschrift des Nicolaus von Cues (a. 1866) p. 25—26.

Haec vero de Grecorum prudentia quasi lapides preciosos multicolores[a], quasi sagittas Paeanium[b], quae de faretra eorum scientiae congregatae stultorum sermunculos iugulare possunt, labore sollicito congregare volumus. Qui nobis verba quasi arcuaria folia cum spineo vel fraxineo sapore volentes mellearia esse proferunt.
Ps. 139, 4. Sed eorum verba[c] felle fermentissimo plena sunt, sicut scriptum est: 'Venenum
ib. 56, 5. aspidum sub labiis eorum'. Et alibi[d]: 'Filii hominum dentes eorum arma et sagittae et lingua eorum gladius accutus'. Propterea haec quae praediximus a sapientibus observanda sunt atque scrutanda. Omnis enim via sapientiae et scientiae, quae frequentia lectionis non atteritur et commorationis assiduae, sicut via deserti arescit.
cf. Ps. 36, 2. Matth. 6, 28. Sicut enim 'herbarum olera' et 'lilia agri' viam[e] defendunt, ita infrequentia meditationis scientiae et vana securitas caliginem et ignorantiam super cor lectoris[f] inducunt[g]. Scrutare itaque sapientiam scripturasque, quibus fontem hereticorum contra dictiones contraque corruptelas[h] eorum venenosas doctrinae vincere poteris, quorum impetus fidelibus diligenter cavendus est. Sicut enim si quis digitum suum in eruchaarium misisset et omnes eruchae in eum irruant, ita hereticorum unanimis impetus et mala verbositas infidelibus conprobatur. Haec autem conponimus contra latrantes
2. Cor. 6, 7. canes, qui in nos ore aperto desaeviunt, ut secundum sententiam apostoli 'in virtute Dei per arma iusticiae a dextris et a sinistris' militare possimus.

Vale in Christo[i 2].

---

34. a) multi coloris *C.* b) pianium *(sup. prius* i *scr.* vel e*) C.* c) *suprascr.* d) alubi. e) *bis scriptum.* f) corlcetori s *suprascr.* g) *corr. ex* induant. h) concorruptelasque *C, corr. Tr.* i) *Sequuntur in codice proverbia:* Sapiens sapientem adiuvat. Stultus stulti sententiam exornat *etc.*

1) *De quo cf. Traube, O Roma nobilis (Abhandl. der kön. bayer. Akad. I. Cl. XIX, 364—372).*
2) *Addere liceat hic eiusdem Sedulii praefationem, quam H. Hagen ex codicibus Turicensi et Bobiensi edidit, Anecdota Helvetica p. 1.*

Incipit commentariolum Sedulii in artem Eutitii grammatici.

Quoniam in arte Euticis grammatici, quae de discernendis coniugationibus praetitulatur, quaedam nobis lectantibus occurrunt, quae licet simplicibus lectoribus plana esse videantur, tamen perspicaciter contuentibus abdita et quibusdam interlucentibus rationum semitulis referta noscuntur, idcirco ea brevi expositiuncula ac simplici sermonis stilo enucleanda esse percensuimus, non omnia explanantes, sed quaedam ex omnibus, quae obstrusa esse videntur tractantes; nec ventosae laudis favorem quaerentes hoc facere disposuimus, sed rogatu fratrum et amore rationis provocati hanc nos Deo favente opusculi industriam suscepimus.

III.

EPISTOLAE AD DIVORTIUM LOTHARII II REGIS PERTINENTES.

Exstabat olim Treviris in bibliotheca ecclesiae primariae epistolarum series haud parvi momenti, quae cunctae consilia Lotharii regis de Theutberga uxore repudianda et Waldrada in matrimonium ducenda illustrabant. Ex quo libro iamdiu desiderato Christophorus Browerus S. I. nonnullis omissis apographon confecit, unde Caesar Baronius cardinalis Romanus in Annalibus suis ecclesiasticis quae a Browero acceperat accurate inprimenda curavit. Praeter hanc Baronii editionem Broweri apographon chartaceum, quo usus est, ad nostram aetatem etiam pervenit in bibliotheca Vallicelliana Romana, ubi numero I, 76 signatur, ibique a socio quondam nostro A. V. Müller collatum est. In folio 35 huius libri leguntur haec: 'Collata haec omnia cum autographo in pervetusto codice Trevirensi, omissis quae exstant tom. 3 epist. Rom. pontific. edit. Romanae, ubi quae legitur num. 25 fol. 128 Carolo nisi fallor mendose inscripta, in hoc codice I[a] numero titulum ferebat Hluduici regis, cui et argumentum favet, cum eum hortatur ad pacem servandam cum Luduico, Carolo et Lothario nepotibus ex foedere iuratam. Ignoscite imperitae manui aegre veterem scripturam adsequenti, et ad maiorem Dei ecclesiaeque gloriam his reliquis fruimini.' Codicem ipsum Browerus in Annalibus Trevirensibus (a. 1670) componendis adhibuisse videtur, sed minus accurate et liberius, ita ut his excerptis ad textum restituendum uti non liceat.

Epistolas has non ex tabulario Trevirensi, sed potius Mettensi prodiisse atque ab Adventio episcopo, Lotharii regis adiutore strenuo, collectas esse vix dubitari potest.

Omitto hic praeter conciliorum acta (fol. 22. 28') tres Nicolai papae epistolas in foliis 1—4 codicis nostri descriptas (Jaffé Nr. 2778. 2808. 2768) et ad easdem Lotharii regis res pertinentes, quippe quae alii loco reservari oportet, ceteras omnes temporum ordine, quoad fieri potuit servato, hic repetimus. Hic est ordo codicis Vallicelliani:

fol. 1 Nicolaus archiepiscopis et episcopis in regno Hlotharii. 'Saepe fratres carissimi'
„ 1' Nicolaus archiepiscopis episcopis per Italiam Germaniam Neustriam Gallias constitutis. 'Decreveramus quidem'
„ 3 Nicolaus Adventio episcopo Mettensi. 'Excusationis tuae'
„ 4 Adventius Nicolao. 'Christus dominus deus' (infra n. 8).
„ 6' Adventius Nicolao. 'Apices sanctissimi apostolatus vestri nostrae' (infra n. 12).
„ 8 Adventius Nicolao. 'Apices eminentissimi apostolatus vestri nonas' (infra n. 16).

fol. 10' Adventius Nicolao. 'Apices sanctissimi apostolatus vestri nostrae parvitati' (infra n. 10).
„ 11 Hludvicus et Hlotharius Nicolao. 'Nullus mortalium' (infra n. 3).
„ 13 Hlotharius Nicolao. 'Postquam nobis divina dignatio' (infra n. 7).
„ 14' Hlotharius Nicolao. 'Deferente mansuetudinis nostrae' (infra n. 14).
„ 16 Hlotharius Nicolao. 'Rex regum et princeps' (infra n. 1).
„ 18 Archiepiscopi in regno Hlotharii Nicolao. 'Apostolicis documentis et' (infra n. 2).
„ 19 Hlotharius Nicolao. 'Postquam nobis gratuita' (infra n. 17).
„ 21 Karolus Nicolao. 'Quia sicut devotio' (infra n. 9).
„ 22 (22') Episcopis in regno Hludvici episcopi Karoli atque Hlotharii. 'Claret vestrae prudentiae' (Baronii ann. 867 n. 6—9; Mansi Coll. conc. XV, 789).
„ 24 Hlotharius Hadriano. 'Infausta relatio' (infra n. 18).
„ 25' Concilium episcoporum in regno Hlotharii episcopis in regno Karoli. 'Novit vestra veneranda' (infra n. 13).
„ 27' Arsenius omnibus episcopis Galliae Germaniae Neustriae. 'Fraternitati vestrae' (infra n. 11).
„ 28' Aquisgranensis synodus anno 861 (Baronii ann. 862 n. 23—27).
„ 30 Narratio Adventii episcopi. 'Inclitum sanctae decus' (infra n. 5).
„ 32' Ratholdus Nicolao. 'Igitur quibusdam' (infra n. 6).
„ 33 Adventius Theutgaudo. 'Praesentes apices' (infra n. 4).
„ 33' Adventius Hattoni. 'De duabus partibus' (infra n. 15).

Addere liceat supplementum, quod eidem Browero (Metropolis eccles. Trevericae ed. de Stramberg II, 486) debemus: 'Extat in eodem manuscripto Trevirensi, quem antea laudavi, Notitia facta ab episcopo sanctae Metensis ecclesiae Adventio anno ab incarnatione Domini 866 indictione XV qua Gerberto illustri viro Aquitanio, Frotbaldi quondam filio, res quasdam Sancti Stephani protomartyris Metensis ecclesiae in pago Scildunensi iure beneficiario ac tributario possidendas attribuit'. (Cf. infra p. 217 v. 38).

In singulis plagulis percensendis L. Traube amicus eandem quam antea opem tulit gratissimam.

Berolini Maio mense 1902.

Ernestus Duemmler.

1.

Lotharius rex studium atque oboedientiam erga sedem apostolicam obtestatus Nicolao papae Liutfridum et Walthariun laicos, Theutgaudum atque Attonem episcopos legatos commendat, auxilium suum contra paganos papae et imperatori offert. 860.

860

Cod. Broweri apogr. cod. Trevir. fol. 16'—17'.

Edd. Baronii Ann. ecclesiast. a. 867. n. 120—124 (ed. princ. a. 1602 t. X, 385—386); Migne, Patrol. CXXI, 374—375; cf. Mühlbacher n. 1258.

DOMINO VERE SANCTISSIMO AC BEATISSIMO TOTIUSQUE SANCTAE DEI ECCLESIAE ROSEO PII REGIS CHRISTI SANGUINE ACQUISITAE SUMMO PONTIFICI ET UNIVERSALI PAPAE NICOLAO HLOTHARIUS DIVINA PROPITIANTE CLEMENTIA REX AC DEVOTISSIMUS FILIUS VESTER SEMPITERNAM CUM GAUDIO PROSPERITATIS ET FELICITATIS[a] GLORIAM FIDELEQUE SERVITIUM[b] [1].

Rex regum et princeps pastorum Christus, qui sacerdotalem et regiam[c] dignitatem in ministerio nostrae redemptionis in se ipso univit, quique sui ovilis curam beato Petro apostolorum principi tuendam commisit, ille nos salubribus edictis instituit, ut apostolatus vestri sacratissimum apicem divinitus in fundamento ecclesiae sublimatum fideliter diligamus et humiliter veneremur. Hinc est, quod nostrae mansuetudinis affectus circa vestram celsitudinem verae caritatis igne inflammatur et a multis iam retro diebus nos ad vestram praesentiam desiderabiliter invitare non cessat. Quapropter hos vestrae eminentissimae paternitati direximus apices, ut de vestra optabili sospitate celerius rescire possimus, quae omnium gemmarum nitore pretiosior omnique thesauro carior nostro amplexatur in corpore. Et quia nos hoc idem de vestra sanitate incunctanter credimus, satius vobis intimandum decrevimus, quod divina opitulante clementia nostra mansuetudo optime viget fideliumque nostrorum generalitas in necessariis rei publicae negotiis, opitulante Christo, salubribus proficit incrementis, immo prosperitatis successum ab ipso bonorum omnium largitore profuturum humiliter ac fideliter praestolamur. Regnum quoque nobis divina pietate commissum ab omni paganorum infestatione aliorumque inimicorum depraedatione, dextera omnipotentis Dei pro nobis pugnante et auxiliantibus meritis beati Petri apostoli vestrisque precibus almifluis suffragantibus, hactenus cum omni integritate tutum manere cognoscite.

Porro vestrae sanctitatis noverit pia paternitas, quod isto tempore ferventissimum desiderium habemus causa orationis apostolorum limina visitare vestramque diu desideratam faciem cernere et sacra dulciter amplexari vestigia; et iam secundo ac tertio nostri itineris apparatum sub certa deliberatione repetitum habemus, quod in voto manet implere desiderantes. Verum si aliqua, quod absit, periculosorum temporum varietas votum nostrum interceperit, legatos nostros Liutfridum[d] dilectissimum avunculum nostrum et Walthariun fidelem nostrum[2] necnon et Theutgaudum venerabilem archiepiscopum[3] atque Attonem[e] coepiscopum[4] ad vestram praesentiam destinare pro-

---

1. [a]) foelic. *B passim.* [b]) *in marg.:* Plena officii et studium prae se fert sedem apostolicam adeundi per se vel illustres viros *B.* [c]) et reg. *corr. ex* egregiam *B.* [d]) Hutfridum *corr. in* Lutfr., *in marg.* Luitfridum *B.* [e]) *in marg.* Hattonem puta Viridunensis ecclesiae *B.*

1) *De anno in quo haec epistola scripta sit, cf. Dümmler, Gesch. des Ostfränk. Reiches II, 20, cui assentitur Parisot, Royaume de Lorraine p. 183.* 2) *Cf. Hincmari ann. Bertin. a. 862 p. 60 ed. Waitz:* faventibus sibi *(sc. Lothario)* Liutfrido avunculo suo et Waltario, qui vel ob hoc maxime illi erant familiares, *de quibus cf. Dümmler, Gesch. des Ostfränk. Reiches II, 33 n. 2.* 3) *Trevirensem, a. 847—863.* 4) *Virdunensem, a. 847—870.*

861 curabimus, ut per illos liquido cognoscat vestra celsitudo, quam fideles vobis per omnia existimus, nos et fideles nostri, et quam fideliter vestris salubribus consiliis et spiritalibus monitis parere desideramus. Re vera, sicut spiritalis ac devotissimus filius reverentissimo patri atque universali papae debet, quippe nos et venerabiles episcopi atque fideles nostri, si non corpore, corde tamen ad vestra sacra vestigia provoluti humiliter petimus, ut, si aliquis inimicorum nostrorum ex nostra parte quiddam sinistrum mendoso falsitatis elogio vestris sanctissimis auribus significare praesumpserit, quasi serpentinum virus, apostolica abominetur auctoritas. Et quidem nostri episcopi, veritatis discipuli, magistri erroris esse non possunt, qui ortodoxi patris catholicae et apostolicae fidei veri probabuntur esse cultores.

Inter ista vero ratum esse duximus inserendum, quod si aliqua incursio paganorum fines beati Petri vobis caelitus commissos adire temptaverit[a] aut forte terminos augustissimi imperatoris atque amantissimi germani nostri Hluduwici, prout nuperrima atque infausta relatione comperimus, inrumpere praesumpserit[1], illud nobis absque ulla dilatione ocius significari deposcimus, quod postposito[b] rerum temporalium[c] damno atque parvipenso[d] perituri discrimine regni pro amore et timore Dei et beatorum apostolorum sanctorumque omnium reverentia simulque vestra sanctissima paternitate, quam prae omnibus mortalibus diligere ac venerari decrevimus, nos ac fideles nostros morti ac periculo tradere parati sumus, scientes esse scriptum[2]: 'Timere non debemus mortem, quae sine dubio perducit[e] ad vitam'.

Igitur quibus valemus[f] votis Domini misericordiam imploramus, ut nostram mansuetudinem vestrae excellentissimae almitati tandem repraesentet incolumem, quatenus verior experientia apostolatus vestri puriter cognoscat, utrum prolata a veritatis fonte emanaverint.

Omnipotens Deus nostri memorem summum vestri sanctissimi pontificatus apicem prosperis successibus feliciter insignitum ad custodiam gregis conservare et exaltare dignetur, gloriosissime ac praestantissime pater.

2.

Episcopi regni Lotharii Nicolao papae exponunt, quid in synodo actum sit, orantque, ne calumniantibus aures praebeat, priusquam Lotharii legati Theutgaudus et Hatto episcopi in urbem veniant[3]. *861.*

Cod. Broweri apogr. cod. Trevir. f. 18—18', quem cont. A. Werminghoff.

Edd. Baronii ann. 862 n. 44—47 (ed. pr. X, 233—234); Labbe-Cossart, Concilia VIII, 697—698; Sirmond, Conc. Gall. III, 158; Mansi, Conc. coll. XV, 548—550.

DOMINO[a] VERE SANCTISSIMO AC BEATISSIMO TOTIUSQUE SANCTAE MATRIS ECCLESIAE PII REGIS CHRISTI SANGUINE ACQUISITAE PONTIFICI ET UNIVERSALI PAPAE NICHOLAO ARCHIEPISCOPI ET COEPISCOPI IN REGNO DOMNI AC GLORIOSISSIMI REGIS HLOTHARII CONSISTENTES IN CHRISTO PASTORUM PRINCIPE FIDELIA ORATIONUM VOTA SUMMAEQUE FELICITATIS ET PACIS GAUDIUM.

Apostolicis documentis et pontificalibus decretis multipliciter informamur, ut vestri sanctissimi apostolatus apicem, principis apostolorum fide et nomine consecratum,

---

a) tentav. *B; in marg.* offert arma et tutelam ecclesiae Romanae adversus paganos. b) quia *(del.)* quod postposito *corr. ex* -ta *B*, quia quolibet *Bar.* c) *corr. ex* temporar. *B.* d) *corr. ex* parvipensa *B.* e) *corr. ex* pred. *B.* f) *corr. ex* videmus *B.*

2. a) *in marg. Broweri manu:* Epistola ab episcopis regni Lothariensis inter primas missa, qua per legatos mittendos causae relatione[m] Nicolao pollicentur.

1) *Piratae Danorum, qui a. 859. Rodanum fluvium ingressi erant, a. 860. Pisam civitatem aliasque depraedati sunt, cf. Annal. Bertin. ed. Waitz p. 51. 54.* 2) *Nescio ubi.* 3) *Hanc epistolam aeque ac eam Lotharii quae sequitur anno 861. scriptam esse demonstrare conatus sum, v. Gesch. des Ostfränk. Reiches II, 20. Consentit mecum Parisot (Royaume de Lorraine p. 183).*

quoties sancta ecclesia aliqua novitate pulsatur, humiliter adeamus ibique veri consilii 861
saluberrima instituta sinceriter hauriamus, ubi mitis magister Christus et summum caput nostrum fundamentum ecclesiae posuit. Et, quia omnipotens Deus nostris iam periculosis temporibus misericorditer nobis vestrae auctoritatis iubar faustissimis divinae sapientiae floribus et sanctissimis virtutum studiis insignitum praevidit, illum laudamus, qui praestitit, eiusque clementiam votis imploramus assiduis, ut[a] talem ac tantum patrem nobis incolumem custodiat temporibus diuturnis. Quippe, si temporum opportunitas arrideret, vestrae sanctitati multum desideraremus nostram unanimem exhibere praesentiam, sed hoc ne fiat malefidis Dei fluctuosa tempestas intercipit ac multiplex rerum varietas impedire non cessat. Ille tamen, qui duobus maestis in via apparuit, Luc. 24, 13. 17.
amplitudinem vestrae caritatis[b] illo[c] dilatare dignabitur, ut tandem aliquando de vestra desiderabili praesentia consolemur.

Enimvero nec verbis fari nec iustae aestimationis poterit compendio ponderari, quanta divinae legis instituta quantave diu optatae pacis incrementa a suo paulatim recto tramite exorbitantia restaurari poterant, si vestrae dignationis visitatione frui mereremur. Re vera totius humani generis inimicus zizaniorum sator tanto amplius ovile Christi lupina rapacitate circuire non cessat, quanto citius sanctorum gloriam appropinquare considerat, eoque largius venena suae perfidiae spargere satagit, quo abundare iniquitatem et multorum caritatem refrigescere serpentino astu intelligit. Matth. 24, 12.
Hinc est, quod virulenta ac nefaria vitiorum germina, olim divina animadversione subversa, immo laetheo ac flammivomo barathro iusto Dei iudicio deputata, quasi redivivis radicibus, heu heu, frondescunt in frutice[d]. Porro, quod nos non sine gravi maerore describimus, funesta vulnera, divinis oraculis atque apostolico antidoto[e] in caeca[f] gentilitate salubriter procurata, iam male foetentia ad vestras iterum redeunt manus; impleturque illud propheticum: 'Curavimus Babylonem et non est sanata'. Ier. 51, 9.

Sed, unde modo pauca scripsimus, per fratres nostros Theutgaudum, Trevirensis ecclesiae venerabilem archiepiscopum, atque Attonem coepiscopum[1] latius exponere procurabimus. Per illos ergo vestrae celsitudini pure et viva voce, verbis ac scriptis, fideliter ac veraciter significare desideramus, de quibus vestram sanctitatem consulendam nostra decrevit unanimitas. De caetero praevios nostrae humilitatis apices vestris sacris obtutibus perferendos direximus, quia quorundam relatione comperimus, quod veritatis aemuli nostrique senioris domni Hlotharii evidentissimi inimici admodum[g] adversa velint in causa uxoris suae et hoc argumento falsitatis non modicas ordiri satagunt simultates suosque legatos ad vestram sanctam dinoscentiam mittere non verentur et nostram nondum definitam sententiam sinistra interpretatione pervertere conantur, praesertim cum nostra unanimitas de uxore nostri principis (si forte uxor dici debeat, quae se germano incestu maculaverat) nihil aliud hactenus determinaverit, nisi quod perspecto suae confessionis libello[2] publice confitenti remedio poenitentiae subvenire decrevimus. Inter haec illa fuga lapsa[3]: unde humiliter petimus, ut vestrae paternitatis veraeque caritatis[b] anchoram solido figatis in littore nullaque mendosi flatus impulsione veritatis et iustitiae libra vacillet, sed fidissimus[h] almifluentis flatus[i] praescriptos legatos domni ac senioris nostri Hlotharii gloriosi principis et dilecti filii vestri praestoletur, ut fucata mendacia nullis se gaudeant delituisse latibulis.

---

a) ui *del. et in marg. corr.* ut. b) char. c) *punctis deletum esse videtur.* d) fructice c *eraso.* e) anthidoto h *deleto.* f) coeca. g) ammodum *a Browero corr. in* admodum. h) fidissimos amnis fluentis fluctus *corr. ed.* i) factus *B*, flatus *corr. Tr.*

1) *Virdunensem. De hac legatione nihil aliunde notum est, cf. supra p. 209.* 2) *In synodo altera Aquisgrani a. 860. celebrata, Capitul. reg. Franc. II, 466.* 3) *Cf. Ann. Bertin. a. 860 ed. Waitz p. 54.*

862 Oramus sanctissimam paternitatem vestram, summo pontificatus apice caelitus sublimatam, ad custodiam gregis Dei feliciter vigere ac prosperato temporum cursu aeternam nancisci remunerationem, multum venerande semperque desiderande pater. Amen.

3.

Ludowicus Germaniae rex et Lotharius devotionem et studium erga Nicolaum papam testati de Karolo rege queruntur, qui post pacem initam ambitionis causa regna eorum sollicitet. Ab episcopis appendix additur, qua Ludowico imperatori gratias agunt. 862.

Cod. Broweri apogr. cod. Trevir. fol. 11—13. Laudat hanc epistolam ex cod. Brower, Ann. Trevir. I, 419.

Edd. Baronii Ann. eccles. a. 860. n. 27—31 (ed. pr. X, 193—195); cf. Mühlbacher n. 1262.

DOMINO VERE BEATISSIMO AC SANCTISSIMO TOTIUSQUE SANCTAE DEI ECCLESIAE ROSEO PII REGIS CHRISTI SANGUINE ACQUISITAE[a] PONTIFICI ET UNIVERSALI PAPAE NICOLAO HLUDUWICUS[b] ET HLOTHARIUS DIVINA[c] PRAEVENIENTE GRATIA[d] REGES IN PRINCIPE PASTORUM CHRISTO SEMPITERNAM SUMMAE FELICITATIS[e] PACEM ET GLORIAM[1].

Nullus mortalium sanctissimi apostolatus vestri sospitatem largius audire et uberius videre desiderat, quam nostra unanimis affectio; et sicut spiritales ac devotissimi filii almifluam paternitatem vestram toto cordis affectu amplexamur. Nos vero divina largiente clementia sani et incolumes vigemus et, pro nobis omnipotentis Dei victrici dextera pugnante[f], sopitis per omnia in regnis nostris paganorum infestationibus, in vestris obsequiis et utilitatibus paratissimi existere desideramus. Porro Christus dominus noster, qui regium et pontificale nomen solus sibi vindicavit, quique sanctae matris ecclesiae fundamentum[g] principis apostolorum Petri fide et nomine locavit, sua nos gratuita bonitate respiciens, vestri apostolatus apicem in omnibus mundi partibus salubriter profuturum praeelegit et, uti dignum erat, almifluo virtutum diademate
cf. 2. Tim. 3, 1. decoravit, cui generalem sui gregis commisit solicitudinem. Quippe iam periculosis temporibus, in quos, ut apostolus docet, fines saeculorum devenerunt, tantae[h] sanctitatis pontifex divina dignatione largitus, ut ea, quae verbis[i] docet, religiosissimis exemplis persequatur[k]. Unde nos modis omnibus congaudemus et spiritali iucunditate laetamur, immo mente et corpore vestrae sanctae paternitati nos humiliter committimus vestrisque sanctissimis precibus apud illum, qui pontifex est in aeternum, commendabiles fieri suppliciter[l] obsecramus. Postquam enim de vestro pio studio et vigilantissima pastorali cura semel aliquid hausimus, nostrum multipliciter flagrat desiderium, ut, si Deus omnipotens nostris votis annuerit, quem absentem mente veneramur, quandoquidem praesentem divina largitione dulciter amplexemur atque christianissimorum principum more ad vestra sacra vestigia provoluti, de vestro desiderio recreari mereamur.

Et quidem[m] ad notitiam Deo digni pontificatus vestri perferendum[n] decrevimus, qualiter olim his praeteritis annis per totius humani generis inimicum suosque ministros, operarios videlicet iniquitatis, nequissimos christianos, quaedam simultas in regnis

---

3. [a]) *in marg.* vivum exemplar subiectionis regum erga sedem apostolicam *B.* [b]) magnus *add. et del. B.* [c]) divinam *B.* [d]) *in marg. suppl. B.* [e]) foelic. *B.* [f]) *in marg.* Nortmannorum motibus sopitis *B.* [g]) *in marg.* gratulantur ecclesiae Nicolai pontificatum *B.* [h]) *corr. ex* sanctae *B.* [i]) s *in ras. B.* [k]) prosequatur *Bar.* [l]) simpliciter *B, corr. Bar.* [m]) *in marg.* Relatio. [n]) *corr. ex* praeferendum *B.*

1) *Hanc epistolam a. 862. post conventum regum Moguntiacensem scriptam esse constat, cf. Dümmler, Ostfränk. Reich II, 34, Parisot, Roy. de Lorr. p. 197.*

nostris orta fuit. Unde sanctae matris ecclesiae filii innumeras pertulerunt calamitates, 862
depraedationes, vastationes multiplicesque incommoditates. Sed hoc plurimum detestantibus episcopis monentibusque Dei ac nostris fidelibus, nos et Carolus [1] maior ac primates regnorum nostrorum pariter convenimus et de statu sanctae Dei ecclesiae atque servanda inter nos pace et regnis lege ac iustitia mutuo firmavimus. Immo hoc publice denuntiavimus [2], quod, si aliquis pseudochristianus contra has saluberrimas pacis condiciones sinistrum aliquid et tantae paci contrarium moliretur, ab omnibus insecutus aut ad emendationem veniret aut certe illi nullum evadendi pateret latibulum.

Sed re vera, quod non optabamus et non sine tristitia scribimus, diabolus in membris suis saeviens praescripta pacis indicia pervertere nititur et per eos, qui incorrigibiles sunt ac denuntiati fuerant eliminandi, cum sint infideles, loco fidelium a quodam adoptati, redivivam inter nos, proh dolor, discordiae pestem seminant. Unde fit et verisimile cernitur, quod Carolus maior [3] eorum instinctu fideles nostros hinc inde sollicitat, ut sub praetextu et occasione potestatis indebitae quaedam non referenda[a] praeiudicans in regno alteri a Deo concesso praecipitanter[b] aspiret[c], cum apostolus dicat: 'Non est enim potestas nisi a Deo'. Si enim huiusmodi lamentabilis Rom. 13, 1.
cessasset ambitio et venena pullulantis invidiae saltem apostolico antidoto[d] mederentur, pura mente disponeremus[e] sanctorum apostolorum limina vestramque desiderantissimam ac sanctissimam paternitatem humiliter et reverenter visitare, praesertim cum, pugnante pro nobis, ut diximus, Christo, ex omnibus nostrae ditionis finibus paganorum infestatio viriliter sit repulsa et nostri desiderii votum sola intercipiat[f] pseudochristianorum discordia[g].

Oportet[h] praeterea vestrae auctoritatis iubar propter generalem solicitudinem nostros invisere fines, ut quos nulla pacis foedera, nulla movent fraternae caritatis viscera, nulla nectunt consanguinitatis lineamenta[i], apostolica invectio ad censuram ecclesiasticam venire compellat. Et quidem sanctissimi praedecessores vestri per suam praesentiam ac pium laborem plurima correxerunt[k], immo per legatos ac litteras, absentes corpore, sed Spiritu sancto praesentes, innumera, quae in abruptum[l] perversitatis lapsa fuerant, revocantes ad rectum iustitiae tramitem reduxerunt[m]. De cetero, si aliquis regum, quod absit, vel forte aliqua contumax persona vestrae beatitudinis admonitionem parvipendere praesumpserit, latere non poterit, dicente veritate: 'Unaquaeque arbor de Matth. 7, 20.
fructu suo cognoscitur'. Nos ergo propriis limitibus ac terminis contenti[n] illi sanctae sedi[o] apostolorum principis et vestrae ab omnibus reverendae auctoritati humilem subiectionem unanimes modis omnibus observare decernimus eique collatam divinitus immunitatem salubriter tueri praeoptamus. Igitur quasi ad vestra sacra vestigia provoluti propter amorem Dei et reverentiam beati Petri multipliciter precamur, ut ex nostra unanimitate nihil sinistrum nihilque falsidicum credere dignetur vestra sancta paternitas. Sed sicut per Liudfridum[p] fidelem nostrum atque illustrissimum comitem vobis dudum significavimus [4], ita apud vos puriter ac veraciter teneantur, quousque auxiliante Deo aut per nos ipsos aut per strenuos legatos nostros viva voce vestrae magnitudinis satisfacere procuremus et de incertis certum reddere valeamus.

---

a) reprehenda *B*, refer. *Bar.* b) r *ultim. corr. ex* in *B.* c) aspirat *B*, *corr. Bar.* d) antydotho h *del. B.* e) disponimus *in marg.* disponeremus *B;* disponebamus *Bar.* f) intercipit *B*, *corr. Bar.* g) Incittatur *(sic)* Nicolaus in Galliam ut utatur summa auctoritate in tollendis dissidiis. h) Oporteret *Bar.* i) liniam. *corr. in* lineam. *B.* k) *corr. ex* correxerint *B.* l) p *suprascr.* m) *corr. ex* -rint. n) *corr. ex* contempti *B.* o) Dei *B*, sedi *Bar.* p) Gudfridum *B.*

1) *qui dicitur Calvus.* 2) *Cf. Conventum ap. Confluentes a. 860. habitum, Capit. c. 4 (Capitul. reg. Francor. II, 155).* 3) *qui a. 861. regnum Provinciae sine fructu aggressus erat, cf. Hincmari ann. a. 861 p. 56 ed. Waitz.* 4) *De cuius legatione a. 860. suscepta cf. supra p. 209 v. 35.*

863 in. Omnipotens Deus tanti pontificis sanctissimum apicem ad consolationem sanctae matris ecclesiae ac filiorum eius nostramque perpetuam pacem diu incolumem custodiat pro nobis apud pium iudicem feliciter interpellando. Amen.

Embolim[a]. Pro parvissimo temporis articulo episcopi praesentes epistolam dominorum nostrorum gloriosissimorum regum nostris litteris persequi non potuimus. Unde etiam actum est, quod non iuxta morem antiquum in tuncardo[b] conscripta cernitur, sed in membranis. Assidua tamen orationum vota vestro sanctissimo apostolatui humiliter intimamus, quae, ut credimus, in conspectu cuncta videntis oblata nos vobis commendabiles reddent, in vestris sanctissimis precibus multipliciter confidentes. Porro humiliter petimus, ut vestros apices remittendo multimodas gratiarum actiones referatis domino Hluduwico maiori[1], quod tam indefessus operator existit pro pace sanctae Dei ecclesiae et salute populi christiani: nisi enim ille tam ineluctabiliter ac fideliter istis in partibus laboraret, iam paene ista christianitas periclitata fuisset.

Dominum etiam Hlotharium regem vestra pia solicitudo corroborare et confortare dignetur, quia fidissimus defensor est sanctae Dei ecclesiae contra paganorum infestationem nec alicubi, protegente Christo, in suo regno sancta mater ecclesia de paganis aliquod dispendium patitur[2].

4.

Adventius, Mettensis episcopus, per Walthārium Lotharii regis fidelem de consiliis eius certior factus, Thietgaudo archiepiscopo Trevirensi, ut caute cum eo agat, instanter suadet. *863 in.*

Cod. Broweri apogr. cod. Trevir. fol. 33—33'. Meminit huius epistolae ex cod. Brower, Ann. Trevir. I, 421.

Edd. Baronii Ann. eccles. a. 862. n. 60 (ed. pr. X, 238—239); Hontheim, Hist. Trevir. diplom. I, 199; Migne, Patrol. CXXI, 1143—1146.

REVERENTISSIMO[a] AC SANCTISSIMO NOBIS PER OMNIA DESIDERANDO PATRI THEUTGAUDO ADVENTIUS[3] DEVOTUS FILIUS ET ASSIDUUS ORATOR SUMMAE FELICITATIS[b] PACEM ET GLORIAM[4].

Praesentes apices, per Deum et propter Deum humiliter precamur, ut nullus alius mortalium videat, sed Vulcanus edax perspectos consumat. Vestrae antiquae gravitatis et maturum consilium [h]ac vice fidei anchoram prudentiae tutelam figat in sapientiae firmamento[c], ne aliquid nostro seniori sinistrum vel dextrum isto tempore nuntietis, quousque in purificatione sanctae Mariae[5], sicut pro certo vocati sunt omnes nostri confratres, Mettis conveniant, quia pro certo scitis, quod noster senior modis omnibus deliberatum habet, ut illorum communi consilio, quicquid illis secundum Deum melius visum fuerit, in omnibus se paratissimum esse promittat[d], aut eorum monitis atque consiliis parens nihil ulterius aliter agat. Quapropter oportet vos, dilectissime pater, modo caute agere, ne, quod absit, aliqua vana spe a via Dei et evangelicis

---

a) *in marg.* Embolimon episcoporum insertum *B (cf. de hac voce EE. V, 91. 95. 268).* b) tumario *(i. e. tomario, papyro) emend. Karabacek, cf. Bresslau, Handb. der Urkundenlehre I, 884, Wattenbach, Schriftwesen ed. 3 p. 106. 'Subesse videtur barbara formatio, quae ex 'tomus' et 'charta' coaluerit, cf. Cangium sub 'thomocharta'.' Tr.*

4. a) Reverendissimo *B, in marg.* Adventius Tietgaudo metrop. rationem praescribit cum Hlothario caute agendi. b) foelicit. *B.* c) *in marg. corr.* fundamento. d) promittit *B,* -tat *corr. Bar.*

1) *Ludowico II imperatori.* 2) *Cf. supra p. 209 v. 26—29.* 3) *Mettensis episcopus a. 858—875.* 4) *Parisot (Royaume de Lorraine p. 264) hanc epistolam anno 865. adscribere voluit, sed cum Theutgaudus, iam a. 863. a Nicolao papa deiectus, tunc ab officio episcopali se abstineret, Adventius ei non ea ratione ut supra scribere potuit. Probabilius igitur cum aliis has litteras anno 863. ineunte datas esse olim conieci, cf. Gesch. des Ostfränk. Reiches II, 64 n. 2.* 5) *die 2. Februarii mensis.*

atque apostolicis documentis deviando, laqueum incurrat Averni. Certi enim esse 863
potestis, quia si nostra culpa aut aliqua vana fiducia modo erraverit, illud implebitur propheticum[a]: 'Sanguinem ipsius de manu tua requiram'. Ista quippe ideo scribimus, Ezech. 3, 18.
quia Walthariun, nostri senioris fidelem[1], hodie excepimus de palatio[2] remeantem, qui nobis praedictam deliberationem in sua fide ex parte nostri senioris, ita ut praediximus, affirmavit, immo multoties deprecatus est, ut propter amorem Domini ista vobis significaremus modisque omnibus consuleremus, ne ex vestra parte vel vestra viva voce[b] aliquid tale audiat, unde a sua salute vacillet. Aptius enim nobis cernitur simulari infirmitas, quam ut praeparatam a Deo medicinam languens stomachus reiciat.

Bene vos valere optamus, dilectissime pater.

5.

Adventius Mettensis episcopus de Waldrada a Lothario rege cum patris consensu in matrimonium ducta refert, Theutbergae nuptias ab Hucberto fratre conciliatas ob incestum eius irritas fieri vult. *863.*

Cod. Broweri apogr. cod. Trevir. fol. 30′—32. Laudat hanc relationem ex cod. etiam Brower, Ann. Trevir. I, 415.

Edd. Baronii Ann. eccles. a. 862 n. 29—31 (ed. pr. X, 227—228); Migne, Patrol. CXXI, 1141—1144.

Narratio Adventii episcopi a capite repetita de Hlotharii matrimonio. Omissum exordium longissimum de regum et sacerdotum auctoritate. Incipit: Inclitum sanctae decus ecclesiae .....

..... Augustus[a] divae recordationis Hlotharius per electionem populi regni Romanorum creatus est imperator, arcemque regni Francorum regens inter reliquas[b] gestorum suorum deliberationes filio suo domino Hlothario virginem nobilem nomine Waldradam sub nomine divinae fidei tradidit, ut eam in Dei fide et sua futuro tempore custodiret et obtineret. Et ut haec copula iusta esse patesceret, in praetitulatione dotis centum mansos gloriosissimo puerulo tradidit, qui necdum suae libertatis[c] erat, licet futurus heres patri, sed sub tutoribus et actoribus manebat, sicuti de talibus loquitur apostolus dicens: 'Quanto tempore heres parvulus est, nihil differt a servo, cum Gal. 4, 1. 2.
sit dominus omnium, sed sub tutoribus et actoribus est usque ad praefinitum tempus a patre'. Verum quamdiu praedictus imperator regni Francorum sublimitatem obtinuit, praefatus puerulus datae sibi puellae paterno munere inhaesit; quod non in angulo[d] patratum fuit, quia veritas non habet angulos, sed in publico pontificum et optimatum spectaculo, sicut paedagogi eius testantur, etiam et avunculus eius Leutfridus[3]. Domino imperatore Hlothario migrante[4], in ipsis diebus paterni luctus Hucbertus acefala[e 5] cum suis complicibus sororem suam nomine Theutbergam domino regi Hlothario clarissimo adolescentulo adduxit et fraudulenter eam sibi sociavit, minans regis esse periculum de statu regni sui, si suis non faveret hortamentis. Acquievit rex, licet nolens, sicut ipse testatus est.

Fama pessimae turpitudinis Theutbergam sequitur et de incestuoso concubitu fratris sui Hucberti rea acclamatur; affertur scedula[f] confessionis, ubi sponte confessa

---

a) per *ante* prophet. *delet B.* b) pace *B,* voce *Bar.*

5. a) *In Annal. Trevir. haec antecedunt, quae fortasse inserenda sunt:* Fortissimus heros et perpetuus. b) *corr. ex* reliquias *B.* c) *corr. ex* liberalitatis *B.* d) angulos *B.* e) *in marg.* Hubertus acephala. f) sched. *B.*

1) *De quo cf. supra p. 209 n. 2.* 2) *Aquensi.* 3) *frater Ermengardae imperatricis, de quo cf. Hincmari ann. a. 862 p. 60 ed. Waitz; Poet. aevi Carol. III, 237.* 4) *Lotharius I. obiit IV. vel III. Kal. Oct. a. 855.* 5) *abbas S. Mauricii, de quo cf. EE. V, 612—614.*

863 legitur, iudicio consulum damnatur, misericordia praesulum salvatur; fugam capessit[1]. Huius facti notitiam per illustres viros piissimus rex dominus Hlotharius Romam mittit et causas rei pandere statuit. Beatissimus papa Nicolaus ratione comperta deliciosos missos, Rodoaldum scilicet Portuensem, Iohannem Fidiculensem, in Franciam mittit[2] et in urbe Mettica generale concilium celebrare decernit. Ubi praesentiam suam gloriosissimus rex Hlotharius cum universo primatum suorum nobiliumque consiliatorum comitatu ostendens, in sancta synodo resedit; ibi causas suae actionis in conspectu legatorum Romanae sedis exposuit, quomodo in fide Dei genitor suus excellentissimae memoriae dominus Hlotharius perpetuus augustus ei[a] virginem praenobilem manu propria tradiderit et reliqua, quae supra enumeravimus. Quod vero Theutberga reatus sui culpam publice confessa fuerit, in praedicto concilio, quod Mettis civitate patratum est, senatores universi regni Francorum perficere se acclamaverunt[b]. In quibus prudentia tam temporalis quam spiritalis refulget, quorum patres, proavi et atavi Romanorum[c] consilii maturitate rexerunt imperium, quorum stirpem tempore augustorum domini Hludvici imperatoris et magnificentissimi Hlotharii semper titulo consulatus[d] exornatam intuitus sum, horum specialem consilii praerogativam nequaquam abiciendam universitas populi acclamavit, quippe cum nec criminum eis damnositas obiciebatur, sed probitatum ingenuitas laudibus efferebatur. Quapropter, quia passim plurimi varie de his opinantur et multiplicia definitionum genera ponunt, quo affectu super his tractaverim ac senserim, reverentiae fidelium elucidare curabo. Quando imperator piissimus filio suo aequivoco puellam nobilitate carnis insignitam dedit, nondum eram episcopali onere praegravatus nec his interfui actibus. Theutberga cum introducta fuit et secundum coniugium patratum est, nisi auditu penitus ignoravi. His rebus ita excursis, expetitus a clero et electus a plebe, episcopus canonice consecratus[3], in his factis taliter sensi: christianissimus imperator in fide Christi et sua virginem filio
Exod. 20, 14. dedit; fides Dei scortum non donat, sed repudiat, dicens: 'Non moechaberis'. Et
Ps. 72, 27. psalmista: 'Perdes omnes, qui fornicantur abs te'. Paulus, qui fide Dei praecinctus
Eph. 5, 5. erat, clamat hoc inquiens: 'Scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi et Dei': qui portans stigma Iesu[e] in corpore suo, hoc est vexillum fidei, non fovet
1. Cor. 6, 9. 10. adulteros, sed cuspide sacri faminis[f] terebrat, dicens: 'Neque adulteri regnum Dei
Ps. 144, 13. Act. 13, 34. possidebunt'. Dominus, qui fidelis est et dat sancta David fidelia, et orthodoxo imperatori Hlothario non abstulit potestatem coniungendi filium suum cum quacumque
Matth. 19, 9. puella decrevisset, in evangelio dicit: 'Qui dimissa uxore[g], alteram duxerit, moechatur'. Unde oportet, ut haec audientes pio et devoto studio paternos canones audiant ac
cf. Prov. 22, 28. servent, quia terminos patrum numquam transgredi oportet. Nam sacri canones paterno munere mulierem datam culpa carere proclamant. Imperator, qui culturae divinae deditus erat, fornicationis detestabili facinore filium uti non permisit Hlotharium regem, cuius professio et omnium senatorum talis extitit de copula Waldradae, quod eam genitor in fide Dei sibi dederat.

De Theutberga vero, quod sceleris sui malum de horrendo impudendi fratris amplexu confessa[h] et comprobata fuerit, similiter omnino protestati sunt, quae non pavidis a nobis minis territa est nec amoenis confota blanditiis. Ipse autem secun-
Rom. 12, 18. dum apostolum faciens[i], ubi dicit: 'Si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem

---

a) et *B.* b) acclamaverint *B, corr. Tr.* c) Romanum *B.* d) -sulatus — horum *in ras. B.* e) *corr. ex* Iesum *B.* f) *post* fa- *littera erasa est.* g) *corr. ex* uxorem. h) confota *B.* i) fauens *B.*

1) *Cf. supra p. 211 n. 3.* 2) *Hincmari ann. a. 863. p. 62 ed. Waitz:* missos domni apostolici Nicolai Raduoldum scil. Portuensem episcopum et Iohannem Ficodensem episcopum. 3) *Cf. Ann. S. Vincentii Mett. a. 858 (SS. III, 156):* Adventius episcopus Metensis; *Necrol. Mett. (Forsch. z. Deutschen Gesch. XIII, 599):* VII. Id. Aug. Et ipso die consecratio Adventii episcopi.

habete', et consulum nobilium voces audiens, sicut supra per succedentia tempora 864
exemplis annotavimus, quod audita et approbata sunt senatorum consilia, in omnibus subscriptionibus et definitionibus nostris hoc modo censuimus, ut si Theutberga confessa praedictum fuisset reatum, regia societate indignam esse[a]. Et si Waldrada in fide Dei munere patris iuncta esset regi, fidem Dei non ausus fui blasphemare, ne forte perfoderet me scriptura verbi iaculo dicens: 'Blasphemos ne patiaris vivere'. Lev. 24, 16.
Apostolus licentiam dat, ut unusquisque in suo sensu abundet. Rom. 14, 5.

6.

Ratholdus, Strasburgensis episcopus, se nimis impeditum sero legatum ad eum misisse apud Nicolaum papam excusat. *864.*

Cod. Broweri apogr. cod. Trevir. fol. 32'—33.

Edd. Baronii Ann. ecclesiast. a. 864 n. 8 (ed. pr. X, 274).

DOMINO[a] VERE SANCTISSIMO AC BEATISSIMO NICOLAO SUMMO PONTIFICI ET UNIVERSALI PAPAE RATHOLDUS SANCTAE ARGENTARIENSIS ECCLESIAE EPISCOPUS[1], QUAE VULGO STRAZBURGA APPELLATUR, HUMILIS PIA ORĀTIONUM VOTA ASSIDUASQUE PRECES.

Igitur quibusdam expeditionibus regalis imperii occupatus, immo obsessionibus paganorum nec minus perversorum christianorum simultatibus praegravatus, meae excusationis causas iuxta decreta Deo digni apostolatus vestri per legatum meum[2] vestrae mansuetudini antea dirigere non potui et teste rerum omnium conditore nulla temeritate nullaque arrogantia retardante actum est, sed sola impossibilitate[b] et iam dicta importabili occupatione dimissum. Quocirca, si non corpore praesens, mente tamen quasi ad vestra sacra vestigia provolutus, indulgentiam peto ob illius amorem, qui sero confitenti latroni paradysum promisit et qui per prophetam clamat: 'Cum ingemueris, salvus eris'[c]. . . . . Luc. 23, 41—43. cf. Ezech. 18, 23.

7.

Lotharius rex Nicolao papae de legatorum receptione scribit, Guntharii Coloniensis contumaciam vituperat, Theutgaudi oboedientiam laudat, suam ipsius innocentiam et in his et in Engiltrudae rebus testans. *864.*

Cod. Broweri apogr. cod. Trevir. fol. 13—14'. Excerpta huius epistolae ex cod. dedit Brower, Annal. Trevir. I, 420—421.

Edd. Baronii Annal. eccles. a. 864 n. 23—26 (ed. pr. X, 279—280); Mansi, Coll. concil. XV, 384—386; Migne, Patrol. CXXI, 371—374; cf. Mühlbacher n. 1269.

DOMINO VERE BEATISSIMO ET SANCTISSIMO TOTIUS SANCTAE DEI ECCLESIAE SUMMO PONTIFICI ET UNIVERSALI PAPAE NICOLAO HLOTHARIUS [DIVINA][a] PRAEVENIENTE CLEMENTIA REX SUMMAE FELICITATIS[b] AC PRAESENTIS PROSPERITATIS[c] [PACEM] ET GLORIAM[d].

Postquam nobis divina dignatio sua gratuita clementia regni gubernacula commisit, more praedecessorum nostrorum, christianissimorum regum, semper et in omnibus

---

a) censui *add. repetendo B.*

6. a) *in marg.* forte hic quippiam deest, etsi in MS omnia connexa. b) inpossib. *corr. in* imposs. *B.* c) *sequitur et deletur:* Gyrographum tributi de rebus sancti Stephani Mettensis ecclesiae inter Adventium episcopum et Gerbertum filium Frotbaldi. *Finis epistolae deest.*

7. a) *om. B, add. Bar.* b) foelic. *B.* c) *nulla lacuna in cod.* d) *in marg.* Studium Hlotharii erga sedem apostolicam.

1) *a. 840—874.* 2) *Cf. Hincmari ann. 864 p. 71 ed. Waitz:* Sed et episcopi regni Hlotharii legatos suos cum libellis poenitentiae et professionibus canonicis, quoniam ab evangelica veritate et apostolica auctoritate sacrisque regulis in causa Theutbergae ac Waldradae non mediocriter deviaverant, ad apostolicum dirigunt. Hlotharius vero Ratoldo Argentoratensis urbis episcopo cum scriptis falsa more suo de sua excusatione et voluntaria correctione loquentibus praemisso ad apostolicum *etc.*

864 sublimandam beati Petri apostolorum principis sedem, ut dignum est, reverenter dileximus atque instanter, quantum in nobis, illam exaltare parati sumus deque vestro tamquam summi[a] spiritali regimine semper salubria haurire cupientes, veritatis voce
Ioh. 21, 15—17. Ezech. 34, 15. 16. vobis dictum recolimus: 'Petre, amas me, pasce oves meas'. Et per prophetam: 'Ego pascam oves meas, dicit dominus Deus; quod perierat requiram et quod abiectum fuerat reducam, et quod confractum erat alligabo et quod infirmum consolidabo'. Admodum[b] quippe desideramus citius vobis nostram exhibere praesentiam, ut illud veriori
cf. ib. 16. 22. experientia implere possitis, quod idem propheta post pauca subintulit: 'Et iudicabo illas in iudicio et iustitia[c]'. Re vera serenissimum ac devotissimum circa piam paternitatem vestram nostrae mentis affectum acriter obnubilat, quod aemulorum nostrorum falsidicis vocibus nimium creduli, ultra quam vobis[d] necesse esset, in nostra derogatione sanctissimi apostolatus vestri aurem accommodatis, praesertim cum nostra mansuetudo promptissima sit omni deroganti vera et iusta ratione resistere, quod et legati vestri[e] nuper in his partibus directi vobis intimare poterant, si vellent, quia nos data nostris accusatoribus firmitate aditum veniendi concessimus et rationabilem satisfactionem, tamquam in vestra praesentia ex vestro latere directis explere parati fuimus, nihil nostrae regiae dignitati faventes, sed, quasi unus[f] ex vilioribus personis, sacerdotalibus monitis parentes. Hoc totum nostri aemuli sinistra interpretatione intelligentes exarserunt in concupiscentia regni nobis divina in[g] dignatione iure hereditario concessi,
cf. Dan. 2, 37. Rom. 13, 1. non attendentes scripturam dicentem: 'Domini est regnum et cuicumque voluerit dabit illud' neque apostolum dicentem: 'Non est potestas nisi a Deo'. Illius ergo victrici dextra pro nobis, uti credimus, pugnante, qui novit et deripientem et eum qui deripitur, parvipendimus eorum fucatas simultates, solummodo ut vestri pontificatus anchora in solidissimo sanctae matris ecclesiae fundamento fixa nobis humiliter petentibus con-
Lev. 19, 15. cedere dignetur quod in mandatis digito Dei scriptis legitur: 'Iuste iudica proximo tuo'.

Porro nos in ultimis paene regni nostri finibus commorantes et erga infestationem paganorum laboriosas excubias servantes, discurrentium relatione comperimus Theutgaudum Trevirensem et Guntarium Agripinensem[1] a vestra[h] auctoritate excommunicatos atque oris proprii testimonio canonice damnatos[i]: quod nos non sine gravi maerore haurientes decrevimus longanimiter ac patienter ferre nuntiata et, ut olim in pluribus actum est, restitutionis spem habere et pie refricatis ac retractatis omnibus locum rationabilis misericordiae a vestra largitate praestolari. Interea accidit nobis nosse, quod Guntharius missarum sollemnia, antequam ad nos perveniret, celebrare non metuit[2] et iuxta praecedentem consuetudinem episcopalem chrisma conficere et Spiritum paracletum tradere praesumpsit[k], quod nos satis aegre tulimus et, ut hoc non[l] fieret, tamquam mortiferum venenum modis omnibus abominamur. Illo autem ad nos veniente, eius missam audire noluimus nec in aliquo illi communicare ratum
Matth. 18, 9. duximus et iuxta veritatis vocem quasi scandalizantem oculum a nobis inhibere[m] maculam disponimus, quousque sanctissimi apostolatus vestri finitivam sententiam de illo rescire valeamus. Epistolam quoque a vestra sanctitate episcopis dioceseos directam illi transmisimus, ut ibidem canonicas atque apostolicas sanctiones liquido cognoscens videat, quid in posterum illi agendum sit.

---

a) patris *suppl. Bar.* b) d *suprascr.* c) *in marg.* Expostulatoria. d) nobis *B, corr. Tr.* e) nostri *in marg.* vestri *B.* f) unius i *del. B.* g) *om. Bar.* h) vestram m *eraso B.* i) *in marg.* Thietgaudi et Guntharii excommunicationem deplorat. k) *in marg.* Guntharii temeritate accusatur. l) *corr. ex* honon. m) inhaerere *in marg.* inhibere *B.*

1) *a. 850—863 (870).* 2) *Hincmari ann. Bertin. a. 864 p. 71 ed. Waitz:* Guntharius autem in ipsa coena Domini *(i. e. April. 2)* Coloniam veniens missas celebrare et sacrum chrisma conficere, ut homo sine Deo, praesumpsit; Theutgaudus vero a ministerio, sicut ei fuerat praeceptum, se reverenter abstinuit.

De caetero veraciter ac sinceriter vestra paternitas noverit, quod Theutgaudus, 864
simplicissimus atque innocentissimus vir, vestram humiliter ferens censuram[a], in nullo de sacro ministerio contingere praesumpsit, magis eligens dehonorationem[b] praesentialiter in oculis hominum pati, quam per inoboedientiam ab illius membris secerni, qui caput est humilium suisque discipulis ait: 'Discite a me, quia mitis sum et humilis Matth. 11, 29.
corde, et invenietis requiem animabus vestris'. Ipse enim, 'qui superbis resistit et 1. Petr. 5, 5.
gratiam praestat humilibus', poterit illum, si innocens est, de supernis misericorditer respicere. Enimvero legatis nostris, Theutgaudo et Gunthario, nihil tale aliquid in sua legatione fari praecepimus[c], unde damnationis notam incurrerent. Sed nec de Engiltrude[d] uxore Bosonis[1] aliquod praeiudicium ferre debemus aut volumus, quam nos, comperto quod anathematis vinculo esset innodata, Gunthario, quia in sua parochia erat, commendavimus monentes, ut de illa suum ministerium faceret; immo illam ex omnibus regni nostri finibus eliminandam censuimus. Legati enim vestri illam postmodum requirentes atque in medio statuentes, nos ignoramus, quem finem causae ipsius imposuerint. Episcopi vero dioceseos[e] Trevirensis metropolis et Agrippinae Coloniae nec complices damnatorum nec fautores vitiorum nec in aliquo apostolicorum decretorum contemptores vel canonicorum dogmatum violatores esse probabuntur[f], sed sanae atque catholicae fidei ac veri Dei cultores. Igitur propter Deum [et] sanctam et individuam Trinitatem humiliter petimus, ut facile criminosos ad causationem nostram nullatenus admittatis neque, ut apostolus docet, omni spiritui credatis, sed probate, 1. Ioh. 4, 1.
si ex Deo sit, quia parati sumus, si ratio dictaverit, per nosmet ipsos polire quod aemulorum invidia fingit accidia.

Omnipotens Deus sanctissimum praesulatus vestri apicem aequitatis lance moderatum diu incolumem custodiat. Amen.

8.

Adventius Mettensis episcopus neque Theutgaudum neque Guntharium se amplius in episcoporum numero habiturum esse testatus, Nicolao papae se in causis Lotharii regis atque Engiltrudis comitissae neque auctorem neque fautorem exstitisse affirmat; per litteras, cum ob malam valetudinem venire non posset, papae veniam expetit. *864.*

Cod. Broweri apogr. cod. Trevir. fol. 4—6. Laudat hanc epistolam ex cod. Brower, Annal. Trevir. I, 416. 421.

Edd. Baronii Ann. eccles. a. 863 n. 51—55 (ed. pr. X, 256—258); Mansi, Coll. concil. XV, 368—371; Migne, Patrol. CXXI, 1145—1148.

GLORIOSISSIMO[a] DOMINICI GREGIS PASTORI, DOMINO ET BEATISSIMO NICOLAO, SUMMO ET UNIVERSALI PAPAE ADVENTIUS HUMILIS METENSIUM SEDIS EPISCOPUS NUNC ET IN AETERNUM VALERE[2].

Christus dominus deus proprii sanguinis pretio adquisito gregi solita pietate prospiciens vobis summi sacerdotii contulit dignitatem, cui inter plurima spiritualium virtutum ornamenta, quibus sanctam matrem ecclesiam inimitabili sanctitate condecoratis, sacra etiam priscae auctoritatis dogmata affatim resplendent, quo christiana plebs efficacis-

---

a) *in marg.* Thietgaudi commendatio. b) *corr. ex* dehomationem. c) praecipimus *B, corr. Bar.* d) *in marg.* Engiltrudis. e) diocaeseos *B.* f) *in marg.* Suffraganeos purgat Trevir. et Colon. metropol.

8. a) *in marg.:* Purgatio Adventii et pacis veniaeque postulatio.

1) *Cf. Nicolai de ea sententiam Hincmari ann. Bertin. 864 p. 65 ed. Waitz.* 2) *Antecedit in codice fol. 3—4 Nicolai papae epistola ad Adventium data (= Jaffé Nr. 2768), cui in margini haec adscribuntur: 'Haec epistola recte subiciatur insequenti; respondet enim Adventio poenitentiam profitenti et sese purganti per sequentem epistolam'.*

simo tanti patris exemplo feliciter imbuta, vitiorum monstra devitare et auxiliante Deo aeterna poterit praemia comprehendere, immo ecclesiastici ordinis disciplina vestris temporibus inviolabilis permanere. Unde mea parvitas omnesque divina dignatione mihi crediti multipliciter congaudentes magnas omnipotenti Deo gratias referimus, devotis precibus implorantes, ut Deus omnipotens vestri pontificatus apicem diu incolumem custodire dignetur ad consolationem sanctae suae ecclesiae omniumque fidelium animarum. Quippe cum inter saevissimas paganorum pressuras densissimasque perversorum christianorum simultates occuparemur et pro captu[a] humilitatis nostrae dominici ovilis solicitudinem gerere optaremus, decreta excellentissimi apostolatus vestri nobis directa sunt, super quibus responsa dignitati maiestatis vestrae festinantissime currens praesentialiter dare viva voce desiderarem, nisi longaeva senectus me gravidum redderet et indeficiens corporis aegritudo frequenter atque inopinate spiritum exhalare cogeret. Magnum enim et quasi totius meriti gaudium obtinerem, si ad limina apostolorum vestramque desiderabilem et praeminentissimam[b] praesentiam virium imbecillitas me ire sineret. Sed quia podagrici dolores et veterani mei artus optata denegant, omnipotenti Deo et sancto Petro atque incomparabili clementiae vestrae magnitudinis, meae parvitatis quantitatem committo, qui vices Dei tenetis et in reverentissima summi principis cathedra verus apostolus residetis, ut vestris fovear solaminibus. Si enim fallaciter quasi fautor vitiorum in conspectu vestrae mansuetudinis diffamatus existo, si non corpore, mente tamen ad vestra sacra vestigia provolutus, humiliter peto, ut excusationis meae causas nullo mendacii[c] fuco obnubilatas paterno[d] pietatis affectu recipere non dedignemini, quas[e] capitulatim misericordiae vestrae pandere studui.

Cap. I. In catalogo sacerdotum nequaquam recipio Theutgaudum quondam archiepiscopum, qui depositionis suae sententiam a vobis prolatam hactenus patienter ferens iuxta praecedentem consuetudinem nihil omnino de sacro ministerio contingere praesumpsit, sed quasi mitissimus vir incaute se proprio sermone lapsum atque alterius pertinacissima obstinatione deceptum fatetur et per humilitatis et oboedientiae viam incedens a vestra pia largitate locum satisfactionis praestolatur[1].

Cap. II. Guntharium, quondam sacri palatii archicapellanum, in episcoporum numero non suscipio neque ei vel fautoribus suis communicare praesumo, quoniam vetito usus est officio et apostolicam flocci pendere excommunicationem non metuit.

Cap. III. Causam piissimi regis Hlotarii in praesentia vestrorum [legatorum][f] praefati quondam primates ecclesiarum cum aliis archiepiscopis eorumque coepiscopis de duabus uxoribus in nostra urbe ventilantes et magistratus nostri principatum obtinentes, quid de iam dicti nostri principis querela decreverint, vestram non latet sanctitatem[2]. Ego igitur teste Deo cum angelis et archangelis arbitratus sum puriter vera manere, quae plurimorum consulum astipulatione effabantur. Interea decernentibus tunc temporis praescriptis archiepiscopis eorumque coepiscopis solus ego quis essem, meritis et ordinatione novissimus, qui magistrorum auctoritatibus et iudiciis resisterem? et ne forte in aliquo contra decretum Leonis papae offenderem, [verebar][f], qui titulo XXXII. ita scribit[3]: 'Igitur secundum sanctorum patrum canones spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia cōsecratos metropolitanos singularum provinciarum episcopos ius traditae sibi antiquae[g] dignitatis intemeratum habere decernimus'. Si enim 'a regulis praestitutis' ulla aut licentia aut praesumptione discesserunt, ego penitus nesciebam. Unde et in

---

a) per capita *B, corr. Tr.* b) praeemin. *Bar.* c) *supersc. corr. ex* enim ducit. d) paternae *Bar.* e) quos *Bar.* f) *add. Bar.* g) *dubium, utrum* antiqua *an* antiquae *legendum.*

1) *Cf. supra p. 219 Lotharii epistolam, ubi similia de eo et Gunthario scribuntur.* 2) *Cf. de synodo Mettensi a. 863. Iunio mense habita Ruodolfi ann. Fuld. 863 p. 57. 58 ed. Kurze, Hincmari ann. p. 62 ed. Waitz.* 3) *Epist. 14 ad Anastas. Thessalonic. episc. c. 1 (Opp. edd. Ballerini I, 686).*

Antioceno concilio capitulo VIIII. ita scribitur[1]: 'Per singulas regiones episcopos convenit 864
nosse metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provinciae gerere: propter quod ad metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant' et cetera. Sola quippe plurimorum relatione de iam dicta querela, quae in primordiis gesta sit, aure non oculo percepi, quia episcopus non eram, sed in excubiis templi beati Stephani prothomartyris[a] occupatus, novissime in regno domni Hlotharii senioris mei expetitus a clero[b] et electus a plebe pastoralis officii curam, Deus novit, non ultra ambiens, sed canonice invitatus excepi[2]. Et multo amplius, si fieri potest, verbis archicapellani ac ceterorum patrum, qui interfuerint[c], credulus exstiti quam mihimet ipsi; et si forte in aliquo simpliciter egi, restat ut ad magistrum veritatis recurram. Nunc ergo proferat singularis sapientia vestra normam in hoc facto et ecce paratus sum obsecundare edictis vestrae auctoritatis veluti Deo, in cuius persona cuncta profertis. Vestro enim sancto ac salubri consilio usus, iugo me oboedientiae humiliter submitto. Nam quamvis quorundam levitate contra me tumultum detractionis sentiam, nisi de simplicitate nullus me in hac re accusare potest, fidenter enim dico: 'Ecce in caelo[d] testis meus et conscius meus in excelsis'. Unde vas electionis dicit: 'Gloria nostra haec est testimonium conscientiae nostrae'. Hinc[e] enim beatus Gregorius papa in epistola Theoctistae patriciae directa ita scribit[3]: 'In omnibus[f], inquit, quod de nobis extra dicitur, recurrere ad arcana mentis debemus. Et si omnes vituperent, liber est quem conscientia non accusat'. Iob 16, 20. Act. 9, 15. 2. Cor. 1, 12.

Cap. IIII. Si decretum vestrae auctoritatis iudicio sancti Spiritus ab omni pastoralis officii regimine praefatos metropolitas exutos definivit propter excessus sanctionum et absolutionem anathematis a sede apostolica emissi super Ingiltrudem Bosonis uxorem, sciatis verissime, quia in eius absolutione nequaquam particeps extiti et, postquam illam[g] vera relatione infausto adulterii genere sauciatam audivi, semper quasi mortiferum venenum abominatus sum. Communionem vero cum excommunicatis nullatenus habere universos moneo, si sacris uti ausi fuerint, sicut capitulum Antioceni quartum ostendit, quod communicantes eis ab ecclesia abici iubet[4].

Cap. V. Sectatorem damnatorum ac seditiosum vel coniurationis aut conspirationis reum me penitus esse denego: faventibusque[h] quibus[cumque][i] nequaquam assentire fateor, sed cum capite, id est sancta et venerabili sede beati Petri, cui claves regni caelorum[k] misit, in qua etiam petra Christus[l] rex aeternus sanctam aedificavit ecclesiam, contra quam portae inferi non praevalebunt, canonice in omnibus me favere profiteor. Matth. 16, 18.

Porro sanctitas vestrae paternitatis inviolabiliter censuit nullo modo pavendum honorum amissionem pro temeritatibus et subscriptionibus, atque indulgentiam non esse denegandam, si vobiscum sapere nostrumque per nosmet ipsos aut per legatos nostros assensum cum scriptis offerre studeremus. Noverit praecellentiae vestrae sanctitas munificentissima, quod legatus noster[5], qui iam vobis fatam professionem ostenderet et multiplicibus verbis enuclearet, ideo tardavit, quia ceteros confratres nostros huc illucque de diversis partibus advocans, vobiscum sentire unanimiter et sapere hortatus sum. Eorumque omnium generaliter unanimitate comperta quasi praeconem legati nostri in ipso margine praesentis vitae constitutus vestrae sanctae

---

a) *in marg.* Est illa hodieque cathedralis Metensium seu Mediomatricum ecclesia. b) adero *in marg. corr.* a clero *B.* c) interfuerunt *Bar.* d) coelo *B.* e) Hic *B.* f) omne *Greg.* g) illa *B.* h) facientibusque *B*, favent. *Bar.*; quibus *add. et del. B.* i) cumque *add. Bar.* k) coel. *B.* l) Christo *B.*

1) *Mansi, Coll. concil. II, 1323.* 2) *Anno 858. die 7. Augusti mensis cf. supra p. 216 v. 20 sqq., ubi simili ratione se excusat.* 3) *Gregorii Reg. XI, 27, EE. II, 290 ed. Hartmann.* 4) *Mansi, Coll. concil. II, 1322.* 5) *Betto monachus, cf. infra p. 222 v. 33. 223 v. 25.*

paternitati praemisi praesentem videlicet litterarum portitorem. Nihil enim in me ambiguum nihilque damnabile remanere patior, cui viam omnis carnis arripere proprii corporis resolutio pollicetur, sed in omnipotentis Dei misericordiam valde confido, quod mihi peccatori spatium huius calamitosae vitae concedere debeat, quousque digna satisfactione purgatus, vestrae paternae pietatis gratiam petenti redditam intelligam meque receptum in vestro Deo digno consortio congratuler. Credimus enim, quod favente Deo et apostolorum omnium principe, qui in elemosynis[a] et ieiuniis et furtivis orationibus spiritualiter occupati estis, omnibus viribus divina dispositione praevidere debeatis, ne pro falsidica deceptione viventia in Christi corpore membra moriantur. Igitur si meis lacrimosis[b] precibus vestra misericordia in aliquo flectitur, per sanctam et individuam Trinitatem humiliter deprecor, ut per latorem praesentium litterarum, si amplius esse non potest, saltem de vestra sancta manu in naufragio vitae constitutus, Ioh. 20, 26. illud recipere merear, quod mitis magister vester Christus quibusdam[c] discipulis haesitantibus ianuis clausis[d] apparens imprecatus est dicens: 'Pax vobis'.

Excellentiam sanctitatis vestrae assiduis votis et precibus diu incolumem vigere humiliter exoramus.

9.

Karolus Francorum occidentalium rex Nicolai papae veniam et gratiam pro Adventio, Mettensi episcopo, sibi amico et Drogonis archiepiscopi discipulo implorat, Bettonem monachum legatum eius commendat. *864.*

Cod. Broweri apogr. cod. Trevir. fol. 21—22. Excerptum huius epistolae ex codice habent Brower et Masen, Metrop. eccl. Trever. II, 485.

Edd. Baronii Annal. eccles. a. 863 n. 56—58 (ed. pr. X, 258—259); Mansi, Coll. concil. XV, 371; Migne, Patrol. CXXIV, 861—862.

SANCTISSIMO[a] ET REVERENTISSIMO PATRI NICOLAO CATHOLICAE ET APOSTOLICAE SEDIS SUMMO PONTIFICI ET UNIVERSALI PAPAE KAROLUS GRATIA DEI REX ET SPIRITALIS FILIUS VESTER.

Quia, sicut devotio nostra erga sanctam sedem apostolicam omniumque ecclesiarum matrem atque magistram et erga sancti apostolatus vestri honorem in istis cisalpinis regionibus longe lateque, gratias Deo, cognoscitur, ita et colendae cum summi amoris veneratione paternitatis vestrae benignitas erga filialem nostram dilectionem non solum nostris benevolis, sed et aemulis, auctore Deo certis indiciis veluti sanctitatem vestram, scilicet religionis culmen, decet[b], innotuit. Adventius Mettensium venerabilis episcopus hunc fratrem nomine Bettonem nobis fidelem[1], ut credimus, in monasterio regni nostri ab infantia regulariter educatum et nostra munificentia, sicut inter nos convenit[c], sibi concessum ad nos misit, petens a nobis vestrae amantissimae paternitati pro eo litteras mitti, quas profuturas et non modice sibi apud auctoritatem vestram credidit suffragari. Mandavit etiam mihi, quod professionem suam, subreptionum praeteritarum correctionem et futurarum cautelam continentem, sicut regulae sanctae praecipiunt, manu sua subscripta[d], vestro apostolatui per hunc fratrem vellet[e] dirigere, quatenus et excessuum veniam et apostolicae sedis communionem et vestri apostolici vigoris gratiam valeat obtinere.

---

a) eleem. *B.* b) lachrym. *B.* c) quibus dum *B.* d) divisis *B*, clausis *corr. Bar.*

9. a) *in marg.* Caroli Francorum regis commendatio, qua Adventium Metensem cupit a Nicolao in gratiam communionis restitui. b) *corr. ex* docet. c) *postea in loco vacuo supplet.* d) subscriptata *B.* e) vellem *Bar.*

1) *Cf. Parisot, Roy. de Lorr. p. 255 n. 1.*

Unde, quoniam venerandus et amantissimus patruus noster Drogo[a 1], qui, licet in 864
regno fratris nostri Hlotharii quondam imperatoris post obitum domni et patris nostri deguisset, eo quod sedes in partem regni ipsius devenerat, nobis tamen unice dulcissima dilectione et obnixa fidelitate coniunctissimus fuit, eundem venerabilem Adventium nutrivit et[b] domestica familiaritate habuit et ipse Adventius nobis fidelis et amicus existit[2], acsi vestigia sanctissimae paternitatis vestrae deosculantes cum omni devotione deposcimus, ut nostra petitione, sicut credit, apud auctoritatem vestram se sentiat adiuvari, ne ipse et sedes eius in illo modo quolibet, quod absit, dehonoretur, quae postulatione avi nostri divae memoriae[c] Karoli imperatoris honorari ab apostolica sede meruit, ut Engilramnus[d], praedecessor istius[3], summus capellanus eius et apocrisiarius apostolicae sedis in istis regionibus aliquandiu fieret, et postea deprecatione sanctae recordationis pii augusti domni et genitoris nostri excellenti genio a sede apostolica in praefato patruo nostro Drogone venerando episcopo fuerat honorata, ut una cum praedicto ministerio et imperatoris et apostolicae sedis etiam usu pallii potiretur.

Nam etsi hic vir venerabilis Adventius aut principis sui aut magistrorum superstitione actus, aut favore aut consensu plurimorum adtractus, vel alio quolibet modo subreptus vel interceptus in aliquo minus quam debuerat providus extitit (quoniam, ut Augustinus dicit[4]: Amat Deus confitentibus parcere et eos, qui semetipsos iudicant, non iudicare cessatque divina vindicta, si conversio praecurrat humana) vestri apostolatus mitissima et praestabilis cunctis conversis benignitas in eo sententiam praedecessoris sui Leonis sequetur, qua dicit[5]: Sedis, inquiens, apostolicae moderatio hanc temperantiam servat, ut et severius agat cum obduratis et veniam cupiat praestare correctis, quatenus venia concedatur, si error aboletur. Petimus siquidem, ut istum, non modo suum, verum et nostrum legatum Bettonem, religiosum monachum et litterarum scientia bonique ingenii capacitate Dei gratia et sedulo studio imbutum, benigne et familiariter recipiatis, quo ea, quae sibi iniuncta sunt, mansuetudini vestri apostolatus domestica suggestione valeat enarrare.

Deus omnipotens orantem pro nobis sanctitatem vestram aevo longiore conservare in voluntate sua dignetur, sanctissime et reverentissime pater in Domino.

10.

Adventius Mettensis episcopus Nicolao papae pro venia ab eo impetrata gratias agit, litteras, quibus episcopi regni Lotharii ad synodum Romanam evocantur, se accepisse testatus Theotericum presbyterum legatum commendat. *865.*

Cod. Broweri apogr. cod. Trevir. fol. 10'—11. Meminit huius epistolae ex cod. Brower Ann. Trevir. I, 421.

Ed. Baronii Ann. eccles. a. 864 n. 6. 7 (ed. pr. X, 273—274).

---

a) *in marg.* Drogo Metensis episcopus. b) et in *Bar.* c) *in marg.* Metensis ecclesiae dignitas et praerogativa quam constat tamen fuisse temporariam et quo ad pallii usum abruptam intercessione Treverici metropolitani et Belgicae primatis. d) *in marg.* Angilramnus quem Paulus Diaconus lib. 6 c. XVI edit. rec.[6] nimis elate vocat archiepiscopum ob ista credo privilegia.

1) *Mettensis archiepiscopus, 823—855.* 2) *Karoli regis socium eum postea fuisse in regno Lotharii a. 869. acquirendo recte monuit Parisot, Roy. de Lorr. p. 255.* 3) *a. 768—791.* 4) *Prosperi Aquit. lib. sententiar. ex Augustino CCX, Augustini opp. X, app. 236 (Plenkers).* 5) *Epist. 30 ad Pulcher. august. c. 1 (Opp. edd. Ballerini I, 849).* 6) *p. 219 ed. Waitz.*

865 GLORIOSISSIMO DOMINICI GREGIS PASTORI OMNIUMQUE ECCLESIARUM DEI IN TOTO TERRARUM ORBE CONSISTENTIUM MAGISTRO NICOLAO SUMMO PONTIFICI ET UNIVERSALI PAPAE ADVENTIUS HUMILIS METENSIUM SEDIS EPISCOPUS NUNC ET IN AETERNUM FELICITER[a] VALERE.

Apices sanctissimi apostolatus vestri nostrae parvitati nuper directi, omni thesauro pretiosiores, omni melle extitere[b] dulciores, et ut ita dicamus, iam senio fessis ac multimoda infirmitate gravatis visceribus saluberrimum propinavere antidotum[c]. Re vera quia nostris iam periculosis temporibus divina clementia christianae plebi[d] solita pietate prospiciens vestri pontificatus excellentissimum apicem tam benignum piumque, immo in omnibus prudentissime circumspectum in fundamento sanctae matris ecclesiae collocare dignata est, ineffabiliter congaudemus, omnesque generaliter in auribus aeterni iudicis assiduas fundimus preces, ut vobis multiplices in caelis reddat mercedes, quod non solum postulanti excessuum veniam et in ipso margine praesentis vitae constituto absolutionis ac benedictionis optata remedia, sed etiam paene periclitanti ecclesiae nostrae tamquam fidissimus remex sanctissimi et Deo digni apostolatus vestri privilegium perpetuo munimine porrigere decrevistis. Quid nos parvuli, sed in Christo devoti filii, vestrae sanctae sollicitudini retribuere poterimus pro[e] tam immensis muneribus, si non sufficiunt preces et vota? saltem vita comite directi nostrae quantitatis legati humilem et fidelem acceptabit affectionem. De cetero excellentissimi pontificatus vestri litteras de manibus serenissimorum regum Hludwici maioris et Caroli[1] isto tempore suscepimus, directas omnibus archiepiscopis eorumque coepiscopis in regno gloriosi regis Hlotharii constitutis[2], ubi aut archiepiscopos singularum pro-
Mai. 19. vinciarum aut binos illorum suffraganeos XIIII Calendis Iunii Romam[f] ad vestram sanctam synodum evocastis. Nos vero spiritali et reverendae praeceptioni vestrae modis omnibus parere desiderantes veluti Deo, in cuius vice et nomine cuncta peragitis, ad nostram recurrimus possibilitatem et proprii corporis imbecillitatem.

Quippe teste rerum omnium conditore vires humilis quasi oboedientia pollicetur, importuna denegat aegritudo. Quapropter religiosum presbyterum nostrum Theutericum
Luc. 24, 13. nomine[g] sub peregrino habitu in illius fide vobis direximus, qui duobus evadentibus[h]
ib. 18. in via apparuit et peregrinus ab ipsis appellatus est: qui si votum nostrum et iter suum prospere direxerit, his impolitis apicibus vestra Deo amabilis excellentia liquido cognoscat, quod nostra parvitas a divinis documentis et apostolicis decretis atque canonicis et paternis regulis, Deo auctore et praeduce, exorbitare nullatenus compelletur.
cf. 2. Tim. 3, 1. Igitur quia iuxta apostolum novissima hora est et antiquus hostis in membris suis acrius saevit, quasi ad sacra vestigia provoluti humiliter petimus, ne in derogatione[i] ac laesione ordinis nostri almiflui apostolatus vestri aurem ulli accommodare dignemini, ut viventia ac fideliter agonizantia in Christi corpore membra vestris se gaudeant foveri solaminibus, immo nutantia sacrosanctis per omnia roborentur edictis.

Omnipotens Deus sanctissimi ac praecellentissimi apostolatus vestri apicem nobis diu incolumem ad consolationem sanctae matris ecclesiae et omnium fidelium animarum conservare dignetur. Amen.

---

10. a) foeliciter *B.* b) existere *B.* c) antydot. *B.* d) plebis *B.* e) per *B.* f) Romae *B.* g) nomini *B.* h) evidentibus *in marg.* in Emaus euntibus *B, id quod Baronius corrigendo legit,* evad. *coni. Tr.* i) inde rogatione *B.*

1) *qui Tusiaci (Tusey) medio Februario mense a. 865. convenerunt, unde tempus, in quo haec epistola scripta sit, definiendum est; cf. Dümmler, Gesch. des Ostfränk. Reiches II, 115; Parisot, Royaume de Lorraine p. 269.* 2) *Cf. de his litteris, quae iam non exstant, Jaffé, Reg. Nr. 2769. 2770.*

11.

Arsenius Hortensis episcopus et Nicolai papae legatus ad episcopos Galliae et Germaniae de Engeltrudis Bosonis comitis uxoris periurio et fuga refert eamque excommunicatam esse iubet. 865

865.

Cod. Broweri apogr. cod. Trevir. fol. 27'—28'. Magnam huius epistolae partem habet etiam Regino, Chronic. a. 866 p. 85 ed. Kurze.

Edd. Baronii Ann. eccles. a. 865 n. 63—64 (ed. pr. X, 306—307); Mansi, Coll. concil. XV, 326—327.

ARSENIUS[a] DIVINO NUTU EPISCOPUS MISSUS ET APOCRISIARIUS[b] SUMMAE SANCTAE CATHOLICAE ATQUE APOSTOLICAE SEDIS ET BEATORUM APOSTOLORUM PRINCIPUM PETRI ET PAULI ULTIMUS FAMULUS ET LEGATUS DOMINI NICOLAI PONTIFICIS ET UNIVERSALIS PAPAE[1] OMNIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS ATQUE OMNIBUS SANCTAE ECCLESIAE DEI FIDELIBUS GALLIAE GERMANIAE AC NEUSTRIAE COMMORANTIBUS.

Fraternitatis[c] vestrae omnium dilectionis[d] iam cognovisse credimus industriam, qualia et quanta nefandissima scelera Hengeltrudis, quondam Bosonis comitis mulier[2], perpetrasset et qualiter pro huiusmodi dominus Nicolaus, summus pontifex et universalis papa, eam excommunicavit ac a christianorum consortio separavit, etiam insuper, quousque dum de peractis malis veram egisset poenitentiam, anathematis eam vinculo innodavit[e]. Sed cum nos a beatorum principum apostolorum scilicet Petri et Pauli fuissemus egressi liminibus et ab eius utique sanctimonio directi fratrum pro pace regumque concordia[f] Galliarum intra properassemus in finibus, sicut et de caeteris curam agentes, praedictam etiam Engeltrudem ad sanctae matris voluimus convocare ecclesiae sinum, sed, ipsa in sua feritate permanens[g], nequaquam eam ad praefatae sanctae matris ecclesiae gremium convocare valuimus. Unde tam in regno Karoli gloriosi regis quam in Hlotharii excommunicationem atque anathematizationem domni apostolici omnibus de ea declarare studuimus. Sed cum ad Hludvici gloriosi regis praesentiam[h] apud Warmatiam reverteremur[3], tum demum pone nos gressus est movere conata. Sed postquam iureiurando coniuraverit, quod ante nos vel nobiscum pariter Romam venire deberet et secundum domini apostolici praeceptionem de peractis malis poenitentiam ageret, secundum huius rationis[i] textum promittens[k]: 'Ego Engeltruda[l], filia quondam Mathfridi comitis, quae fui[m] uxor Bosonis comitis, vobis domno[n] Arsenio episcopo, misso et apocrisiario[o] summae sanctae catholicae atque apostolicae sedis et per vos domino meo Nicolao, summo pontifici et universali papae, [iuro][p] per Patrem et Filium et Spiritum sanctum et haec sancta[q] quatuor Christi dei evangelia[r], quae ore osculo[s] et manibus propriis tango, quia, amodo relictam illam malitiam, quam in praenominato Bosone viro meo exercui, ut[t] ovis, quae fuit perdita, ad sanctam [catholicam][p] atque apostolicam sub eadem obligatione, qua[u] dominus[v] Nicolaus, summus pontifex et universalis papa, me obligavit, revertar ecclesiam et in Italico regno aut vobiscum pariter[q] aut ante vos, quomodo provideritis, ibo et quicquid dominus[v] apostolicus decreverit[q], iusserit vel terminaverit, adimplebo ac[w] perficere non recusabo'. Deinde nobiscum usque ad Danubii[x] transitum veniens ibique ad quempiam con-

---

11. a) *in marg.* Commonitorium de Engiltrudis pellicis periurio et fuga. b) apochris. *B.* c) Fraternitati *B.* d) dilectioni *B (sensus hiat).* e) enodavit *B*, innod. *Bar.* f) concordiam a *B*, concordia ac *Bar.* g) unde *in marg. add. B.* h) *in marg. add. B.* i) orationis *Bar.* k) Iurans *add. B, in marg.* Engeltrudae iuramentum. l) Engiltrudis *Reg.* m) fuit *B.* n) domino *B.* o) apochrisiario h *del. B.* p) *om. B.* q) *om. Reg.* r) *in textu post suppl.* s) *sic B (cum aliquot codd. Reginonis).* t) et ut *B.* u) quam *B.* v) domnus *Reg.* w) vel *Reg.* x) usque — Dan. *post in textu suppl.*

1) *Cf. de eo eiusque legatione Dümmler, Gesch. des Ostfränk. Reiches II, 128—137.* 2) *De qua cf. synodum Romanam c. 4 ap. Hincmarum a. 863 p. 65.* 3) *Cf. Hincmari ann. 865 p. 80:* Hludowicus ad Warmatiam . . revertitur.

865—866 sanguineum [pro][a] caballorum adminiculo[b] ire condixit et ad Augustam ad nos civitatem ad praedicti negotii perfectionem redire pollicebatur[1]. Sed in[c] his omnibus relictis non timuit temptare Spiritum sanctum. Et diabolo instigante in periurii laqueum est ingressa et a nostrae salubritatis praedicatione pedem retorsit[d] et a tramite veritatis discessit.

Inde obtestamur et per auctoritatem Dei omnipotentis et beatorum principum Petri et Pauli et domini[e] Nicolai summi pontificis et universalis papae, ut nullus vestrum eam in sua parochia recipiat, sed eam funditus in omnibus ecclesiis vestris praedicate excommunicatam et ab omni communione christianorum sequestratam atque extraneam, insuper et anathematis vinculo innodatam[f] et inter impias et scelerosas[g] damnatam, donec de pestiferis[h] factionibus suis atque perpetrato[i] periurio ante domini[e] apostolici praesentiam veram accipiat poenitentiam. Et si aliqua falsidica scripta[k] vel etiam verba forte nostrae absolutionis protulerit, ei nullatenus credite.

Flagitamus caritatem vestram, ut cum ab uno fuerit perlecta[l] fratre, antequam aliquis eius pellacissimae morbo contaminetur, ad alterum istam dirigat epistolam.

12.

Adventius Mettensis episcopus Nicolao papae de venia ab eo impetrata gratias agit, innocentiam suam in causa Lotharii regis iterum affirmat, res ab Arsenio legato gestas vehementer laudat, Regimarum abbatem legatum commendat. *865—866.*

Cod. Broweri apogr. cod. Trevir. fol. 6'—8. Laudat hanc epistolam ex cod. Brower, Annal. Trevir. I, 421.

Edd. Baronii Ann. eccles. a. 865. n. 56—58 (ed. pr. X, 303—305).

SANCTISSIMO[a] AC PERBEATISSIMO ATQUE ANGELICO DOMINO NICOLAO SUMMO PONTIFICI ET UNIVERSALI PAPAE ADVENTIUS HUMILIS METENSIUM SEDIS EPISCOPUS NUNC ET IN AETERNUM FELICITER[b] VALERE[2].

Apices sanctissimi apostolatus vestri nostrae parvitati nuper directi praeclara dispensationis ecclesiasticae dogmata affatim propinantes fulgido ac vivido mentis foenore principem pastorum[c] vos diligere declarant[d] et curam pascendarum ovium ineluctabiliter gerere testantur, quippe corpus Christi quod [est][e] ecclesia per illum et [in][e] ipso
Ioh. 21, 15—17. salubriter exornare satagitis, qui vobis in Petro loquitur: 'Si diligis me, pasce oves meas'. Re vera, quia[f] erga commissum gregem perspicacibus excubare vigiliis non negligitis, manifestum est, quod claritas superni luminis pervigilem cricumfulget pastorem, immo aethereo angelicae visionis, ut credimus, blandimento solatiatur. Quocirca nos cum caelico[g] agmine gloriam in excelsis Deo canimus et de vestra sancta piaque solicitudine modis omnibus gloriamur. Ex quo enim redemptor omnium carneo velamine tectus mundo resplenduit, sancta mater ecclesia probis doctoribus semper in-
Act. 9, 15. 2. Tim. 3, 1. diguit, sed iuxta quod vas electionis evidenter declarat: 'Novissimis diebus instant
Ios. 6, 14. tempora periculosa', quibus vestri Deo digni apostolatus tuba muros Iericho circumiens elationem mundi eiusque cassanda molimina prosternere non cessat. Oportebat itaque vestri pontificatus excellentissimum apicem benignum piumque et in omnibus prudentissime circum-

---

a) *om. B.* b) *corr. ex* amminiculo *B.* c) *om. Bar.* d) extorsit *B.* e) domni *Reg.* f) enodatam *B.* g) manus *add. B.* h) scelerosis *B.* i) praefato *B.* k) scriptura *B*, scripta *Bar.* l) pellecta *B*, perl. *Bar.*

12. a) *in marg.* Gratiarum actio pro absolutione impetrata. b) foel. *B.* c) *in marg.* Nicolai pontificis eximium et verissimum elogium. d) deducant *in marg. corr.* declarant *B.* e) *add. Bar.* f) qui *B*, *corr. Bar.* g) coel. *B.*

1) *Cf. Hincmari ann. 865 (p. 78):* Inde *(sc. Arsenius episcopus)* per Alamanniam et Baoariam pro recipiendis patrimoniis ecclesiae sancti Petri in eisdem regionibus coniacentibus Romam redit.
2) *Cf. supra epistolam 10 p. 224, quacum nostra saepius verbotenus congruit.*

spectum in sede beati Petri collocari, ut omnis christiana plebs divina clementia pro- 865—866
curante de tanto patrono ineffabiliter congaudeat et omnium ecclesiarum Dei status vestris salubribus consiliis et auxiliis fulciatur. Igitur nostra parvitas omnesque generaliter nobis subiecti in auribus aeterni iudicis assiduas fundimus preces, ut vobis multiplices in caelis reddat mercedes, quod non solum postulanti excessuum veniam et in ipso margine praesentis vitae constituto absolutionis ac benedictionis optata remedia, sed etiam paene periclitanti ecclesiae nostrae tamquam fidissimus remex eminentissimi apostolatus vestri privilegium perpetuo munimine porrigere decrevistis. Quid nos parvuli, sed in Christo devoti ac fidelissimi obsecutores vestrae sanctae solicitudini retribuere poterimus pro tam immensis muneribus? Credimus enim, quod in oculis divinae maiestatis sufficiunt assiduae preces et vota fidelia; vita vero comite directi nostrae quantitatis[a] legati humilem et fidelem acceptare poterunt affectionem.

Porro acriter et multipliciter vestrae sanctitatis apices de taciturnitate et desidia nos reprehendunt, pro causa videlicet senioris nostri gloriosi regis Hlotharii, quod nullatenus ageret vestra dignatio, si gestae rei series et ordo, quantum in nobis est, luculenta relatione pateret. Reminiscatur, oro, vestra clementia, quod apologiarum nostrarum litterae vestris sanctissimis optutibus perlatae breviter exposuere[b], nostram parvitatem initio istius negotii nullatenus interfuisse, sed hoc idem in excubiis beati Stephani commorantem[c] aure, non oculo percepisse[1]. Neque, ut putatur, postquam erroris caligo detersa est, nos aliquando siluimus, sed evangelica atque apostolica documenta in auribus praedicti principis fidenter exposuimus et iuxta vocem prophetae Ezech. 33, 7.
speculantis more periculum nuntiavimus atque animam nostram liberavimus. Sed omnipotens Deus suo occulto iudicio vestrae dignitatis praerogativam speciali, ut ita dicamus, dono insignivit, ut mortale vulnus, quod paene totum ecclesiae corpus infecerat, praecellentissimi apostolatus vestri antidoto mederetur. Ut enim pii certaminis vestri laborem sanctissimorum praedecessorum[d] vestrorum more ad copiosam perduceretis victoriam, Arsenium[e] reverentissimum ac sanctissimum episcopum, apocrisiarium[f] atque fidelissimum consiliarium, a vestro sancto latere legatum excepimus et quasi angelum Dei gratanter atque inhianter[g] amplexati fuimus ac pro parte desiderabilis visionis vestrae illo uti decrevimus[2]. Extitit enim nobis ex candelabro pontificatus vestri 'lucerna ardens et lucens' illumque in divinis cultibus atque necessariis ecclesiae negotiis Ioh. 5, 35.
probum cooperatorem ac ferventissimum vestrae legationis executorem[h] esse gavisi sumus. Excussit enim manus suas ab omni munere et, ut de sacrato vestri pectoris Isai. 33, 15.
fonte potaverat, nobis omnibus aequitatis et iustitiae exempla propinavit. Unde actum est, quod postposita personarum acceptione diu dilatatas coniugii simultates radicitus amputavit et legitimi matrimonii iura deliberativo tramite salubriter reformavit. O utinam Radoaldus quondam legatus vester[3], sicut iste, decertaret[i] et nobis per omnia vestra mandata denudaret![i]

Non enim quidam[k] ex nobis tantae derogationis notam incurrerent, si vestra monita ex omni parte in nostram praesentiam pervenissent. Quid plura? circa undecimam horam laborantes operarii in vinea Domini a iusto patrefamilias denarium per- Matth. 20, 9.

---

a) parvitatis *Bar.* b) exposuere a *suprascr. B.* c) commorante *B.* d) praecessorum *B.* e) *in marg.* Arsenii legati in Galliam seu Lotharingiam adventus quam honorificis et a. s. dignus. f) apochris. h *del. B.* g) gratantem atque inhiantem *B, corr. Bar.* h) excusatorem *in marg.* executorem *B.* i) decertasset .. denudasset *Bar.; in marg.* Radoaldi culpa; *in Ann. Trevir. addit:* non certe ordinis plerique nostri viri tam tetrae ignominiae atque inustae maculae cicatrices hodie circumferrent. k) quondam *in marg.* quidam *B.*

1) *Cf. supra p. 221, v. 4. 5, ubi eadem ratione utitur.* 2) *a. 865 cf. supra p. 224.* 3) *Portuensis episcopus a. 863, cf. supra p. 216 v. 3; Hincmari ann. p. 62 ed. Waitz:* In qua synodo *(sc. Suessionensi)* praefati missi corrupti muneribus epistolas domni apostolici occultantes nihil de his quae sibi commendata fuerunt secundum sacram auctoritatem egerunt.

c. 865—867 cipiunt. Enimvero quam laboriosum quamve difficile fuerit nobis saepe dicti negotii[a] finem imponere, sanctissimus ac fidelis legatus vester sub gestorum serie et viva voce
cf. Num. 20, 17. vestris almifluis auribus abundanter exponere poterit. Qui neque ad dexteram neque ad sinistram declinans commissam sibi legationem sinceriter explevit. Igitur quia iuxta
1. Ioh. 2, 18. apostolum novissima hora est et antiquus hostis in membris suis acrius saevit, quasi ad vestra sacra vestigia provoluti humiliter petimus, ne in derogatione ac laesione nostri ordinis melliflui apostolatus vestri aurem ulli accommodare dignemini, ut viventia ac fideliter agonizantia Christi[b] membra vestris se gaudeant foveri solaminibus, immo nutantia sacrosanctis per omnia roborentur edictis.

Denique nostrae parvitatis legatum vestrae dignationi dirigimus, religiosum videlicet presbyterum et monasterii nostri abbatem Regimarum nomine, quem ut benigne suscipere dignemini, humiliter petimus et parvulam benedictionem sancti Stephani Metensis ecclesiae, quam nimio vestro amore succensi dirigimus, ea affectione suscipiatis, qua mittitur. Ne enim nostri impoliti apices in aliquo fastidium generarent aut forte modum epistolae excederent, nostrae petitionis causas, si pietas vestra dignatur, iam dicto filio nostro vobis significandas commisimus, cui credere poterit vestra excellentia, si nostris precibus flectitur.

Omnipotens Deus sanctissimi ac praecellentissimi apostolatus vestri apicem nobis diu incolumem conservare dignetur ad consolationem sanctae matris ecclesiae et omnium fidelium animarum. Amen.

13.

Episcopi regni Lotharii fidem erga regem suum confessi episcopos in regno Karoli (Calvi) a Lothario rege impugnando vel deiciendo dehortantur. *c. 865—867.*

Cod. Broweri apogr. cod. Trevir. fol. 25'—27'.

Edd. Baronii Annal. ecclesiast. a. 866 n. 44—47 (ed. pr. X, 333—335).

SANCTISSIMIS[a] AC VENERABILIBUS IN CHRISTO FRATRIBUS ET COEPISCOPIS IN REGNO PRAESTANTISSIMI PRINCIPIS KAROLI HABITANTIBUS UNANIME EPISCOPORUM CONCILIUM IN REGNO GLORIOSI REGIS HLOTHARII DEGENTIUM COPIOSAM IN SALVATORIS NOSTRI GRATIA FELICITATEM[b] ATQUE PERPETUAM SALUTEM[1].

Novit vestra veneranda fraternitas, quod annis nuper praeteritis crebrescentibus in hoc regno tam intrinsecus quam extrinsecus discordiarum tumultibus omnis status nostrae[c] rei publicae et omnis pax et securitas paene in ruinam fuerit sublapsa. Ubique luctus et calamitates, ubique dispendia et vastationes, homicidia quoque et incendia atque innumerabiles scelerum facies inoleverunt propter dissensiones et iniustissimas ambitiones, propter quosdam in populo susurrones malorumque inventores, facibus cupiditatis atque invidiae stimulis exardescentes. Sed instantibus piae devotionis[d] ad[e] Dominum precibus et condolentibus orationum gemitibus misertus est plebis suae Dominus ac tenebras afflictionis convertit in claritatem adoptatae[f] utcumque serenitatis. Quid ergo retribuemus Domino pro tantae misericordiae beneficio, nisi condignas gratiarum actiones, ipsius inaestimabilem deprecantes clementiam, ut pacem et concordiam, quam in populo suo quantulumcumque florere concessit, arescere non sinat,

---

a) saepedicto negotio *corr. Bar.* b) in Christi *B.*

13. a) *in marg.* Lothariensis regni episcopi comperto id agi in Francia ut regno Lotharius iam abstentus exuatur profitentur ac denunciat *(corr. -ciant)* nunquam Lothario se defuturos. b) foelic. *B.* c) vestrae *B.* d) atque *add. B.* e) invidiae stimulis *del. et in marg. suppl.* ad dominum precibus. f) exoptatae *Bar.*

1) *Parisot (Royaume de Lorraine p. 273 n. 2) hanc epistolam incerti temporis anno 865. adscribere voluit, cf. Dümmler, Gesch. des Ostfränk. Reiches II, 164.*

quatenus electum sibi populum per pacem transitoriam ad aeternae pacis gaudia per- c. 865—867
ducat? Etenim inimici pacis et impugnatores christianae concordiae ac securitatis, orandum est, ut a laqueis diaboli resipiscant et viam pacis cognoscant ac firmiter teneant.

Audivimus enim, quod quidam in his partibus vestro principi nitantur persuadere, ut regis nostri regnum quolibet modo acquirat ipsumque nostrum principem quasi despectum et a suo populo derelictum patrio regno expellat. Sic et de vestro domino rege Karolo perfidi et maligni homines voluerunt confingentes, quod etiam ipsi episcopi eum deserere ac regno expellere voluissent, sed mentita est vox vana sibi. cf. Ps. 26, 12.
Nam ille princeps eximius, ab omnipotente sublevatus et a fidelibus adiutus, non solum regnum non amisit, sed et suos inimicos iudicio Dei repulsos et confusione plenos inde effugavit.

Porro fatemur, quia nostro regi fideles sumus et esse cupimus, cui videlicet fidem de manu patris in regem excepto constanter promisimus. Qui nimirum sicubi causa fragilitatis ac iuventutis erravit, quod suae aetatis hominibus frequenter accidit, hoc totum meliori consilio, ut confidimus, emendare concupiscit, quem nos quoque[a] procul dubio salubriter correctum atque directum magis optamus retinere et habere principem, quam amittere vel deserere. Et si forte sunt aliqui fraude et infidelitate sive cupiditate decepti, qui suo seniori cogitent vel machinentur mala, vobis tamen non convenit iugum ducere cum infidelibus. Nunquid igitur pro nihilo sunt ducenda illa statuta, pacta et iuramenta inter ipsos reges toties confirmata? absit, absit, ut coram Deo et sanctis eius atque coram omni ecclesia catholica tantum offendamus, ut angelis sathanae tale gaudium faciamus. Non ergo iura fidei atque christiani sacramenti erga nostrum seniorem et regem frangere possumus, ne cum mundo aeterna supplicia persolvamus. Praesertim cum ipse rex, adolescentiae mobilitate et astutia hominum aliquando seductus, nunc autem ad meliora conversus, se totum, Domino praestante, episcopalibus decretis ac salubribus monitis bonorumque consiliis aptare festinet. Unde nos omnes in divina misericordia spem propter tantae devotionis auspicium habentes ac firmissime scientes, quod potens sit in ipso iuvene implere qui operatus est bene velle, vestrae sanctitatis reverentiam unanimiter admonemus atque concorditer obsecramus, quatenus notetis et corrigatis eos cum omni auctoritate, qui scandala et discordiarum semina in Dei moliuntur populo. Mementote, domini fratres, quomodo parati fuimus aliquando una vobiscum ire contra omnia pericula et mox facere, quicquid vos voluissetis inchoare.

Nolumus itaque vestram latere praestantiam, quia, quisquis incentor malorum, quisquis seminator discordiarum, quisquis ecclesiasticae concordiae disruptor fuerit, quisquis denique hanc tantulam pacem in his partibus regni, Domini pietate hactenus conservatam[b], perturbare temptaverit, horrendi anathematis ignominiae subiacebit et induetur sicut diploide confusione, et dies eius abbreviabuntur, atque aeternum vae non Ps. 108, 29.
evadet, nisi cito digna satisfactione semet emendaverit. Bonum nobis[c] videtur, desiderantissimi fratres, ut haec omnia nullatenus abscondamus neque sileamus, sed inseparabili atque ineluctabili sacerdotali auctoritate, qua ligandi atque solvendi potestatem a summo sacerdote Christo domino percepimus, freti anticipemus iniquam quorundam intentionem malisque votis ac pravis studiis tota virtute resistamus. Ita ut in his omnibus nihil aliud[d] reperiant in nobis aut[e] sentiant homines quam cor unum Act. 4, 32.
et animam unam, quatenus mala quae cogitant tanto minus iniqui homines se posse implere cognoscant, quanto nos in nullo illicito sibi favere perspexerint. Pro dolor!

---

a) *superscr.* b) consocicatam *B*, conserv. *Bar.* c) *corr. ex* vobis *B.* d) nihil *del.* aliud *B.* e) *in marg.* nihil aliud *B.*

866—867 cur infelix[a] hominum audacia, quia statim non punitur, semet contra omnipotentis dispositiones et ordinationes extollit, nec recogitat, quoniam ab ipso et per ipsum et in ipso est omnis potestas in caelo et in terra, cuius praescita et praedestinata nullus mortalium nec etiam totus mundus immutare potest? Et nunc, carissimi, nos omnes unanimiter atque devotissime pro pace ecclesiastica et regum nostrorum inviolabili concordia summopere altissimi clementiam imploremus, ne clarissimi principes malignantium consiliis decipiantur, ne, quod[b] absit, a mutua societate ac dilectione sive consanguinitatis iure exorbitent indeque ineffabilia mala longe lateque, immo ubique proveniant, sed miserante Deo de illorum pacifica concordia et quae sunt noxia evanescant et omnia profutura succedant. Quod ipse praestare dignetur, qui in Trinitate unus et omnipotens Deus vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

14.

Lotharius rex de accusatoribus iniquis questus, quos coram sede apostolica refellere vellet, Nicolai papae legatos se honorifice tractasse pro certo affirmat. *866—867.*

Cod. Broweri apogr. cod. Trevir. fol. 15—16'. Laudat hanc epistolam ex cod. etiam Brower, Annal. Trevir. I, 419—420.

Edd. Baronii Annal. eccles. a. 864 n. 19—22 (ed. pr. X, 277—279); cf. Mühlbacher n. 1278.

SANCTISSIMO[a] ET PERBEATISSIMO SUMMO PONTIFICI ET UNIVERSALI PAPAE NICOLAO HLOTHARIUS DIVINA PRAEVENIENTE CLEMENTIA REX ET DEVOTUS FILIUS AC SEMEL PRAELIBATAE FILIATIONIS FERVENTISSIMUS AC FIDELISSIMUS PROSECUTOR[b] SUMMAE FELICITATIS[c] ET PRAESENTIS PROSPERITATIS PACEM ET GLORIAM.[1]

Deferente mansuetudinis nostrae legato vestrae sanctitatis apices dudum excepimus, quos, uti dignum erat, cum omni reverentia gratantes relegimus et quasi monita spiritalis patris dulciter atque inhianter hausimus. Sed quod in prima fronte significastis perfectae correctionis atque propositae salutis nostrae per nostras litteras vos indicia praestolasse, per quae certissime scire potuissetis nullum valere in mente vestra remanere de retento inter nos sinistrae suspicionis[d] fuco vestigium et ut e medio remoto, quod ipsam suspicionem gignebat, nil superesset[e], quod vobis in posterum laborem aut nostrae animae detrimentum generare quoquo modo potuisset[f]: ad haec nobis respondere sufficiat, quod omnem sinistram suspicionem funditus nos removere semper parati fuimus, cum nostram praesentiam paene in omnibus nostrae serenitatis apicibus vestro desiderabili conspectui directis praesentandam et veraciter examinandam obtulimus. Et quamvis nullus praedecessorum nostrorum, ut recolimus, pro talibus, de quibus nos inremediabiliter calumniamur, tam longinquum expetierit iudicium, nos humiliter ac patienter propter amorem Dei et reverentiam apostolorum
cf. Iac. 5, 11. principis longam sufferentiam iuxta quod ipse docuit habere decrevimus; qualiter autem vitare possimus sinistrae suspicionis et falsae opinionis naevum maligna nostrorum aemulorum cupiditate inventum, penitus ignoramus. Praesertim cum suspicio sit semper incerta et veridico testimonio egeat, quo certitudinis nomen obtineat, quippe in vestra praesentia, ut praetulimus, nostram mansuetudinem exhibere parati fuimus, sperantes veriori experientia probandum potius, quam de incertis aut dubiis iudican-

---

a) infoelix *B.* b) quid *B,* quod *Bar.*

14. a) *in marg.* Purgatoria qua membratim respondet Nicolai literis. b) persec. *Bar.* c) foelic. *B.* d) suspectionis *B.* e) superest *B, corr. Bar.* f) *in marg.* curam apostolicam seu *(corr.* ceu*)* suspiciosam amolitur.

1) *De tempore huius epistolae valde incerto v. Parisot, Royaume de Lorraine p. 292 n. 2, Dümmler, Gesch. des Ostfränk. Reiches II, 138 n. 5.*

dum. Sed ut sequentia apicum demonstrant, si nutu vestro quandoque ad limina 866—867
apostolica profecti fuerimus, vos nolle, sicut ipsi postulavimus, ut inimici nostri nobiscum veniant, ne forte gressus nostri eorum astutiis improvide supplantentur, et quod sunt invisibiles et non tam corporibus quam animabus insidiari conantur. Quod enim de invisibilibus et incorporeis inimicis vobis interpretari placuit, hoc totum nos de corporalibus aemulis intelleximus, qui instinctu diaboli, avidissima cupiditate illecti, nostram apud vos non cessant laedere mansuetudinem. Et quidem de invisibilibus hostibus Dei omnipotentis triumphus est imprecandus et bonorum hominum supplices preces expetendae. Nam prudentissima sanxit antiquitas, ut accusatus et accusator electorum iudicum aspectibus praesententur, quia digna ratione colligitur, numquam perfecte absentis accusare personam. Quod vero vestra pia paternitas innuit, quia procedente tempore operatione diabolica morbum regium non minui, sed gliscere comperiens, erga curationem illius deses inveniri noluit, vestrae sanctae circumspectionis et caelitus vobis commissae solicitudinis affectum prudenter eructant. Sed nos illo auxiliante, qui 'venit quaerere et salvum facere quod perierat', pro viribus quicquid Luc. 19, 10.
in nobis curandum invenerimus, salubri consilio et sacerdotali antidoto[a] mederi procurabimus[b].

Denique almifluo apostolatui vestro dudum scripsimus, quod quasi de paradisiaco sacratissimi vestri pectoris fonte salutis nostrae pocula haurire[c] desideramus. Sed, ut vere fateamur, non modice purum in vestra fidelitate nostri cordis intuitum et humanae conditionis aciem obnubilat, quod fulgureo vestri pontificii iubare nos non solum illustrari, verum etiam crebro terreri placuit. Unde attonita nostra mansuetudo vix tanti fulminis radios ferre valuit, nostrae tamen salutis monita avidissime excepit atque abundantissime amplexata est. Recolat, oro, vestra Deo digna paternitas vaticinium prophetae clamantis: 'Calamum quassatum non conteret et linum fumigans non Isai. 42, 3.
extinguet'. Igitur scripta beatitudinis vestrae multiplicia et, ut credimus, spiritu[d] Dei condita relegentes, de thesauro veri patrisfamiliae nova et vetera uberrime processisse persentimus[e]; quae et zelo Dei fervent et curam animarum modis omnibus redolent. Ubi insertum dignoscitur[1]: 'Missos autem nostros, fili, quomodo tractavisti, aut quomodo in adventu ipsorum beati Petri reverentiam, a cuius sede profecti fuerant, prae oculis habuisti, quandoquidem priores tuae favere intentioni diversis argumentis fecisti, ut iniunctae sibi legationis non exsecutores, sed impugnatores inventi sint et non bene tractati sint, qui in praevaricationis barathrum sunt demersi'. Ad hoc nos fatemur[f], quia missos vestrae paternitatis priores atque posteriorem, si non per omnia, ut debuimus, pro opportunitate tamen temporis, quantum potuimus, benigne tractari decrevimus; quod in praevaricationis barathrum sint demersi, nos ignoramus. Ordinem quippe rei, de qua agebatur, illis per omnia abundantissime et veraciter replicantes et ad liquidum exponentes, regii apicis culmen ultra modum praedecessorum nostrorum humiliter ac benigne submisimus et propter reverentiam sanctorum apostolorum vestraeque sedis sanctae auctoritatem iussis illorum paruimus, immo vestris studuimus obtemperare edictis. Illi autem, nescimus quo pacto, nostrae calumniae terminum dilatare potius ad dispendium atque detrimentum regni nostri decreverunt, quam audito veritatis testimonio aurem aliquoties accommodare[g]. Admodum[h] quippe nostram rem publicam toties repetita[i] perturbat calumnia et, dum nos fines regni nostri paganorum agmina,

---

a) antydotho h *del. B.* b) *in marg.* Profitetur pontificiae maiestatis terrorem ferre se non posse. c) hauire *B.* d) *corr. ex* spiritum *B.* e) *dubium, utrum* persent. *an* persens. *legendum sit.* f) *in marg.* Legatos apostolicae sedis a se corruptos frigide abnuit. g) *in marg.* culpam transfert ad actores dissimulata causa. h) *corr. ex* ammodum *B.* i) repertita *B.*

1) *Cf. de hac epistola deperdita Jaffé, Reg. pontif. ed. 2 n. 2777.*

866—867(?) pugnante pro nobis Christi dextera, conterendo dilatare debueramus, crebrius fit, quod christiana religio pro minori et minus utili negotio maxima atque importabilia dispendia patiatur.

De nostris igitur accusatoribus et inimicis luculenter rescribentes, qui penes vos famam nostram acriter et mendose laesere, super malignos spiritus interpretari libuit,
Apoc. 12, 10. quorum caput accusator fratrum appellatur.[1] Sed huius capitis membra, testante scriptura, omnes credimus esse iniquos, mortali adhuc carne[a] circumdatos. Etsi iniquorum caput creatorem omnium aggredi temptando non metuit, mirandum non est, si nostra fragilitas eundem cum membris suis infestum patitur inimicum et hostem. Vestrae siquidem sanctissimae pollicitationis gratissimum atque carissimum nobis munus extitit, quod nullum regiae dignitatis et nominis consimilem praeferre aut praeponere nostrae mansuetudini decernatis nisi illum, in cuius manu sunt omnium potestates et omnia iura regnorum, et germanum nostrum augustissimum imperatorem. Pro quibus omnibus in obsequio reverendae sedis vestrae alacriores ac fideliores esse
ib. 19, 16. omnimodis desideramus. Porro illi, qui est 'rex regum et dominus dominantium' et
1. Petr. 5, 4. princeps pastorum omnium, nostrae regiae dignitatis iudicium specialiter committimus, in cuius manu sunt et nos et tempora nostra et non est potestas nisi ab ipso. Vestram vero Deo dignam paternitatem atque angelicam sanctimoniam more praedecessorum nostrorum catholicorum principum modis omnibus veneramur, in omnibus diligimus, et per omnia exaltare et sublimare parati sumus.

15.

Adventius Mettensis Hattonem Virdunensem episcopum rogat atque orat, ut Lotharium regem, ne a Nicolao papa excommunicetur, ad confessionem coram tribus episcopis faciendam impellat; quo facto S. Mariae purificationem in ecclesia S. Arnulfi Mettensi culpa adulterii purgatus celebret. *866—867(?)*

Cod. Broweri apographon fol. 33'—34'. Maiorem huius epistolae partem habent etiam ex codice Brower et Masen, Metropol. eccl. Trever. II, 485—486.

Ed. Baronii Annal. eccles. a. 867 n. 118—119 (ed. pr. X, 385).

REVERENTISSIMO[a] AC DILECTISSIMO FRATRI ET COEPISCOPO HATTONI[2] ADVENTIUS HUMILIS PLEBIS DEI FAMULUS IN DOMINO IESU CHRISTO SEMPITERNAE FELICITATIS[b] GLORIAM.[3]

De duabus partibus nobis scire evenit, id est ex regno Caroli et ex regno Hludoici maioris, quod dominus Nicolaus apostolicus praefixam atque immutabilem sententiam in suis scriptis directam habeat in istis partibus super causam domini ac senioris nostri Hlotharii regis, ita videlicet, ut si in vigilia purificationis sanctae Mariae[4] Waldradam non dimiserit, a liminaribus[c] ecclesiae debeat esse exclusus. Unde nos,

---

a) *in marg. a correctore suppl.*

15. a) *in marg.:* Hattoni Virdunensi consilium suggerit Hlotharium ad poenitentiam revocandi. b) foelicit. *B.* c) luminar. *Bar.*

1) *Cf. Nicolai litteras a. 867. die 30. Oct. mens. ad Ludowicum Germaniae regem datas (Mansi, Conc. concil. XV, 330)*: Accusatores autem habere Lotharium nonnisi illum, qui accusator fratrum in apocalypsi Iohannis appellatur et opera eius, quae et ipsa eiusdem antiqui hostis instinctu patrantur, profecto comperimus. 2) *Virdunensi 847—870.* 3) *Parisot (Royaume de Lorraine p. 63—64) hanc epistolam anno 865. adscribere voluit, sed in disputatione sua argumenta graviora desidero, mihi annus 867. ideo magis probandus videtur, quia in purificatione Mariae huius anni Waldrada iam annum excommunicata erat, sed fieri quoque posset, ut iam anno 866., cum Nicolaus papa Waldradam excommunicaturus esset, fama etiam de Lothario excommunicando percrebruisset, cf. Dümmler, Gesch. des Ostfränk. Reiches II, 155. Annum 866. praeferunt Jaffei regesta ed. 2 nr. 2829.* 4) *i. e. die 1. Febr. mens.*

quasi mortali angustia vallati et nimio taedio affecti, vestrae carae fraternitati hos 867
lacrimosos[a] direximus apices, propter Deum precando et propter illam fidem, quam illi debetis, ut nullo modo omittatis[b], nisi statim [et][c] absque ulla mora in sua praesentia[d] venire studeatis eique imminens periculum quasi verus speculator per omnia exponatis, dicendo quod modo[e] nullas illi moras praetendit aut salvationis aut forte, quod absit, damnationis sententia. Nos vero saluberrimum putamus esse consilium et ex divino adiutorio modis omnibus accelerandum, ut noster senior festinato itinere duos dies ante festivitatem sanctae Mariae in Floriking[f 1] aut in alio loco, ubicumque voluerit, si amplius non potest, saltem tres episcopos habeat, quos sua dominatio elegerit, et in illorum praesentia secrete de retro actis culpis[g] in conspectu episcoporum humiliter veniam petat et inter lacrimosa[h] suspiria emendationem promittat in posterum.

His itaque gestis videtur mihi utile consilium, ut in praesentia eorundem episcoporum accepta indulgentia Deo dignam sponsionem faciat, quod inantea de suo coniugio legitimo cum suorum fidelium, in illorum scilicet, qui illi puriter fideles sunt, consilio atque auxilio debet iterari. Sicque ut mihi videtur absque omni periculo animae suae et a Deo sibi concessi regni minoratione ecclesiam sancti Arnulphi[i 2] liber ac securus in purificatione sanctae Mariae, eandem sanctam festivitatem celebra- Febr. 2.
turus, introeat. Alioquin se ipsum et nos omnes, qui illi secundum Deum et secundum saeculum fideles sumus, ad inrecuperabilem perditionem, ut veri simile cernitur, perducet. De publico enim adulterio nullatenus erit illi formidandum, cum Dominus per prophetam clamet: 'Cum ingemuerit peccator, salvus erit, non reiterans vias suas'. Ezech. 18, 23.

Hi ergo apices sub sigillo confessionis mittuntur, ita videlicet, ut propter Deum vobis sit, ne ullus mortalium praeter vos et nostrum seniorem, si voluerit, ullatenus videat. Ergo agat vestra fraternitas, ne dilectissimus atque amantissimus dominus noster et nos cum illo infeliciter[k] pereamus.

Oramus dilectam fraternitatem vestram valere feliciter[l].

16.

Adventius Mettensis episcopus infirmitate impeditus Nicolao papae Theodericum presbyterum legatum commendat, Lotharium post Arsenii legationem et Waldradam excommunicatam repudiasse et Theutpergam reginam, ut decet, honorasse affirmat. 867.

Cod. Broweri apogr. cod. Trevir. fol. 8—10'. Laudat hanc epistolam ex cod. Brower, Ann. Trevir. I, 422.

Edd. Baronii Ann. ecclesiast. a. 866 n. 29—35 (ed. pr. X, 329—331); Bouquet, Recueil VII, 594.

SANCTISSIMO ET PERBEATISSIMO ATQUE ANGELICO DOMINO NICOLAO,
SUMMO PONTIFICI AC UNIVERSALI PAPAE ADVENTIUS HUMILIS METENSIUM SEDIS EPISCOPUS
ASSIDUAS PRECES ET FIDELIA VOTA.

Apices eminentissimi apostolatus vestri Nonas Iunii inter acerrimos meae aegri- Iun. 5.
tudinis dolores[3] gratanter excepi[a], quibus pro nimietate meae infirmitatis respondere hucusque non valui. Ecce enim iam biennium paene expletur, quod a vernali tempore usque in autumno lectulo teneor et alternante tempore tantis podagrae doloribus affligor, ut vix in die surgere valeam et ministrorum comminiculo[b] missarum

---

a) lachrymosos *B.* b) per*(vel* pre-*)*mitt. *corr. in* omitt. *B.* c) et *om. B, add. Bar.* d) suam praesentiam *Bar.* e) quomodo *Bar.* f) *in marg.* Florikingen. g) et *add. Metr. Trev.* h) lachrymosa *B.* i) *in marg.* S. Arnulphi ecclesia apud Metenses ornata Benedictinorum insigni monasterio ante moenia urbis. Sed bellorum iniuriis patrum memoria funditus periit. k) infoelic. *B.* l) foelic. *B.*

16. a) accepi *Bar.* b) *id est* miniculo, adminiculo *Tr.*

1) *Flörchingen prope Diedenhofen.* 2) *Mettensis.* 3) *Cf. supra p. 220 v. 15; 224 v. 27.*

867 sollemnia celebrare, moxque compellor gemitu interrumpente decumbere. Meus quippe dolor aliquando lentus, aliquando nimius, nec recedit omnino[a] nisi ad horam nec interficit. Sit ergo illi laus et gloria, qui iuste corripit et clementer ignoscit. Pro illius ergo amore humiliter obsecro, ut me peccatorem vestris almifluis precibus relevare dignemini, et pro saluberrimo medicamine consolationis litteras et compassionis indicia remittere non gravemini, quia[b] vestra luculenta et angelica facundia meae imbecillitati dulcissimum saporem medullitus infundit et in suo amore ineluctabiliter rapit.

Non immerito quippe negligentibus et desidiosis amarum sonat quod scribitis, atque oboedientibus et studiosis suave sapit, quod agitis; et quidem mediante mense Iulio paululum mea parvitas de infirmitate convalescens ex proprio clero et filiis ecclesiae strenuos legatos ad vestram desiderabilem praesentiam destinare decreveram, sed nostrum desiderium hostilis expeditio[1] et rei publicae pernecessaria exactio ilico intercepit[c]. Unde et inter densissimas acies et laboriosas custodias paganorum non mediocriter vallati paululum respiravimus, quia pugnante pro nobis divina clementia, immo nostri victoriosissimi principis confidentissimo certamine ac suorum fidelium pio studio multitudo non modica paganorum cecidit in ore gladii et ceteri fuga lapsi divina misericordia agente ita delituere, ut nullus eorum vivens in nostris finibus reperiri posset.

Nos tamen inter ista vix unum cursorem, religiosum videlicet presbyterum Theodericum nomine[2], compendioso itinere cum prosecutione praesentium litterarum ad vestram dirigere potuimus clementiam, praesertim cum in desiderantissimo voto habeamus tales legatos dirigere, qui, uti decet summum pontificem, multiplices replicent mercedes, quod tam pie ac misericorditer nobis et ecclesiae nostrae perpetuum munimen porrigere decrevistis et mihi in ipso margine praesentis vitae constituto nullis exigentibus meritis absolutionis[d] ac benedictionis optata remedia contulistis more scilicet veri Samaritani. Igitur archiepiscopos et episcopos scripta beatitudinis vestrae acriter ac multipliciter reprehendunt pro causa videlicet senioris nostri gloriosi regis Hlotharii ibique praeclara dispensationis ecclesiasticae dogmata admodum propinantes fulgido vividoque mentis robore principem pastorum vos diligere declaratis, et curam pascendarum ovium lucidissime gerere testamini, quippe corpus Christi, quod [est][e] ecclesia, per illum et ipso salubriter exornare satagitis, et re vera erga commissum gregem perspicacibus excubare vigiliis non negligitis. Unde manifestum est, quod claritas superni luminis pervigilem circumfulget pastorem, immo ut credimus, aethereo angelicae consolationis blandimento solaciatur. Quocirca nos cum caelico[f] agmine gloriam in excelso Deo canimus et de vestra sancta piaque sollicitudine modis omnibus congratulamur, quippe [qui][e] eisdem apicibus de excommunicatione Waldradae[3] multipliciter intimastis, pro eo scilicet quia impoenitens permanere proponens, a vobis salutis suae remedium ad limina sanctorum apostolorum veniendo, ut statutum fuerat, minime postulaverit. Eandemque vestrae sanctitatis epistolam et excommunicationis tenorem, ut ostendere et manifestare studeremus, auctorabiliter praecepistis.

Interea per inseparabilem sanctam Trinitatem nos omnes pariter obsecrantes terribiliter monuistis, ut litteris nostris sine mora per legatos nostros idoneos directis vobis veraciter indicemus, si secundum iuramentum praestitum coram misso vestro[4] noster senior cum Theutperga conversetur et si ita illam tractet, quemadmodum rex legitime sibi coniunctam debet tractare reginam, et qui sint illi, qui adulteris vobis-

cf. Luc. 10, 33.

---

a) enim *B, corr. Tr.* b) qui a *B,* quia *Bar.* c) *in marg.* Nortmannorum irruptio felici prelio repressa. d) absolutionibus *B.* e) *add. Bar.* f) coel. *B.*

1) *Cf. Hincmari ann. 867 p. 87:* hostem ad patriae defensionem indicit quasi contra Nortmannos. 2) *eundem, quem supra p. 224 v. 27 commemorat.* 3) *a. 866. die 2. Febr. mensis facta.* 4) *Arsenio episcopo.*

cum sentientes nullum consentiunt praestare favorem. Haec itaque vestrae beatitudinis 867
instituta zelo Dei accensa, quia sancta sunt ac salubria, reverenter hausimus et lacrimoso[a] mentis oculo contemplamur, in his plurimum considerantes vestrae sanctissimae auctoritatis robustissimum onus, quod faustissimum[b] ferentibus praemium largiter et bene certantibus repositam iustitiae coronam a iusto iudice reddendam pollicetur. Nobis igitur parvulis et peccatorum spinis coopertis erit petra refugium et in Christi fide salvabimur[c]. Nos enim tamquam homines faciem solummodo intuemur et de pia conversione ac probo studio simulque emendatiori vita in omnibus congaudemus, assiduis votis exorando, ut de fonte totius bonitatis origines et germina virtutum inrigentur et usque ad maturos boni operis fructus aptis perveniant incrementis. Verum noster senior Hlotharius, gloriosissimus rex, saluberrimam et continuam beatissimi apostolatus vestri admonitionem humiliter atque oboedienter excipiens iuxta decretum excellentiae vestrae[d], postquam reverentissimus legatus vester Arsenius, episcopus et apocrisiarius vestrae sanctae sedis, a nostris finibus remeavit[1], nullum omnino accessum ad Waldradam habuit, sicut[e] fatetur et multorum testimonio adstipulatur; et ut nos veriori experientia investigare valuimus, in nullo prorsus colloquio, tactu vel visu illa frui voluit, vestris per omnia de illa oboediens decretis: memoratamque Waldradam protinus ipsis in partibus iuxta vestram praeceptionem per internuntios item agere iussit, et modis omnibus satisfactionis et salutis suae remedia a vestra pia solicitudine studiosissime ac continue quaerere praecepit.

Igitur Theutpergam reginam noster senior ad praesens ita tractare cernitur, sicut rex coniunctam sibi debet tractare reginam, videlicet ad divinum officium pariter honorifice comitantem et in mensa regia[f] simul convivantem[g] atque, ut relatio innuit, coniugalis habitus debitum solvere hilariter praetendit. Mea quippe parvitas illum in familiari soliloquio adiens ac fidelitatis debitum solvens iuxta hominis valentiam nihil in illo contra vestrae auctoritatis decreta sinistrum invenire potui, sed pollicetur omnimodis pacifice et humiliter ad vestram se iturum praesentiam ac deinceps vestris sanctis consiliis ac monitis per omnia parere velle. Qui sunt autem illi, qui vobiscum sentientes adulteris nullum consentiunt praestare favorem, solus ille novit, qui cordis rimatur arcana. Immo sancta mater ecclesia, quia probi doctores sunt et veri speculatores, cum principe pastorum Christo evidenter[h] iustificat et omni laude dignis aeternae beatitudinis praemia promittit.

Itaque unusquisque nostrum, sive sit excusabilis sive inexcusabilis, pro se rationem reddat, quia iuxta vestrae sanctitatis decretum, qui illi agere et intimare postposuerit quae iussistis, ipse se obnoxium[i] et fautorem adulterorum palam ostendet. Omnes enim in episcopali ordine constituti[k] omnem iniquitatis viam odio habere cupimus et continuis votis, ut in bonis crescant, fideliter exoramus. Meam vero quantitatem vobiscum canonice semper et in omnibus sentientem multis fateor excessibus praegravatam ac in ecclesiastica solicitudine minus quam necesse esset idoneam et, ut ita dicam, aerumnosae atque calamitosae vitae discrimina minus valide ferre valentem[l], ab omni tamen huius reprehensionis contagione, teste rerum omnium conditore, profiteor immunem. Neque enim ut putatur, postquam huius latebrosi erroris caligo detersa est, ammodum[m] silui, sed evangelica atque apostolica documenta fidenter exposui et iuxta vocem prophetae speculantis more periculum nuntiavi. Sed omnipotens Ezech. 33, 7.

---

a) lachrym. *B.* b) fautissimum *in marg.* faustissimum *B.* c) salvabitur *B, corr. Bar.* d) nostrae *corr. in* vestrae *B.* e) multorum *add. B, del. Tr.* f) regina *in marg.* regia *B.* g) conviventem *Bar.* h) *corr. ex* evidentur *B.* i) obnixum *B,* obnoxium *Bar.* k) constitutos *B, corr. Bar.* l) videntem *B,* valentem *Bar.* m) *in marg.* admodum *B.*

1) *a. 865. Augusto mense.*

867 Deus suo occulto iudicio vestrae dignitatis praerogativam speciali dono insignivit, ut virus, quod paene totum ecclesiae corpus infecerat, praecellentissimi apostolatus vestri
Ios. 6, 7. antidoto[a] mederetur, vestraque Deo digni apostolatus tuba muros Iericho circumiens et arcam Dei robustissime ferens elationem mundi eiusque cassanda molimina increpitando prosterneret.

Porro tamquam vero ac pio medico omniumque ecclesiarum Dei in toto orbe terrarum consistentium magistro meae imbecillitatis taedium veraciter et humiliter pandere satius arbitror, obsecrando et submisse petendo, ut me in membris Christi ultimum, vobiscum tamen in vinea Christi fideliter laborantem, nullatenus umquam suspectum habere dignemini vel fautorem vitiorum, [immo][b] vobiscum confidenter agonizantem futurum arbitremini, nec placeat iam vestrae angelicae serenitati nos omnes aequaliter culpari, quia[c] aut in conspectu cuncta cernentis, vere fatear, auxiliante pastorum principe, ab huiusmodi nefario naevo me excusabilem reddere nullatenus parvipendo; et nisi vilis litterarum gerulus vestro Deo digno apostolatui sanctisque obtutibus videretur abiectior, quocumque modo eligitis poterit probare quod scribimus. Illum enim, ut praetulimus, non ex voto neque industria, sed sola hostili expeditione cogente direximus, quem remissioribus vestri eminentissimi apicis pennis non dedignetur vestra pia paternitas benigne respicere et eius brevissima verba in momento audire propter illius amorem, qui leprosos non dedignatus est tangere.

Omnipotens Deus tantum tamque carum[d] nimiumque desideratissimum pontificem nobis diu conservare dignetur incolumem. Amen.

17.

Lotharius rex Nicolao papae fide atque obsequio sancte confirmatis se iussis eius in concilio cum legatis medio Iulio mense habendo in omnibus obtemperaturum esse promittit, cum Waldrada post Arsenii legationem nullum commercium sibi fuisse testatus. Mandata eius non per aliorum intercessionem ad se pervenire vult. Grimlandum cancellarium legatum suum commendat. *867.*

Cod. Broweri apogr. cod. Trevir. fol. 19—21.

Edd. Baronii Ann. eccles. a. 866 n. 36—42 (ed. pr. X, 331—333); cf. Mühlbacher n. 1281.

SANCTISSIMO[a] ET PERBEATISSIMO SUMMO PONTIFICI ET UNIVERSALI PAPAE NICOLAO HLOTARIUS DIVINA PRAEVENIENTE CLEMENTIA REX SUMMAE FELICITATIS[b] ET PRAESENTIS PROSPERITATIS PACEM ET GLORIAM[1].

Postquam nobis gratuita misericordia Dei regni gubernaculum commisit, more praedecessorum nostrorum, christianissimorum videlicet principum, semper et in omnibus sublimandam beati Petri apostolorum principis sedem vestrique pontificii Deo dignum apicem, uti dignum est, reverenter dileximus atque instanter illam exaltare, quantum in nobis, paratissimi fuimus; et de vestro tamquam spiritalis patris regimine spiritalia ac salubria inhianter audire desideravimus, immo quasi de paradisiaco fonte vitae pocula in posterum haurire parati sumus, quippe puram nostrae mentis aciem, quasi ad aethereum iubar et totius sanctae Dei ecclesiae pharum ad custodiam gregis Christi in eminentissimo apice constitutum

---

a) antydotho *in marg.* antidoto *B.* b) sed *add. Bar.*, immo *Tr.* c) qui *B*, quia *corr. Tr. (cf. infra p. 240 v. 18).* d) charum *B*, clarum *Bar.*

17. a) *in marg.* Submissi et blandientis specie Hlotharius caussae cognitionem integram a Nicolao praestari postulat neque alteri parti nimium tribui, per omnia se apostolicae sedi subiiciens. b) foelic. *B.*

1) *Cf. quae de tempore huius epistolae scripsit Parisot (Royaume de Lorraine p. 301 n. 4). Verba eius hic illic congruere cum duabus aliis Lotharii epistolis ab eodem dictatore compositis (supra p. 217. 230) adnotavit Mühlbacher (Reg. p. 500).*

confidenter et humiliter direximus. Sed, quod non modice plangimus, vestrae piae 867
paternitatis circumspecta solicitudo, ultra quam nobis necesse esset aemulorum vocibus credula, paternas increpationes nuperrime et inopinate ....[a] excepimus. Re vera quia 'meliora sunt vulnera diligentis quam oscula inimici', quicquid nobis a vestra pia Prov. 27, 6.
paternitate dirigitur, ultra quam credi potest, omni melle dulcius, omni thesauro carius in palato nostrae mentis dulciter saporatur, et in arca nostri pectoris reverenter amplexamur.

Denique principem pastorum vos diligere declaratis, et curam pascendarum ovium Christi gerere testamini[b], qui vobis in Petro loquitur: 'Si diligis me, pasce oves meas'. Ioh. 21, 15–17.
Libenter enim vestra pia monita audimus et, quia Deo placita sunt nostraeque saluti congrua, desideranter amplectimur: multo magis cupientes vestro documento instrui et ad meliora provehi, quam iuxta aemulorum diffamationem in pravitate delectari: quod lucidissime claruit, cum coram vestro legato, vestris parendo iussis humiliter colla submisimus, confidentes apud vestram paternitatem esse suscepti[c], cum semper optemus ad vestram dilectionem pertingere ac devotis obsequiis ad vestram gratiam propinquare. Siquidem magno desiderio accendimur ad beatorum apostolorum limina et ad vestram carissimam paternitatem nostram praesentiam exhibere, sed variae incommoditates nostram devotionem hactenus prohibuerunt, sperantes nihilumque volentes hoc citius Domino donante implere.

Interea prudentissima sanxit antiquitas et sanctorum patrum spiritu Dei conditae regulae evidentissime testantur, quod accusatoris et accusati voces veraciter audiri debeant, ut sub introducto veritatis testimonio nocens et innocens iusto iudicio examinentur. Quapropter quamvis non corpore, spiritu tamen praesentes, solotenus[d] ad vestra sacra vestigia provoluti humiliter precamur, ut accusatores nostros, qui non manifeste, sed occulte nostram serenitatem, quantum in ipsis est, lacerare in vestris auribus avidissima cupiditate inlecti non cessant, ex divina et vestra auctoritate arcersiri placeat, ut in vestra praesentia rei veritas probabiliter ac legaliter pateat. Quippe non erit difficile vestrae auctoritati in tanto temporis intervallo accusatores ad rationem invitare, quos importunos atque infestos in nostra infamia patienter ferre dignamini et secundum sapientiam vobis caelitus[e] collatam de incertis ac dubiis longanimiter iusti iudicis patientiam imitamini.

Interim ergo humiliter vestrae paternitati ac bonae fidei nos committimus, ut nullo modo dubitetis, quoniam, quicquid nobis mandare curabitis[f], pro viribus annuente misericordia Dei observare decernimus[g]; nec vos aliter omnino a veracibus invenietis praeveniente misericordia Dei. Nam si fallaces et invidi aliquo modo vobis aliter significare conantur et sinistrum aliquid falsa interpretatione innuerint, nequaquam mendosis suspicionibus acquiescatis[h], quia nos, sicut scribimus, credibilibus ac certis indiciis approbabimus. Unde siquidem vos per idoneos legatos certificabimus, mittentes illos ex nostro generali concilio, quod una cum episcopis ac reliquis fidelibus nostris mediante Iulio mense celebrabimus. Nam uti antecessores nostri sanctissimorum praedecessorum vestrorum monitis oboedierunt, ita nos etiam coram excellentia apostolatus vestri nos humiliare atque in omnibus vestris paternis monitis absentibus seu praesentibus[i] promptissimo parere cupimus animo, quod olim secundum vestram voluntatem coram legatis vestris egimus. Perpendite itaque, quod nullus coaequalium nostrorum vestrae paternitatis umquam diligentius atque honorificentius tractaverit

---

a) *nulla lacuna B, exciderunt verba fere talia:* nobis dirigere dignata est, quas humiliter et submisse et nequaquam obstinate *(Tr.)*. b) *manu correctoris suppl.* c) susceptos *Bar.* d) *postea suppl. manu correctoris.* e) coel. *B.* f) curastis, *in marg.* curabitis *B.* g) decernemus *ed. princ. Baronii.* h) *corr. ex* acquiescitis *B.* i) *in marg.* Metuens regni iacturam subobscuras iactat minas.

867 missos, quam nos fecimus, dumque spiritus nostros vegetaverit artus[1] Deo propitio faciemus.

Quam ob rem cernuo lumine vestram affatim deposcimus paternitatem, ut dum nos vobis missisque vestris, ut ita dicamus, maioribus seu minoribus per omnia super omnes coaequales nostros oboedire volumus, non aliquem nostri, Deo miserante, consimilem super nos extollere aut terrae praeponere vestrae libeat paternitati, ne forte ipsi talem contra nos moliri velint causam, quam tolerare non valentes, pro regio munimine, inter nos aliquod[a] scandalum evenire possit. Nam si vestra paternitas aliquid nobis nuntiare decreverit, legatos aut certe litteras mittere placeat, praesertim cum numquam vestrae beatitudinis iussa despexerimus, sed modis omnibus veneramur, amplectimur atque diligimus, nulli prorsus homini subiecti esse volentes, nisi Deo et sancto Petro[b] ac caeteris sanctis vestraeque paternitatis culmini, mi pater et domine, in quo, ut praetulimus, post Deum et sanctos eius nostrae salutis spes multipliciter manet[c], quodcumque significaveritis aut per vestros aut per nostros legatos seu per litteras, pro amore Dei et apostolica reverentia ei[d] libenter oboedire volumus praeter[e] vos, nisi quantum et ipsi nobis. Scimus nimirum qua intentione nec latere poterit quorundam invidia atque potestas contra nos desudat, omnia argumenta occasionesque inquirens accusandi atque nocendi. Sed absit a mea[f] christianitate, ut talis sit nostra intentio, tam prava conscientia et iniqua studia, sicut a talibus mendose narratur; quia licet me peccatorem esse recognoscam, tam pravae voluntatis fore non permittet bonitas omnipotentis Dei, de cuius misericordia et auxilio nequaquam diffido. Praeterea quicumque vobis hoc dixit, quod ego, postquam Arsenius a nobis separatus est, cum Waldrada in aliquo loco conversatus fuerim aut, postquam ab Italia reversa est, ullum[g] mutuum accessum, tactum vel visum inter nos habuerimus, penitus mendacium est[2].

Sed ut experiatur paternitas vestra velle in omnibus nos vestrae obsequi voluntati, hoc ipsum pro vestro bene placito praesens legatus noster Grimlandus[h 3] nomine ac dilectus cancellarius regiae dignitatis coram nobis approbare poterit. Agat igitur vestra sanctitas circa nos, ut credimus, cum omni benignitate ac moderatione, ut non nobis[i] aliquando improperare ullus possit, quod vobis[k] nostrum negotium cum tanta fiducia semper commisimus.

Optamus sanctissimi apostolatus vestri sublimissimum apicem semper et in omnibus vigere feliciter[l].

18.

Lotharius rex de Nicolai papae morte maerens ac de inimicorum suorum insidiis questus Hadriano (II) papae gratulatur eiusque benevolentiam sibi rebusque suis adesse exoptat. *868 c. Februar. mense.*

Cod. Broweri apogr. cod. Trevir. fol. 24—25'. Meminit huius epistolae ex cod. Brower, Ann. Trevir. I, 422. Fragmenta eius habet Regino, Chronic. a. 868, p. 94—95 ed. Kurze.

Edd. Baronii Ann. ecclesiast. a. 867 n. 149—153 (ed. pr. X, 394—395); Mansi, Coll. conc. XV, 831; Migne, Patrol. CXXI, 376—378; cf. Mühlbacher n. 1282.

---

a) aliquid *B.* b) *in marg.* En uni post Deum pontifici Romano se subditum profitetur Hlotharius. c) maneat *Bar.* d) ei *in marg.* e) propter *Bar.* f) me *B*, mea *Bar.* g) nullum *B*, ull. *Bar.* h) Grimlandum *B.* i) vobis *B.* k) nobis *B.* l) foeliciter *B.*

1) *Cf. Aen. IV, 336:* dum spiritus hos regit artus. 2) *Similia scribit Adventius, cf. supra p. 235.* 3) *Roma ex hoc itinere redux Grimlandus die 4. Iunii mens. a. 868. Adriani papae epistolas detulit, cf. Hincmari ann. p. 91 ed. Waitz. De Grimblando cancellario inde ab anno 866. ineunte usque ad annum 869, cf. Mühlbacher, Reg. imp. I p. XCVIII.*

SANCTISSIMO[a] ET PERBEATISSIMO HADRIANO SUMMO PONTIFICI ET UNIVERSALI PAPAE HLOTHARIUS, DIVINA PRAEVENIENTE CLEMENTIA REX AETERNAE BEATITUDINIS ET PRAESENTIS PROSPERITATIS PACEM ET GLORIAM. 868 c. Februar. mense.

Infausta relatio[1] et in ambiguo hactenus manens, ut ita dicamus[b], acriter nostrae serenitatis transverberavit aures, intimando, quod beatae memoriae[c] domnus[d] Nicolaus universalis papa ab hac lacrimarum[e] valle vocante Christo, decesserit cum sanctis[2], ut credimus, inaestimabiliter coronandus. Unde nostrae mansuetudinis affectio admodum[f] ingemiscens, gemino dolore concutitur, videlicet quod mater omnium ecclesiarum Dei, sancta et apostolica ecclesia, tali ac tanto caruit patre atque in caelesti[g] Hierusalem lucerna ardens et lucens nostris periculosis temporibus a tenebrosis malefidis diei[h] finibus sit remota. Nec differt, ut omnis christiana religio de tanto pontifice doleat, et omnis ordo ecclesiasticus de prudentissimo ac sanctissimo papa ingemiscat. Ps. 83, 7. Ioh. 5, 35.

Re vera nos potius deflemus, qui causas nostrae calumniae insolentes et fraudulentas[i] aemulorum nostrorum querimonias tam benigno patri aequitatis et[k] iustitiae lance ponderandas ac determinandas ad tempus et in parte commisimus. Sed quod lugubriter replicamus, plus apud sanctitatem illius valuere nostrorum inimicorum insidiae et simulatae deceptiones, quam nostra simplex et pura defensio, quippe patienter atque aequaminiter ultra sufferentiam omnium praedecessorum nostrorum nostram regiam dignitatem ac divinitus attributam potestatem reverentiae illius, immo potius apostolorum principis, humiliter submisimus et ultra quam credi posset, suis paternis monitis fidenter paruimus ac missorum suorum varia et multiplicia hortamenta sectando propter amorem Dei et reverentiam sanctorum in aliquibus a nostro regio themate[l] secus quam oporteret in parte exorbitavimus. Igitur sperantes et modis omnibus credentes in sanctissimo pontifice fidum nostrae tuitionis auxilium [posuimus][m]. Sed nescimus quibus suggestionibus aut certe superfluis promissionibus actum est, quod insperata dilatio multiplices peperit simultates atque ob hoc nostra res publica non modicam usquequaque pertulit laesionem. Nos autem[n] litteris et verbis indesinenter proclamantes et diversis legationibus eadem repetentes humiliter postulavimus, ut nos et accusatores nostri iuxta divinas et humanas leges sui pontificii audientiam mereremur[o], ut ratio docet, nostram praesentiam exhibendo. Sed toties repulsi[p] et iam tandem multipliciter coacti iudicium ac refugium nostrum in illa collocavimus petra, de qua psalmista confidens aiebat: 'Montes excelsi cervis, petra refugium erinaciis'. Ps. 103, 18.

Porro illud potissimum nostrae mentis aciem obnubilavit, quod nos ab ipsa sancta sede repellimur, quorum progenitores et atavi illam sanctam matrem ecclesiam divino[q] auxilio pie ac fideliter patrocinantes protexere. Et quidem ultra quam fari possit congratulamur, quod Bulgares et alia paganorum feritas ad limina sanctorum apostolorum invitatur[3], immo quod sancta ecclesia iuxta vaticinium prophetae dilatat locum tentorii sui et longos facit funiculos suos ac pelles tabernaculorum suorum extendit. Sed non modice contristamur, quod tam crebro illuc anhelando audientia praedecessoris vestri potiri non valuimus. Sed his omissis ad nostrae mentis propositum et vestri Deo digni apostolatus excellentiam redeamus et, uti dignum est, gloriam in excelsis Isai. 54, 2.

---

18. a) *in marg.*: Hadriano Hlotharius gratulatur ingressum pontificatus, Nicolai excessum luget, caussam interim suam et damnationem purgans et accusans *(corr.* excusans*)*. b) dicam *B.* c) recordationis *Reg.* d) domus *B.* e) lachrym. *B.* f) ammodum *corr. in* adm. g) coel. *B.* h) Dei *B*, diei *corr. Bar.* i) fraudulenter *B*, fraudulentas *Reg.* k) ac *Reg.* l) temate h *suprascr. B, an* stemmate? m) *om. B*, ponimus *add. Bar.*, posuimus *Mühlbacher.* n) autem *B*, enim *Reg.* o) meremur re *suprascr. B.* p) semper repulsi sumus *Reg.* q) et divino *B.*

1) *Cf. supra p. 210 v. 14.* 2) *Nicolaus I papa obiit a. 867. die 13. Nov. mensis, post quem Hadrianus statim electus est.* 3) *Cf. Hincmari ann. Bertin. a. 866. p. 86 ed. Waitz.*

868 c. Februar. mense

Deo resonemus, qui roseo[1] proprii sanguinis pretio acquisito gregi misericordissima dignatione prospiciens, vestri pontificii iubar sua electione in sede sanctae matris ecclesiae collocavit ad nostram et totius christianae plebis salutem.

Et[a] quia omnipotens Deus princeps pastorum in illa sancta sede vestri pontificatus apicem sublimavit, nostrae serenitatis salubre auxilium ad defensionem, statum atque honorem pontificatus vestri more praedecessorum nostrorum in omnibus exhibere parati sumus. Et teste rerum omnium conditore, nullus catholicorum regum, nullus christianorum principum devotior vestrae sanctitati et promptior vestrae utilitati esse desiderat, quam nostra quantitas[b]. Nam si tempus arriserit et auxiliante divina clementia scandala sopita conquieverint, quae simultate et suggestione aemulorum nostrorum, membrorum videlicet sathanae, enormiter emersere, vestrum multipliciter desideramus conspectum et vestris Deo dignis animari colloquiis atque[c] melliflua benedictione potiri. Denique almifluam paternitatem vestram humiliter precamur, ut[2] nullum regiae dignitatis et nominis nobis consimilem praeferre quoquo modo aut praeponere[d] nostrae mansuetudini decernatis neque etiam apices beatitudinis vestrae nobis porrigendos per aliquem dirigere placeat, nisi, aut per nostrum legatum aut certe per vestrum a vestro sancto latere destinatum[3] vel per nuntium augustissimi germani nostri Hludoici imperatoris, quia, ut vere fateamur, non modica simultas hactenus istis in partibus per huiusmodi factum orta[e] noscitur et nisi in posterum caute praevisum fuerit, quoddam poterit generare discrimen.

Interea modis omnibus obsecramus, ut de vestra optabili prosperitate litteris vestris[f] celsitudinem nostram[g] certam reddentes carae filiationis munus nobis impertiri dignemini, et vestris almifluis precibus nostram apud Dominum commendabilem atque veniabilem exhibeatis serenitatem, quatenus tanti patris piis precibus suffulti creditum nobis regimen Christo opitulante gubernare valeamus.

Omnipotens Deus vestri pontificii splendifluum iubar atque angelicam sanctimoniam diu nobis incolumem conservare dignetur. Amen.

---

a) Et *B*, Sed *Reg.* b) quantitas *B*, exiguitas *corr. Bar.* c) ac *Reg.* d) proponere *B.* e) lis *add. corrig. B.* f) nostris *B*, vestris *corr. Bar.* g) vestram *B*, *corr. Bar.*

1) *Cf. supra p. 219 v. 36, ubi eadem verba.* 2) *Cf. supra p. 232 v. 11, ubi eadem verba, et p. 238 v. 5, ubi similia.* 3) *Cf. supra p. 238 v. 14.*

IV.

EPISTOLAE COLONIENSES.

Maior epistolarum pars, quae res Coloniensis metropolis Guntharii archiepiscopi depositi tempore illustrant, exstat in codice nunc civitatis Trevirensis 1081 (LXXI) saec. XI. scripto, quem quondam a. 1821. Wyttenbach bibliothecarius ex monasterio S. Matthiae Trevirensi comparavit. Postquam G. Waitz b. m. a. 1840. eum usui futuro diligenter descripsit, a. 1858. Henr. Ios. Floss in appendice libri duplicis[1] *omnes epistolas, quas codex ille praebuit, tam ineditas quam editas, in lucem protulit. Ex quibus hic eas tantum repetimus, quae de Williberti archiepiscopi electione agunt, paparum epistolis ad hanc rem spectantibus, una excepta, seiunctis eisque, quae tempore posteriore scriptae sunt, aeque alii tomo reservatis.*

Praemittimus huic seriei arte inter se conexae Guntharii litteras anno 865. ad Hincmarum archiepiscopum datas, quibus, concilii Ticinensis decreto nisus, in sedem suam se restitutum iri etiamtunc sperat. Quas post acta illa Ticinensia codex Coloniensis metropolis CXVII fol. 97 aequalis nobis servavit: post editionem primam ab Hartzheimio paratam (Conc. Germ. II, 332 = Mansi XV, 765—766) V. Cl. Schäfer librum illum iterum non sine fructu contulit. Addimus denique, ne quid ad hanc rem dilucidandam maioris momenti desideretur, Iohannis VIII papae litterarum fragmenta ad electionem illam subitam spectantia, quae ex collectione codicis Londiniensis 8873 saec. XII. in. scripti fol. 127'—128 V. Rev. Edm. Bishop quondam nobis praebuit, K. Hampe socius postea iterum contulit (cf. Ewald, Neues Archiv V, 306. 587).

De codice Trevirensi conferas quae Wyttenbach et Waitz disputaverunt: Archiv III, 377—380; XI, 491—492 (cf. VIII, 23), de Coloniensi quae scripserunt Jaffé et Wattenbach (Ecclesiae metropolit. Coloniens. codices p. 47—48). Imaginem illius non satis perspicuam Floss editioni suae adiecit.

Berolini, Iunio mense 1902.

Ernestus Duemmler.

---

1) *'Die Papstwahl unter den Ottonen', Freiburg im Breisgau 1858 et 'Leonis papae VIII. privilegium de investituris'. Appendix utriusque libri eadem est.*

1.

865 *Guntharius archiepiscopus quondam Coloniensis Hincmari Remensis archiepiscopi fidem pro sede sua recuperanda implorat, papae atque episcoporum in hac re consensum se habere contendit.* *865.*

VENERABILI[a] ET CARISSIMO HINCMARO ARCHIEPISCOPO GUNTHARIUS SANCTAE FRATERNITATIS DEVOTUS AMATOR AETERNAM IN DOMINO OPTAT SALUTEM[1].

Quia meis exigentibus peccatis inopinata mihi provenerunt adversa, patientia mihi necessaria est in tribulatione et bonorum intercessio. Parcat Dominus omnibus illis, qui tam gravem sine misericordiae remedio invectionem mihi deputaverunt, sciant quem tantum, ut inde se recognoscere non dissimulent, ego penitus oblivioni tradere proposui permanere cupiens in verae amicitiae integritate, quae debet esse in caritate radicata. Praeterea de nostri infortunii melioratione certus esse credo, quod postea in his partibus vestra caritas studere non omisit. Nam ego cum humilitate et timore vobis significare praesumo, quia propitio divinitatis munere domnum apostolicum ad nostram recuperationem voluntarium habemus, adeo ut sacras ipse auctoritates et exempla piaque documenta perscrutatus sit, quae nostra restitutioni miserante Deo plenariam fiduciam non denegant. Similiter et omnes episcopi spem nobis recuperationis fiducialiter insinuant, a quibus et imperator et imperatrix[2] minime discordant. Et hi ergo pariter uno consensu epistolas valde idoneas pro nobis venerando pontifici direxerunt. Haec interim apud vos eo silentio secreta teneantur, ut his tantum, quibus competit, pandantur. Nunc, mi pater, quoscunque fratres et coepiscopos monere studete, ut fraternae caritatis et compassionis non obliviscantur, mihique desolato ac peregrinanti omnes quantotius succurrite, quia necessitatem patientes necessariis rebus
Prov. 19, 17. indigemus. Foenoratur Domino qui miseretur pauperi.

Venerandam paternitatem vestram bene in Christo valere optamus[b].

2.

Clerus et populus Colonienses episcopos provinciae Coloniensis deprecantur, ut, Gunthario archiepiscopo a Nicolao papa damnato, ecclesiae Coloniensi afflictae provideant. *870.*

---

1. [a]) *Lemma:* Epistola Gunthari ad Hincmarum. [b]) *Post hanc epistolam legitur sequens monitio:* Istum quaternionem exemplari facite in aliis quaternionibus quam pluribus et unum date Liudberto archiepiscopo[3] et ad alios episcopos, quantum plus potestis, pervenire facite. Ad Coloniam unum exemplar dirigite, ita ut in manus fratrum veniat et illi etiam exemplari faciant et ad episcopos mittant. Willibertus[4] specialiter inde provideat et Arnulfus pp. et Madalfridus ... et Ingilfridus et Baldricus et Eremboldus similiter inde provideant et ceteri qui specialiter esse volunt fratres (Arnulfus *legi vix potest, post* Madalfridus *sequitur nomen obscurum).*

1) *Antecedunt in codice acta synodi Ticinensis a. 865. Februario mense habitae ac litterae huius synodi ad Nicolaum papam datae (cf. Neues Arch. XXVI, 635).* 2) *Ludowicus II et Engelberga, Guntharii fautores.* 3) *Moguntino a. 863—889.* 4) *archiepiscopus futurus inde ab a. 870.*

*Nos[a] clerus et populus Coloniensis metropolis, multiplici afflictione septennio[1] 870
nostris exigentibus culpis adtriti, petimus pro Deo, ut succurratis inretitis et conteratis *f. 21. cf. Ps. 123, 7.
laqueos venantis, et medela possit nobis miseris congruens canonice et misericorditer exiberi[b], ne segnius[c] tractata pernicies nos in reatu neglegentiae, quod absit, vobiscum involvat. Post multas etenim, quas diu pertulimus, caedes, vastationes atque rapinas et alia innumera fraudium pericula sero comperimus, quod valde dolemus, quondam episcopi nostri Guntharii a propriis ecclesiasticis officiis aeternam dampnationem, quam beatus Nikolaus papa illi ingessit et omnis ecclesia Romana. Haec igitur et canonicas auctoritates necnon et divinarum scripturarum assertiones prae manibus habentes, flagitamus in Deo et ex Deo ac per Deum rata consideratione causarum nostrarum ita mederi lacrimabilem contritionem, sicuti magno et pio atque terribili iudici pro nobis debetis reddere rationem.

3.

Leutbertus Magontiacensis archiepiscopus, Coloniensis provinciae episcopi una cum clero populoque Coloniensibus ad Adrianum II papam de electione Williberti archiepiscopi anno 870. facta referunt atque, ut pallium ei mittat, petunt. *870.*

SANCTISSIMO[a] ATQUE REVERENTISSIMO UNIVERSALI PAPAE ADRIANO
LEUTBERTUS MAGONTIACENSIS[b] ARCHIEPISCOPUS[2], ALTFRIDUS HILDINISHEMENSIS[c] EPISCOPUS[3],
ITEM LUPERTUS[d] MIRMIHERIVURDENSIS[e] EPISCOPUS[4], TEODERICUS MINIDONENSIS[5] EPISCOPUS,
EGIBERTUS OSINBRUGGENSIS[f 6] EPISCOPUS, ODILBOLDUS TREIECTENSIS[g 7] EPISCOPUS,
OMNISQUE CLERUS ET POPULUS COLONIENSIS METROPOLIS.

Officii nostri cura propellimur inter ruinas collisorum catervas eripere subiectorum, ut ex hoc ultra nec vigorem nocendi habeat exsecranda pressura et omnis oppressus noverit sanctae sanctionis sacra sibi esse conlata remedia. Nam divae memoriae praecessoris vestri Nikolai et vestra ammonitione clementer persuasi, diu est, quod Coloniensem metropolim doluimus veluti per mare mundi huius sine gubernatore in diversa ferri. Quam non arbitrati sumus relinquendam, sed summopere regendam, quoniam sicut magna navis omnes, quos vehit, perducit incolomes gubernatoris vigilantia gubernata, ita non solum quos[h] habet, sed etiam ipsum gubernatorem perdet submersa fluctibus aut soluta. Qua ex re divinitus perculsi [ac][i] perterriti, cum electione et consensu cleri et plebis anno incarnationis domini nostri Iesu Christi DCCCLXX indictione III. VII. Idus Ianuarii ordinavimus Willibertum archiepiscopum in sede Coloniensi[8] beneficio illius caritatis, quae non est ex nobis, sed difusa est in cordibus Rom. 5, 5.
nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Siquidem magno meroris dolore Guntharium quondam archiepiscopum conpatimur depositionis incidisse laqueum, et praedictam ecclesiam cum gloriosissimo seniori *nostro Ludowico septennio proprio *f. 21'.
pastore doluimus fuisse viduatam. Qui serenissimus rex noster, mox ut eiusdem[k]

---

2. a) *Lemma:* Confugium et deprecatio cleri et populi Coloniensis ad provinciales episcopos. b) exibui *T.* c) sengni' *T.*

3. a) *Lemma:* Epistola serenissimi regis Ludowici ad venerabilem Adrianum papam *(falsus titulus, ut tenor litterarum ostendit).* b) magotianensis *T.* c) hildinush. *T.* d) episcopus *add. T.* e) miriniherivurdensis *T.* f) osinbrungensis *T.* g) treicetensis *T.* h) quis *T.* i) ac *addidit Floss.* k) cuusdem *T.*

1) *inde ab anno 863., in quo Guntharius a Nicolao papa Romae Oct. mense damnatus est, cf. Ruodolfi ann. Fuld. ed. Kurze p. 57, Hincmari ann. ed. Waitz p. 63.* 2) *a. 863—889.* 3) *a. 847—874.* 4) *a. 849—871.* 5) *a. 853—880.* 6) *a. 860—887.* 7) *qui et Egilbaldus a. 866—899.* 8) *Cf. Chronicon Reginonis a. 869, p. 99 ed. Kurze, qui de hac electione copiose rettulit.*

870 metropolis ad gubernandum regnum divinitus suscepit [1], fervore ignitus caelesti, ut subveniremus canonice eidem aecclesiae, devotissime suggessit. Unde diligenti intuitu circumspectos sacros canones vestrorumque decessorum decretalia, necnon et divinarum scripturarum iura legalia ex quaestione, ratione, iudicatione, confirmatione, praedictum archiepiscopum, gratias agentes Deo, canonice, ut credimus, subrogavimus pro merito suae sanctitatis in praenominata sede, qui propositi sanctitate et facundia scientiae gratiam procul dubio videtur habere, qua potest sub se viventes non mediocriter instruere perfectus in sanctae et individuae Trinitatis fide.

Unde obnixe vestram sanctissimam paternitatem exposcimus, ut ad praesens ei transmittere dignemini ex more archiepiscopale pallium, quo redimitus, donec vixerit, pro vobis nobiscum[a] exoret omnipotentem Deum. De his vero aliisque nostris negotiis praesentem nuntium respondere suasimus vestrae paternitati iuxta quod sciscitaveritis. Siquidem, die noctuque vestri [ut] decet[b] in sacris orationibus nostris memores[c], imploramus, ut omnium rerum discretiones ita peragatis prudenter, ut post diuturna tempora caelestium sitis consortes et coheredes.

4.

Clerus populusque Colonienses, Gregorii Magni papae auctoritatem secuti, de electione Williberti archiepiscopi a. 870. facta ad Adrianum II papam referunt eumque papae commendant. *870.*

DOMINO SANCTISSIMO ET UNIVERSALI PAPAE ADRIANO
OMNIS CLERUS ET POPULUS SANCTAE COLONIENSIS ECCLESIAE CUNCTAM PROSPERITATIS[a] SALUTEM ORANT IN CHRISTO.

Officio piae subiectionis inpellimur [2], ut a vestra sancta paternitate necessitudinis[b] nostrae[c] quaeramus debite consultum et reparationis suffragium, ut per vos immo vobiscum perveniamus inlaesi ad salutis portum. Siquidem nostris exigentibus culpis innumeras calamitatum septennio pertulimus pressuras, utpote, proprio destituti gubernatore, alto iactati sumus periculose in undas. Unde quaesumus, ut conantes ad terram viventium pervenire quantis potestis auxiliis adiuvate, ut mercedem non solum de nostra habere valeatis ereptione, sed etiam de piissima interventionis reparatione. Nam sicut divae memoriae praecessoris vestri cauta nos instruxit ordinationis dispositio, ita provisionis vestrae laetificat comperta admodum sollicitudo, quam ubique, ut auditum habemus, misericorditer exercetis[d] in omnibus pro Christo.

Denique, ut vestra sacra experientia nostrarum seriem aerumnarum certius[e] pietate dictante[f] miserando agnoscat, postquam diu crudelia et iniusta dominia atque, ultra quam dici fas sit, innumerabilia fraudium pertulimus discrimina [3], quaesivimus[g] comprovincialium episcoporum nostrorum pro metu adversantium latenter ex Deo canonice consilii et pietatis subsidia et cum lacrimabili lamentatione sanctae memoriae Nikolai
*f. 22. papae illis detulimus scripta, in quibus non sine magno dolore Theutgaudum *et Guntarium quondam archiepiscopos ab eodem sancto papa monstravimus esse pro nefas depositos. Verumtamen, cum indagando talia subtiliter discuterentur, accidit, ut in

---

a) vobiscum *T, emend. Floss.* b) condecet *T, emend. Waitz.* c) memoramus *corr. in* memoras *T, corr. Waitz.*

4. a) prosperitati *T.* b) necessitunis *T.* c) vestre *T.* d) exercens *T, corr. Floss.* e) tercius *T.* f) dictande *T.* g) $\overline{\text{qs}}$ *T, corr. Floss.*

1) *Pacto ad Marsnam a. 870. firmato lis de Lotharii regno diremta est.* 2) *Cf. supra p. 243 v. 21:* Officii nostri cura propellimur. 3) *Cf. supra p. 243 v. 6* innumera fraudium pericula.

eisdem domni papae scriptis haec ita ad locum invenirentur[1]: 'Si pax, quam turbaverunt, 870
ecclesiae Christi reddita fuerit, profecto potuerint Dei solius intuitu et vestrae fraternitatis affectu alia miserationis ecclesiasticae[a] nostro nutu atque ope freti beneficia promereri, prioris tamen ministerii vel cuiuscumque sacerdotalis officii dignitatem frustra quidem sperare poterunt[b], resumere autem in sempiternum non poterunt'. Unde eisdem nostris episcopis scribens ita ad locum statim subinfert: 'Cesset itaque vestrae fraternitatis [iam[c] nos super hoc pulsare sollertia et quod] fieri non potest[d], tandem aliquando desinat'. Item ad locum post pauca[2]: 'De quibus tamen [si][e] fraternitas vestra veraciter[f] ac utiliter dolet et[g] aliquod eis vult inpertiri suffragium, curet necesse est vulnus, quod ipsi non solum minime ferro iustitiae resecarunt, verum etiam oleo iniquae adulationis et persuasionis foventes, crescere longe lateque fecerunt, nobiscum pariter incidere ac studiose mederi: quamvis iam fati viri, ut praetulimus, quantum ad sacerdotium spectat, recipiendi nullam valeant habere fiduciam. Si enim quod in his destruximus reaedificemus, praevaricatores procul dubio a Domino constituemur', et cetera. Hinc idem episcopi Galliarum episcopis ita invenerunt scriptum a memorato venerabili apostolico ad locum[3]: 'Igitur decernente nobiscum sancta sinodo in praesentia depositi et ab officio sacerdotali excommunicati atque a regimine episcopatus alienati indubitanter existunt. Unde vestra fraternitas canonum normam custodiens et decretorum sanctiones observans, caveat[h], ne hos, quos abiecimus, recipere in sacerdotum catalogo praesumat. Depositionis autem sententia[i], quam in praedictos Theutgaudum[k] et Guntarium protulimus, cum ceteris capitulis[l], quae sancto concilio nobiscum sanciente[m] promulgavimus, inferius[n] anexa monstrabitur'. Unde capitulo secundo ad locum sic inventum est inter alia[4]: 'Coram nobis et sancta sinodo sub gestorum[o] insinuatione invenimus eos apostolicas atque canonicas sanctiones in pluribus excessisse et aequitatis normam nequiter temerasse, unde eos omni iudicamus sacerdotali officio manere penitus alienos, Spiritus sancti iudicio et beati Petri per nos auctoritate omni episcopatus exutos regimine consistere diffinientes', et reliqua.

Quid ergo ad haec dicere possumus, maxime cum exorbitatio tanti patris nostri nos magno dolore afficit et eius depositio nostram parvitatem lacrimis turbando perfundit? Condolemus enim nos tanto pastore penitus destitutos et tam piissimo doctore[p] funditus alienatos. Immo summopere tantum virum errrasse lugemus et tam graviter eum cecidisse amaro *animo deflemus. Et cum septennio eodem pastore essemus privati, *fol. 22'.
innumerabiles sustinuimus caedes, vastationes, praedas, fraudes, durasque dominationes, praesertim cum nostra metropolis inter laicos frequenter divideretur et venatores et inter obscenas saecularium potestates. Quis igitur inter alia scelera eodem [interstitio][q] agnoscit, quanti[r] sine baptismo obierint[s] in nostra parroechia et inconfessi sine sacri viatici gratia? Ubi non spes fovebatur ex munere, maxime quia sanctificator et sanctificatio chrismatis deerat cum opere. Ex qua re pro summa necessitate licentiam electionis petivimus, ut in praedicti quondam pastoris nostri loco dignum pontificem sacrandum canonice eligeremus, quoniam iuxta sacros canones et decretalia sanctorum patrum diu non licet differre consecrationes episcoporum maximeque quoniam[t] insistebant nonnulli, qui in praefata[u] metropoli inlicitam episcopi ordinationem cum favoris potentia sine electione facere gestiebant; quorum oportuit anticipari summopere violentiam, ut in sacris ordinibus non temporalis industria, sed spiritalis Deo favente auctoritas vigeat canonica.

---

a) eccleastice *T.* b) potuerunt *T.* c) iam — et quod *om. T.* d) potenst *T.* e) si *om. T.* f) veratiter *T.* g) ut *T.* h) cautat *T.* i) sententiā *T.* k) theutgaudium *T.* l) teteris capitalis *T.* m) sanctiunt *T.* n) insertus *T.* o) subiectorum *T.* p) doctores *T.* q) interstitio *om. cod., sed adest in cod. lacuna unius vocis; conieci* interstitio *ex epistola Ludovici regis ad papam eundem, ubi idem verbum occurrit. Floss.* r) quatinus *T.* s) obierunt *T.* t) quo *T.* u) prefati *T.*

1) *Cf. p. 51 in editione Flossiana (Jaffé N. 2886).* 2) *Cf. ibid. p. 53.* 3) *Cf. ibid. p. 25 (Jaffé N. 2748, Hincmari ann. a. 863 ed. Waitz p. 63. 64; Ann. Fuldens. a. 863 p. Kurze p. 58. 59).* 4) *Ibid. p. 26.*

870 Quamobrem suprascriptas sanctiones et sanctorum patrum decretalia ac sacros canones diligenter perscrutatos, omnipotentis Dei clementia et sancti Petri, ut credimus, interventione gloriosa, suffraganei episcopi et nos clerus ac populus Coloniensis elegimus canonice sacrandum archiepiscopum nomine Willibertum presbiterum, per singulos gradus ad sacerdotale ministerium regulariter promotum, hospitalem, benignum, sobrium, iustum[a], sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum[b] doctrinam est, fidelem
Tit. 3, 8. sermonem: et est potens exortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, redarguere. Qui etiam ab infantia benigne et caste inter nos fuit nutritus et usque ad perfectam aetatem religiose omnimodis conversatus. Sub hac vero perfectissima testificatione et rata canonica electione, anno incarnationis domini nostri Iesu Christi DCCCLXX, indictione tertia, VII Idus Ianuarii, nostri episcopi statuerunt pro utilitate sanctae ecclesiae in Deo et ex Deo ac propter Deum praenominatum Willibertum canonice benedicendo consecrare Coloniae archiepiscopum, licet ipse frustra id ipsum recusasset omni[c] annisu pro viribus. Unde ut talis[d] etiam nolens ad sacros ordines trahatur invitus, ad Siagrium, Etherium, Virgilium atque Desiderium ita scribit sanctus papa Gregorius[1]: 'Sicut autem is, qui invitatus rennuit, quaesitus refugit, sacris altaribus est amovendus: sic qui[e] ultro ambit vel qui inportunum se ingerit, est procul dubio repellendus'.
Ioh. 10, 1. Qua ex re istum canonice sanctificando episcopi nostri ordinaverunt, et eum, qui non
*fol. 23. per ostium voluit intrare, regulariter reppulerunt. In hac igitur fraterna electione *et paterna consecratione nullus fidelis christianus extitit contradictor, Deo miserante, sed omnes[f] votis, consiliis, precibus assensum praebuerunt caritate dictante in tantum, ut praecessor eius Guntarius se[g] immunem ab hoc officio clamando et faciendo extitisset ferventissimus[h], id ipsum assentiendo devotissime, sicut olim hoc modo sponte scripsit pietati vestrae[2].

5.

Guntharius, Coloniensis quondam archiepiscopus, Gregorii Magni papae auctoritate innixus, de electione Williberti archiepiscopi a. 870. facta ad Adrianum II papam refert eumque papae commendat. *870.*

DOMINO SANCTISSIMO ET REVERENTISSIMO SUMMO PONTIFICI[a]
ET UNIVERSALI PAPAE ADRIANO GUNTHARIUS DEVOTUS FAMULUS VITAM LONGIOREM
ET AETERNAM OPTAT FELICITATEM.

Scit[b] vestra beatitudo, pater sanctissime, quomodo me vestra cum laetitia a Roma recedentem tempore designato Romam iterum reverti[c] iussistis, spem mihi pristini repromittentes[d] officii[3]. Sed ego praeter quod me indignum fore recognosco, in tantum sum infirmatus[e] et viribus destitutus, ut me vivere taedeat, nec ultra illud officium adspiro, quod meis culpis merentibus detrimentum mihi magis quam lucrum fuit, ac sicut dixi, prae nimia invalitudine ad illud opus minime valeo. Unde considerans meorum multitudinem delictorum, et quia ecclesia[f] mihi dudum commissa post casum, qui mihi accidit, mea occupatione diu periclitationi subiacet[g], timensque omnibus horis atque momentis de mortis interitu, dedi[h] locum quantotius, ut ecclesia tam longe pastore desolata multisque modis humiliata atque prostrata iam pastorem et episcopum reciperet.

---

a) castum *ante* iustum *del. T.* b) secundam *T.* c) omnia *T.* d) tales *T.* e) siqui *T.* f) omnis *T.* g) sed *T.* h) ferventi sumus *T.*

5. a) pontifice *corr. in* -fici *T.* b) Sic *T.* c) reverenti *T.* d) repromitentes *T.* e) infirmatur *T.* f) ecclesie *T.* g) periclitationis ubi iacet *T, corr. Tr.* h) dedit *T.*

1) *Reg. IX, 218, Epp. II, 206.* 2) *Epistolam, quae sequitur, dicere videntur.* 3) *a. 869. post conventum Cassinensem, quem papa cum Lothario rege habuit.*

Porro episcopi suffraganei et unanimitas cleri ac plebis, annuente quidem glorioso 870
et christianissimo rege Ludowico, elegerunt sibi de ipsa ecclesia quendam[a] presbiterum nomine Willibertum, virum sane nobilem, bene eruditum, maturum et [ut][b] credimus, ad hoc officium valde idoneum. De quo forte si quis aliquid[c] sinistrae partis dicere voluerit, non aliud esse quam malivolentiam credatis, quoniam et ipse bonus esse dinoscitur, et a comprovincialibus et diocesaneis, quantum tempus procellosum permisit[d], canonice extat electus et ordinatus. Fateor namque hunc sanctae Romanae ecclesiae eiusque sanctissimo praesuli devotissimum esse et gregi ei commisso[e] valde utilem fore divina annuente clementia[f], vestraque apostolica auctoritate ac suffragio fulciente atque tuente.

Ergo[g] sicut illum concorditer electum habemus et antistitem superno nutu[h] factum, ita suppliciter petimus, ut ab apostolica sede, sicut mos est, pallii decoratione[i] ditetur, honoretur et muniatur, quatinus[k] et nos et illum pariter delectet, tantum pontificem, te domnum[l] videlicet Adrianum[m], amare, laudare et venerari debitisque visitare servitiis. Reverendam et praedicandam sanctimoniam *vestram superna gratia semper inlustrare dignetur. Igitur, ut veridice arbitramur, vobis et omnibus ex his assertionibus[n] liquido apparet[o], quod absque[p] ulla refragationis contradictione iam dicta *f. 23'.
electionis consecratio inreprehensa[q] manet Deo suffragante. Quapropter misericordiae vestrae vigilantia in nobis et pro nobis[r] ardentioris semper curae[s] vocem dat et bona in nobis plantat, irriget et corroboret atque sanctificet, et ita cuncta Deo adiuvante circumcirca nos miserando praeveniat, ut lupus saeviens[t], huc[u] illucque discurrens, in oves dominicas[v] ingrediendi locum non habeat. Novit etenim sacrosancta[w] sollicitudinis vestrae praerogativa, quod ad maiorem gloriam pietatis vestrae attendit, quicquid per ordinationem vel in redintegratione sanctae Dei ecclesiae instanter Christo duce pie et misericorditer operamini. Unde, ne computrescant et deteriorentur cicatrices nostrae a facie insipientiae nostrae, sollicitudinis et concordiae debetis pro Dei amore nobis curam inpendere, ut pius adiutor in oportunitatibus et in tribulatione, quoniam suffragium et apellatio sancti Petri apostolorum principis vestra sancta subventione ita debet interventionis claritate nobis prodesse, praecedere atque praeesse, ne ostis antiquus utcumque sub iusto et pervigili nostro pastore zelo discordiae cautionem nostram inficiendo possit corrumpere. Nostis sane, quod idem adversarius, in quantum se praecaveri cognoscit[x], tanto per occulta quaerit insidias ponere et repugnantes sibi callida nititur arte[y] deicere.

Postremo, ut vestrae celsitudini[z] humiliter satisfaciamus de cunctis, beatissimus memoratus papa quondam Lothario regi[a] ex hoc inter alia Non. Oct. Indictione I. hoc modo scripsit ad locum[1]: 'Ceterum monemus dilectionem tuam et coram Deo protestamur, ut Treverensis[b] atque Agrippinensis ecclesiae ac diocesium[c] clericos ad eligendum sibi canonice praesules convenire rite commoneas, ita ut ab ipsis ecclesiis personae eligantur, qui nec in aliquo sacris regulis obvient, nec per Waldradae aut Theutgaudi vel Guntharii dudum episcoporum favorem regimen Christi ovium[d] obtinuisse probentur, ne, quod absit, illis quiddam prioribus consimile forte contingat. Cum electi fuerint ab episcopis earundem dioceseon, si sunt digni, secundum antiquam consuetudinem consecrentur, a nobisque, claros ac prudentes legatos mittentes, pallia sollempniter impetrare contendant. Non enim dignum[e] est,

---

a) quondam *T.* b) et *T.* c) aliquia *T.* d) promisit *T.* e) dei commissi *T.* f) demencia *T.* g) Ero *T.* h) super ñ uti *T.* i) pallia deoratione *T.* k) quatine *T.* l) deonum *T.* m) adnanum *T.* n) asercionibus *T.* o) aparet *T.* p) alque *T.* q) inreprehensam *T.* r) vobis *T.* s) curas *T.* t) serviens *T.* u) et *add. T.* v) dominica *T.* w) sacra sancta *T.* x) cognoscis *T.* y) arce *T.* z) celsitudinis *T.* a) rege *T.* b) treveriensis *T.* c) diocesum *T.* d) obvium *T.* e) indignum *T.*

1) *Has litteras desideramus, v. Jaffé N. 2878.*

870 o praestantissime rex, ut tanto tempore[a] ipsae iam nominatae ecclesiae viduatae consisterent et dominicus[b] grex, non habens pastorem, lupinis dentibus laniandus existat,
*fol. 24. *praecipue cum sacri canones, ne id fieri debeat, consulte proibere monstrentur'. Haec, sancte pater et totius caput ecclesiae, diligenter advertite[c] et utiliter iudicate, ne sanctorum praecessorum vestrorum divina dispositio obfuscetur incircumspecte, sed inviolabilis maneat semper et ubique Deo auxiliante. Siquidem, pater sanctissime, non sine ammirationis scrupulo extitit, quod gloriosissimus filius vester, rex Ludowicus, cum suis episcopis scriptis et verbis olim vobis per venerandum suum legatum haec omnia humiliter innotuit et, ut pallium largiri ex more iam dicto nostro antistiti dignaremini, suppliciter flagitavit, cur vestra sacra pietas hoc agere protelavit. Nam ante omnem[d] satisfactionem praecessor vester[e] beatus Gregorius Siagrio episcopo cum sacra castigationis ammonitione misericorditer pallium, ut legitur[1], transmisit et, quam clementer[f] erga Maximum episcopum Salonitanum in datione pallii egerit, vestra industria novit. Cui inter alia scribit[2]: 'Nam quemadmodum inlicita perpetrare non patimur, sic quae sunt consuetudinis non negamus'. Pari etiam modo in vestra dispositione nostra consistunt et populi.

Decessores vestri non solum archiepiscopis, sed etiam suffraganeis episcopis, pallia pie sunt largiti. Cur memoratus piissimus rex et sui episcopi non a vestra clementia sint exauditi, nulli ascribitur nisi nostris exigentibus culpis. Unde summopere sacratissimam pietatem vestram suppliciter petimus, ut inter curas vobis a Deo iniunctae gubernationis nostrarum partium de fraudium oppressione miserando sollicitudinem habeatis. Secundum[g] morem beatae memoriae decessoris vestri Leonis sacris privilegiis vestris nostras[h] calamitates roborari dignemini, sicuti per praesentes regios legatos suggerimus vestrae pietati. Tantusque vos[i] sancti Petri apostolorum principis in nos amor accendat, ut quantum ad desiderium nostrum[k] divinitus pertinet, vester apostolatus[l] pallii largitione et sanctificationis tuitione[m] antistitem nostrum nobiscum, ut promisistis, sacrando benigne praemuniat, ut inter patriarcharum curiam[n] vos fortissimus Deus ad hoc aeternaliter remunerandos, ut obtamus, attollat et nos vobiscum ad suam contemplandam faciei claritatem sine fine, ut oramus, deifice perducat. Hoc Deus, ut fiat, fortis per saecula praestet.

6.

Ludowicus Germaniae rex Adriano II papae in ecclesia Coloniensi per septennium viduata Willibertum dignum archiepiscopum electum esse nuntiat, eique ut papa pallium largiatur, petit. *cf. Mühlbacher n. 1431.* *870.*

SANCTISSIMO[a] ATQUE OMNI HONORE DIGNISSIMO UNIVERSALI PAPAE[b] ADRIANO LUDOWICUS DIVINA FAVENTE GRATIA REX OMNEM PROSPERITATIS SALUTEM OBTAT IN CHRISTO.

*fol. 24'. Omnipotens Deus vos, ut veridice credimus, ideo praefecit *in[c] apostolatus culmine, ne spiritalis ordo sine iure et lege laberetur in confusionis voragine, nosque vestrae pietati clementer[d] instituit consortes, ut quod religio reprimere non valet, terror ac disciplina saecularis per nos opitulante Christo emendet. Ex hoc vero aliisque obsequiis per omnia erga vos existimus gratanter devoti. Et quia vestro arbitrio in aula regis aeterni dividuntur gradus et officia singulorum, et collatis clavibus panduntur ianuae regni caelorum, oraculo Spiritus sancti petimus, ut per vos Deus propitius sit

---

a) tantopere *T, corr. Floss.* b) dominicis *T.* c) advertite *T.* d) omnes *T.* e) precessorum *T, corr. Tr.* f) dementer *T.* g) sed *T, corr. Floss.* h) vestras *T.* i) amor *add. T.* k) vestrum *T, corr. Tr.* l) ex postulatu *T,* vester apostolatus *corr. Tr.* m) tutione *T.* n) curia *T.*

6. a) *Lemma:* Epistola Hlodowici regis. b) papa *T.* c) ut *T.* d) dementer *T.*

1) *Reg. IX, 222; Epp. II, 213.* 2) *Reg. IX, 176; Epp. II, 172.*

populo et populus instruatur Deo, ne quem ex nobis[a], dormiente pastore, lupus diabolus astuta fraude subripiat et in damnum pastoris obreptum secum usque ad supplicia sempiterna perducat.

Nunc igitur, ut momenti locutio longae dictionis non capiat excessum, agnoscat sanctitudo vestra, divae memoriae praecessoris vestri vestraque auctoritate in Coloniensi[b] sede praeclarum pastorem, ut credimus, subrogatum esse. Doluimus etenim praedictam ecclesiam septennio proprio pastore esse viduatam[c], quo in tempore multas pertulit caedes, vastationes, praedas, fraudes durasque dominationes. Quis igitur inter alia scelera eodem interstitio agnoscit quanti sine baptismo obierunt in eadem[d] paroechia et inconfessi sine sacri viatici gratia, ubi non spes fovebatur ex munere, sed tolerantia vexabatur ex funere, maxime quia sanctificator et sanctificatio chrismatis deerat cum opere. Quapropter subveniendo dignum duximus summam pro illis impendere curam, pro quibus suam ponere Christus non dedignatus est animam. Siquidem praenominata sacra metropolis in rude Saxonorum[e] gente maxime consistit atque paene usque ad Nortmannorum fines pertingit. Unde eis, qui nuper in novam fidei gratiam pervenerunt vel venire hortantur, necesse fuit, ut talis exhiberetur pastor, qui tam in suis actibus quam in praedicationibus vigilanter et sollicite hostis antiqui insidias reprimat et gregem sibi commissum erudiendo et sanctificando secum ad supernam patriam remunerandum attollat. Quam ob rem in iam dictam metropolim cum consensu cleri et plebis canonice elegimus et praefecimus pro sua sanctitate et religione archiepiscopum nomine Wilibertum, quem vestrae beatitudini ut proprium humiliter commendamus et archiepiscopale pallium ex more sanctificando modo ei largiri et mitti obnixe imploramus, ut vestra auctoritate infulatus nobiscum exornet sanctae et individuae Trinitatis sacramentum.

Nos denique nostraque omnia sub vestra sacratissima subponimus tuitione[f], ut vestra interventione et sanctificatione liberemur ab adversitatibus cunctis semper et ubique.

7.

Ludowicus Germaniae rex apud Ludowicum imperatorem nepotem suum pro Williberto Coloniensi episcopo electo intercedit atque, ut apud papam pallium pro eo impetret, petit.

cf. Mühlbacher n. 1432. *870.*

IN[a] NOMINE SANCTAE ET INDIVIDUAE TRINITATIS HLUDOWICUS *DIVINA FAVENTE GRATIA *fol. 25.
REX AEQUIVOCO NOSTRO HLUDOWICO GLORIOSISSIMO AUGUSTO IMPERATORI ET DILECTISSIMO
NEPOTI OMNEM IN CHRISTO SALUTEM ORAT ET OPTAT AETERNAE
ET INVICTAE PROSPERITATIS[b].

Opulento, caritate dictante, afficimur bono, cum verae fidei et dilectionis insignimur exemplo et compacta foederis iura servamus custodiendo inrefragabiliter atque gratanter ex corde puro. Hoc etenim decenter et absque ulla simulatione nos agere oportet, ne magnitudinem fidei nostrae aliqua obfuscatio sinistrae opinionis, quod absit, inficiendo corrumpat, quoniam a vestris[c] virtutibus tantum dissimulationes[d] distant virtutum, quantum distat a veritate mendacium. Et quia stabilem et immobilem Deus Dei filius erga nos exuberando sine vitio vestram accumulat et custodit virtutis fidem, in vestra et ex vestra pietate gaudentes colimus fidei inviolabilem veritatem. Ergo ut animorum inter nos Christo suffragante stat fida sinceritas, ita et operum nostrorum debet super candelabrum semper et ubique conexa et fraterna societas. Siquidem cf. Matth. 5, 15.
paterno amore vos ut unicum diligenter suscepimus filium et susceptum, in quantum

---

a) vobis *T.* b) Coloniensis *T.* c) viatam *T.* d) eandem *T.* e) sazonorum *T.* f) tuitionem *T.*

7. a) *Lemma:* Epistola serenissimi regis Ludoici ad venerabilem Adrianum papam. b) prosperitas *T.* c) auris *pro* a vestris *T.* d) dissimilitunes *T, corr. Floss,* dissimilitudines *Waitz.*

870 Deus et vestra fides largitur, in cunctis[a] negotiis fovere et oppitulari per omnia cupimus, certi procul dubio vos erga nos pari modo acturos in spiritalibus et temporalibus rebus. Denique nos vobiscum humiliter monemus[b], ut ab infidelibus et discordantibus nos per omnia observemus, quos superbia inflat, ambitio ventosa praecipitat, vana gloria turpiter exaltat, distractio alieni actus inlaqueat, rabies insani furoris exagitat, desiderium gloriosum opinionis inflammat, ardor animosae contentionis exanimat et fraus malignitatis[c] in diversa contorquet, quia fidei et rectitudinis veritatem, quae Deus est, casso labore inpugnant[d]. Quapropter eo aciem mentis intendamus, ut fidei
cf. Iac. 2, 17. 18. opus inter nos diebus vitae nostrae inviolabiliter servemus, quoniam nec opus sine fide nec sine operibus fides sola iustificat, unde operator non habendo fidem nec iustitiam habere poterit nec salutem. Quod si nos ambitio possidendi delectat, Deum, qui omnia, expedita mente possideamus, et in eo et ab eo habebimus et accipiemus[e], quaecumque habere desideramus. Proinde singularis animi vestri bonitas nos cogit in
*fol. 25'. propriis nostris operibus vos advocare participes et[f] consortes, *quod ut fiat, obsecramus solerter et per vestram dulcissimam interventionem domnum papam in opere sancto oramus fieri nostrum pastoralem collegam, quatinus in uno corpore tripliciter redacti, opus bonum exerceamus in sancta Dei aecclesia per fidem sanctae et individuae
Eccl. 4, 12. Trinitatis. Et quia funiculus triplex difficile rumpitur, agite ut omnia nostra[g] cari-
cf. Matth. 13, 8. tative in uno corpore resolidentur, ut solidata centesimum et sexagesimum in populo Dei referant[h] fructum.

Postremo sciat dilectio vestra, nos valde doluisse, Coloniensem metropolim proprio pastore septennio caruisse. Ubi, salva pace aecclesiae Romanae, cum consensu et electione episcoporum nostrorum et ipsius metropolis cleri et plebis praefecimus canonice archiepiscopum nomine Willibertum. Quem petimus ut domno papae clementer commendetis et ex more sanctificando archiepiscopale pallium ei[i] mitti suadeatis[k], quo redimitus pro omnibus nobis exorando cotidie offerat sacrificium laudis. Ex his igitur et aliis actionis nostrae causis praesens nuntius, iuxta quod sciscitaveritis[l], plenius vos certificabit.

Vos quoque ita de nostris omnibus rebus fideliter et prudenter agite, sicut plenissime confidimus in vestra dilectione, ut ex hoc, quod in terris unanimiter nobis estis consortes, in caelesti curia nobiscum vitae aeternae sitis coheredes.

8.

Ludowicus Germaniae rex apud Engilbergam imperatricem pro Williberto Coloniensi episcopo electo intercedit atque, ut apud papam pallium pro eo impetret, petit.

cf. Mühlbacher n. 1433. 870.

[I]N[a] NOMINE SANCTAE ET INDIVIDUAE TRINITATIS HLUDOWICUS DIVINA FAVENTE GRATIA REX GLORIOSISSIMAE FILIAE ET INPERATRICI ENGILBERGAE SEMPER AUGUSTAE ET A DEO CORONATAE OPTAT[b] PROSPERITATIS GLORIAM IN CHRISTO SINE FINE.

Si omnes una aegritudine[c] mentium laborarent ac paribus animorum morbis affecti nihil ab invicem discreparent, non esset necesse plura antidotorum[d] quaerere genera, quia pro diversitate passionum modus quoque diversus exquiritur medicaminum. Nunc vero, quia diversae pestes in sancta Dei ecclesia multiplices ferunt insidias, diversa protelationis nos oportet assumere arma et laboranti ecclesiae patrocinando subvenire et ab omni vitiorum tempestate pro viribus defendere. In qua re vestris suffragiis delectamur opitulari et petimus, ut de nobis et nostris spiritaliter et tem-

---

a) cuntis *T.* b) movemus *T.* c) malignitas *T.* d) inpunnant *T.* e) accepiemus *T.* f) *add. Floss.* g) nostrae *T.* h) refert *T.* i) archiepiscopalē pallium et *T.* k) suadetis *T.* l) sciscitaveris *T.*

8. a) *Literam initialem* I *om. T.* b) optatē *T.* c) egretudinē *T.* d) antidotum *T.*

poraliter sollicitudinem omnimodis geratis, adeo ut a nostro consortio venenosa iacula circumspecte repellatis[a], servando inter nos diligenter et provide inviolabilem fidem rectitudinis. 870

Ad hoc *etiam filium et aequivocum nostrum, Hludowicum videlicet serenissimum augustum, informari exposcimus, quatinus ita deinceps sine ulla exorbitatione inter nos servemus procurantem dilectionis fidem, ut in omnibus nostris unanimes[b] honorificemus per omnia et ex omni[bus] Deum patrem omnipotentem. Hac denique in causa per vos adipisci oramus nostri[c] sanctissimi papae suffragationis gratiam, ut in omnibus et per omnia concordes, Christo auxiliante, possimus auctoritate cunctas extirpando in ecclesia Dei succidere fraudes. Proinde obsecrando vos mecum humiliter moneo, ut rememorantes pristinos dies nos caute et prudenter ab illis observemus, qui ideo amicitias simulant, ut eos, qui se caute sibi committunt, qua[d] possunt arte decipiant, et odiorum sibi occasiones pravis suspicionibus coacervant, velut amici in obsequio, hostes in animo, versatiles in verbo, turpes in facto, prodigi secretorum, inanes bonorum, perditi fraudibus, pravi moribus et insidiosi cunctis secum in simplicitate viventibus. *fol. 26.

Denique, ut omnia nostra vestrae dilectioni maneant aperta, profitemur nos valde doluisse Coloniensem aecclesiam proprio pastore septennio fuisse destitutam. Ubi cum consensu et electione nostrorum episcoporum et ipsius metropolis cleri et plebis canonice praefecimus pro sanctitatis[e] merito archiepiscopum, nomine Willibertum. Quem vestro interventu domno papae commendari flagitamus, et ut[f] ei pallium archiepiscopale detur ex more, vestra dilectio pro nobis debet procurare. Sane ex nostris diversis fortunis praesentem nuntium viva voce vos plenius alloqui iussimus.

Vos vero per omnia ita pro nobis, immo nobiscum, fideliter agite, ut in hac vita triumphaliter in Christo possimus regnando vigere et in futura cum sanctis et electis Dei feliciter et aeternaliter regnare.

9.

Ludowicus Germaniae rex, Adriani II papae dubitationem de Williberti episcopi electione refellere conatus, legatos suos, qui arcana papae referant, commendat.

cf. Mühlbacher n. 1438. *870.*

SANCTISSIMO ET OMNI SPIRITALI ET TEMPORALI HONORE MERITO PRAESTANTISSIMO UNIVERSALI PAPAE ADRIANO LUDOWICUS DIVINA FAVENTE GRATIA REX CUNCTAM PROSPERITATIS SALUTEM HUMILITER OPTAT IN CHRISTO.

Sicut antecessores et parentes nostri, videlicet imperatores et reges, principis [apostolorum][a] sancti Petri gratiam ex Deo ferventissime[b] decertando quaerere procuraverunt, ita nos eam quaerere et servare omnimodis honorifice cupimus, ut[c] sanctae et Romanae aecclesiae statutis, prout dignum est, in unitate sanctae Trinitatis salva fide legaliter et regaliter obtemperando faveamus. De nepotis vero ac filii seu aequivoci *nostri augusti causa, sicuti verba mandamus, ad honorem et statum sanctae Dei aecclesiae pro alterna oportunitate agere salubriter disponimus. Denique pro vestra sacra visitatione omnipotenti Deo vestraeque pietati debitam laudem corde[d] atque vocibus ex omnibus medullis reddimus, et in vestra beatitudine non nobis tantummodo, sed omnibus, qui vobis subiacent, congaudemus. *fol. 26'.

Praeterea[e] debitum salutationis alloquium ore solventes profitemur, nos suscepisse scripta sanctitatis vestrae, quae nobis ammirationem intulerunt sua varietate. Nam cum paene uno eodemque tempore noster legatus et vestri sacri internuntii ad nos venirent cum vestris venerandis scriptis atque mandatis, cur a vestra sacra munificentia

---

a) repelletis *T.* b) unamines *T.* c) nostris *T.* d) quia *T.* e) sanctis *T.* f) aut *pro* et ut *T.*

9. a) *om. T.* b) ferventisime *T.* c) et *T.* d) cordā *T.* e) Pretam *T.*

contraria ex parte detulerunt scripta, non sine ammiratione[a] extitit. Siquidem[b] Idus Iulii indictione tertia per nostrum memoratum legatum de ordinatione Agrippinensis episcopi hoc modo scripsistis ad locum[1]: 'Dilectionis vestrae litteris in conspectu nostro recensitis, reperimus Willibertum quendam, virum, ut fassi estis, doctrina vitaque clarissimum, Coloniae archiepiscopum constitutum nostrumque pontificium, ut ei pallium dirigat, exoratum. Quod nos devotioni vestrae facillime largiremur, si modum[c] Williberti substitutionis, licet auctoritas nostrae sedis crebro Coloniae archiepiscopum consecrandum delegerit, utcumque sciremus. Quapropter volumus sanctitas vestra non turbetur, quin potius missorum nostrorum momentaneam praesentiam praestolemur. Cum quibus scilicet nostris legatis Williberti substitutionis modum cognoscentibus[d], apostolatum nostrum certiorem prorsus efficiat[e], ut pallium postulatum tandem sine cunctatione percipiat'. Item ad locum V. Kal. Iulii indictione III. per vestros reverendos legatos nobis hoc modo scripsistis[f]: 'Miramur praeterea gloriam vestram in praeficiendo[g] episcopo Agrippinae Coloniae tam indiscrete praebuisse consensum[h]'. Et post pauca ad locum: 'Praecipue quia Guntarii dudum archiepiscopi causam, antequam in loco illius substitueretur[i] episcopus, nos iterum audituros et vocem eius admissuros fore spopondimus'. De qua audientia et sponsione nulla notitia ad nos nec ad nostros episcopos hactenus pervenit. Verumtamen ex hac sacra, ut credidimus, Dei ordinatione satis verbis et scriptis nos et episcopi[k] nostri per familiarissimum[l] nostrum legatum putavimus olim innotuisse vestrae paternitati. Sed ut de multis sine causa satis.

Postquam multipliciter beatissimus Nikolaus papa, ut in vestris habetur autenticis[m] scriptis, omni aecclesiastico officio Theutgaudum et Guntarium penitus privavit,
*fol. 27. *quondam nepoti nostro Hlotario ad locum Non. Octobr. indictione I. inter alia ita scripsit[2]: 'Ceterum monemus dilectionem tuam et coram Domino protestamur, ut Treverensis atque Agrippinensis aecclesiae ac dioceseon[n] clericos ad eligendum sibi canonice praesules convenire rite[o] commoneas[p], ita ut ab ipsis aecclesiis personae[q] eligantur, qui nec in aliquo sacris regulis obvient[r], nec per Waldradae nec Theutgaudi vel Guntharii dudum episcoporum favorem[s] regimen Christi ovium[t] obtinuisse probentur, ne, quod absit[u], ipsis quiddam[v] prioribus consimile forte contingat. Cum electi fuerint, ab episcopis earundem dioceseon, si sunt digni, secundum antiquam[w] consuetudinem consecrentur[x], a nobisque, claros ac prudentes legatos mittentes, pallia sollempniter impetrare contendant. Non enim dignum est, o praestantissime rex, ut tanto tempore ipsae iam nominatae aecclesiae[y] viduatae consistant, et dominicus grex, non habens pastorem, lupinis dentibus laniandus existat, praecipue cum sacri canones, ne id fieri debeat, consulte prohibere monstrentur'.

Ergo cum episcopi nostri secundum haec praecepta sancti papae Nikolai hanc ordinationem oboediendo canonice sacrarint, miramur, quae subiecta persona molitur infringere sacros canones et decretalia beati praecessoris vestri[z], aut seducendo corrumpere vestrae stabilitatem fidei. Siquidem antiquus hostis, cum cor robustum irrumpere non valet, subiectas et[a] infirmatas personas quaerit, et quasi contra alta moenia scalis appositis[b] ascendit. Qua ex re timemus, ne a talibus haec oriantur, qui vestrae sanctitati deceptiosa familiaritate per quosdam forsitan in aliquo deserviunt. Contra quos petimus, ut vestra beatitudo sollerter invigilet, ne se eorum verbis fallendum

---

a) sine ī āmiracione *T.* b) Siquē *T.* c) sinodum *T.* d) cognoscentes *T.* e) prorsum officiat *T.* f) scripstis *T.* g) proficiendo *T.* h) consensu *T.* i) sustinueretur *T.* k) etpī *T.* l) familiarissimam *T.* m) autentiis *T.* n) deoceseon *T.* o) ite *T.* p) commoveas *T.* q) personet *T.* r) obvenient *T.* s) fovorem *T.* t) obuium *T.* u) ab *T.* v) quidam *T.* w) antequam *T.* x) consecrantur *T.* y) ęcclesia *T.* z) nostri *T.* a) ei *T.* b) apositis *T.*

1) *Hae litterae papae desiderantur, cf. Jaffé N. 2932.* 2) *Cf. supra p. 247 v. 36—248 v. 3, Jaffé N. 2878.*

praebeat. Unde tales quaesumus aborrescendo relinquite et, si incorrigibiles sunt, ut mortuos sepelire mortuos sinite, ac cum propheta dicite: 'Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi euge euge', et rursum: 'Oleum autem peccatoris non impinguet[a] caput meum'. Moises igitur, cum quo Dominus sicut homo ad amicum suum facie ad faciem loquebatur, quomodo non sprevit consilium Ietro, vestra beatitudo recordatur[b], unde talia audire a quolibet non dedignetur. In libris etiam Regum, ut novit sanctitas vestra, quidam describitur, qui utraque manu utebatur pro dextera, qua dum terrena personarum consilia sive opera ad caelestem utilitatem quis protrahit, in usum dextrae sinistram vertit et, dum consilia temporalia ad iustitiae utilitatem ducuntur, ad fortitudinem dexterae sinistra permutatur. Postremo, ut vestrae sanctitati libenter *satisfaciamus de cunctis, nostros carissimos atque familiarissimos legatos vestrae dirigimus sanctitati, qui nostra archana, prout competit, vestrae reserent pietati. Quibus humiliter petimus, ut ad communem filium nostrum iugiter in eundo et redeundo per vos vestrosque subiectos, ut necesse fuerit, consolationem miserando ferte subsidii, quatinus Deo miserante vestra ope ad nos[c] possint redire, et communi filio nostro iam dicto augusto, ut id ipsum agere dignetur, suadete. Licet itaque, sancte pater, per longa terrarum spatia corporibus simus disiuncti, corde tamen caritate dictante per omnia vobis sumus conexi. Idque de vestra beatitudine erga nos modis omnibus confidimus, quia, cum nos vicissim, ut credimus, diligitis, a nobis longe non estis, quomodo a vobis longe non sumus, quia in Deo, qui ubique est, unum sumus.

870
Matth. 8, 22. Ps. 69, 4.
ib. 140, 5.
Exod. 18, 24.
Iudic. 3, 15.
*fol. 27'.

Vestram sanctitatem exorantem Deus Dei filius semper et ubique protegat, conservet, salvet, honoret et amet[1].

10.

Archiepiscopi et episcopi Germaniae litteris ad papam datis electionem et consecrationem Williberti archiepiscopi defendunt et, cur has differre non licuerit, ostendunt.

870.

[A]diuvante[a] gratia Dei facilius poterit provideri in ecclesiis Christi[b], ut non tot scandala tantique in futuro nascantur errores, dum praeterita manifestantur provise discrimina crudeliter a fidelibus diu multumque perpessa. Unde officii nostri consideratione, quae sunt cavenda, non est dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior christianae religionis incumbit sollertiae cura, ut ex praeteritis in reliquo exhibeatur semper et ubique ecclesiastici ordinis cautela, quatinus in omnibus glorificetur Deus aeternaliter per omnia.

Manifestum est itaque, qualiter Coloniensis metropolis septennio proprio caruit pastore. Quo[c] in tempore multas caedes, vastationes, rapinas et alia innumera sustinuit fraudium pericula, videlicet quia, nostris exigentibus peccatis, aberant undique regiminis iura. Verumtamen Deus ut confringeret capita inimicorum suorum et verticem *capilli perambulantium in delictis suis, anno incarnationis domini nostri Iesu Christi DCCCLXX. indictione III. suffraganei episcopi et clerus ac populus Coloniensis cum lacrimabili lamentatione auctoritatis scripta in conspectu nostro detulerunt sanctae memoriae Nikolai quondam papae, ubi perpetualiter et canonice Theutgaudum et Guntharium quondam archiepiscopos ab eodem sancto papa monstraverunt depositos cum consensu et adiudicatione totius sanctae Romanae ecclesiae. Et, ut de multis parva sufficiant, inter alia ad locum

Ps. 67, 22. *fol. 29.

a) impiguet *T.* b) recordamur *T.* c) vos *T.*

10. a) *litera initialis* A *deest in codice.* b) Christo *T.* c) quod *T.*

1) *Secuntur hic in codice fol. 27'—28' duae Hadriani II epistolae de Williberti rebus ad Ludowicum Germaniae regem atque ad episcopos eius datae a. 870 die 27. Iun. mens., quas edidit Floss l. l. p. 89—93 (= Mansi Coll. concil. XV, 848—849, Jaffé N. 2930. 2931).*

870 memoratus beatus papa sic scripsit nostris omnibus episcopis Germaniae, ut desisteremus pro eis intercedere: 'Si[a] pax, inquit, quam turbaverunt, aecclesiae Christi reddita fuerit, profecto potuerint Dei solius intuitu et vestrae fraternitatis [affectu[b] alia miserationis ecclesiasticae nostro nutu atque ope freti beneficia promereri, prioris tamen ministerii vel cuiuscumque sacerdotalis officii dignitatem frustra quidem sperare poterunt, resumere autem in sempiternum non poterunt. Cesset itaque vestrae fraternitatis] iam nos super hoc pulsare sollertia, et quod fieri non potest tandem aliquando desinat'. Item post pauca: 'De quibus tamen [si][c] fraternitas vestra veraciter ac utiliter dolet, et aliquod eis vult impertiri suffragium, curet necesse est vulnus, quod ipsi non solum minime ferro iustitiae resecarunt, verum etiam oleo iniquae adulationis et persuasionis foventes crescere longe lateque fecerunt, nobiscum[d] pariter incidere ac studiose mederi, quamvis iam fati viri, ut praetulimus, quantum ad sacerdotium spectat, recipiendi nullam valeant habere fiduciam. Si enim quod in his destruximus reaedificemus, praevaricatores procul dubio a Domino constituemur' et reliqua. Item Galliarum episcopis in calce suae epistolae de eadem depositione ita scribit: 'Igitur decernente nobiscum sinodo in praesentia depositi et ab officio sacerdotali excommunicati, atque [a][c] regimine episcopatus alienati indubitanter existunt. Unde vestra fraternitas canonum normam custodiens et decretorum sanctiones observans, caveat, ne hos, quos abiecimus, recipere in sacerdotum catalogo praesumat. Depositionis autem sententia[e], quam in praedictos Theutgaudum et Guntharium protulimus, cum ceteris capitulis, quae sancto concilio nobiscum sanciente[f] promulgavimus, inferius[g] annexa monstrabitur'[h]. Unde capitulo secundo inter [alia[i]: 'Coram nobis et sancta sinodo sub] gestorum insinuatione invenimus eos apostolicas atque canonicas sanctiones in pluribus excessisse, et aequitatis normam nequiter temerasse, unde eos omni iudicamus sacerdotii officio penitus manere alienos, Spiritus sancti iudicio et beati Petri per nos auctoritate omni episcopatus exutos regimine consistere diffinientes' et cetera. Quid ergo gemitus nostri memores agere potuit[k]? Nam etsi iam dictus sanctissimus papa in eos nullo modo damnationis protulisset[l] sententiam, quis tandem Guntharium demum[m] potuisset absolvere, qui canonica auctoritate se per-
*fol. 29′. petualiter ausus fuit damnare? Siquidem *praefatus beatissimus papa Antioceni concilii auctoritate ita eos suspendit clementer et cautissime, quod si iuxta praecedentem consuetudinem tanquam episcopi aliquid ausi fuerint de sacro ministerio contingere, nullo modo liceat eis nec in alia sinodo restitutionis spem aut locum habere satisfactionis, sed et communicantes eis omnes abici de ecclesia, et maxime si, posteaquam didicerint adversus memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare temptaverint. Sed quid ad haec humana fragilitas pro Guntario, quod valde dolendum est, interveniendo audet dicere? Iuxta praecedentem consuetudinem ut episcopus praesumpsit contingere inter missarum sollempnia cenae Domini non solum sanctissimi corporis et sanguinis Dei et domini nostri frustra sanctificando sacra libamina, sed etiam sanctum chrisma regenerationis et oleum sanctificationis inaniter consecrare praesumpsit, cum non haberet licenter benedictionis gratiam. Et quia dupliciter, quod valde dolemus, est finetenus a sacerdotali ministerio exauctoratus, necesse habuimus, in ipsius loco ut dignum pastorem canonice sacrando statuissemus, quoniam[n] iuxta sacros canones et decretalia sanctorum patrum diu non licet differre consecrationes episcoporum, maximeque quoniam insistebant nonnulli, qui in praefata metropoli inlicitam episcopi ordinationem cum favoris potentia facere gestiebant, quorum oportuit anticipari summopere violentiam, ut in sacris ordinibus non temporalis industria, sed spiritalis Deo favente auctoritas vigeat canonica. Quam ob rem suprascriptas sanctiones et sanctorum patrum decretalia ac sacros canones diligenter perscrutatos, omnipotentis Dei clementia et sancti Petri, ut credimus, interventione gloriosa suffraganei

---

a) *Cf. supra p. 245 v. 1—24.* b) affectu — fraternitatis *om. T.* c) *om. T.* d) vobiscum *T.* e) sententiã *T.* f) sanctiente *T.* g) inferis *T.* h) mostrabitur *T.* i) alia — sub *om. T.* k) *ita T pro* potuimus. l) pertulisset *T.* m) demun *T.* n) *Cf. supra p. 245 v. 37—246 v. 23.*

episcopi et clerus ac populus Coloniensis elegerunt presbiterum nomine Willibertum, per singulos gradus ad sacerdotale ministerium regulariter promotum, hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: et est potens exhortari in doctrina sana[a], et eos, qui contradicunt, redarguere[b]. Qui etiam ab infantia benigne et caste inter nos[c] fuit nutritus, et usque ad perfectam aetatem religiose omnimodis conversatus. Sub hac vero perfectissima testificatione et rata canonica electione, anno incarnationis domini nostri Iesu Christi DCCCLXX, indictione tertia, VII. Idus Ianuarii dignum duximus, pro utilitate sanctae aecclesiae in Deo et ex Deo ac propter Deum praenominatum venerabilem Wilibertum canonice benedicendo consecrare Coloniae archiepiscopum, licet ipse frustra id ipsum recusasset pro viribus. Unde ut talis etiam nolens ad sacros ordines trahatur[d] invitus, ad Siagrium, Etherium, Vergilium atque Desiderium ita scribit sanctus *papa Gregorius[e]. . . . Qua ex re istum canonice sanctificando ordinavimus, et eum, qui non per ostium voluit intrare, regulariter repulimus. In hac igitur fraterna electione et paterna consecratione nullus fidelis christianus extitit contradictor Deo miserante, sed omnes votis, consiliis, precibus assensum praebuerunt caritate dictante, in tantum ut praecessor eius Guntarius se immunem ab hoc officio faciendo in eadem electione extitisset ferventissimus ac devotissimus, ita ex hoc scribens sancto Adriano papae. . . .

870—872

Tit. 3, 8.

*fol. 30.

Ioh. 10, 1.

11.

Willibertus Coloniensis archiepiscopus Adriano II papae exponit, se ab episcopis pro viribus petiisse, ut a consecratione sua desisterent; pontificis imperiis se subiectum declarat et fidem suam mittit. *870—872.*

[D]OMINO[a] REVERENTISSIMO ET APOSTOLICA REVERENTIA AB UNIVERSO ORBE SEMPER ET UBIQUE MERITO RECOLENDO UNIVERSALI PAPAE ADRIANO WILIBERTUS, HUMILIS AGRIPINENSIS ECCLESIAE EPISCOPUS, OMNEM PROSPERITATIS BEATITUDINEM ORAT ET OPTAT DEVOTISSIME IN CHRISTO.

Omnipotens Deus, qui pietatis vestrae cor suae dextera maiestate[b] tenet et nos ex vobis omnimodis protegit et vobis pro temporalibus acceptis aeterna praemia parat retributionis, pietatis vestrae mentem ad suffragium meae salutis misericorditer convertat et vestra interventione populum mihi indigno commissum a malis omnibus indempnem conservet, ut ex hoc, quod exsecutione pietatis auctori omnium Deo clementer servitis, securius commissum vobis mundum per multa curricula annorum regere valeatis.

Denique, ut omnia nostra salva cognoscatis fide, in exordio praesulatus nostri[c] primitus oblata populis pace, petivi pro viribus, ut ordinatores mei a mea desisterent consecratione, sicuti verbis et scriptis olim innotui humiliter pietati vestrae. Nunc vero in fide catholica per omnia firmus, sublimitati vestrae scriptis discurrentibus praedicator occurro, et primo mihi divinum favorem vestro interventu appropinquare confidenter exoro, meque vestris subiectum imperiis ex integro veraciter[d] pronuntio, ut sicut praecelsum pietatis vestrae [iubar][e] per universas gentes toto orbe praefulget, ita et[f] per ministerium meae humilitatis, sicut semper est, sedes beatissimi Petri in universali ecclesia adsignatum sibi a Domino principatum teneat, et ut[g] vestra sanctitas et Romana[h] ecclesia canonice[i] sibi esse subditum cognoscat, et individua sanctae Trinitatis fide ea vocatione[k], qua vocatus sum, Christo miserante devotum esse firmissime[l] sciat, sicut inferius testatur pagina meae credulitatis inscripta[m]. . . .

---

a) sua *T.* b) redarduere *T.* c) eos *T.* d) trahitur *T.* e) *S. Gregorii verba desiderantur, cf. supra p. 246 v. 16.*

11. a) *liter. init.* D *om. cod.* b) dextere maiestatis *T.* c) nostrę *T.* d) varaciter *T.* e) *suppl. Tr.* f) ut *T.* g) tue *T.* h) roma *T.* i) cononice *T.* k) votacione *T.* l) firmissimae *T.* m) *finis desideratur.*

12.

873 c. Sept. 1. *Iohannes VIII papa Willibertum archiepiscopum Coloniensem electum ad causam dicendam Romam evocat, pallium ei nondum concedit propter provectionem reprehensione dignam et fidei confessionem haud integram.* *cf. Jaffé Reg. N. 2986.* *873 c. Sept. 1.*

[a][I]nperfectus[b] est, cui tantum pallii donum aufertur nec potest esse firmus sive perfectus, qui huius sacri non fuerit indumenti collatione firmus et integer; ac per hoc neminem profecto poterit stabilire vel alicuius dignitatis dona statuere, qui huius religiosi habitus munere defraudatus ad tantae perfectionis privilegium pervenire non meruit. Sane accusator, sanctorum patrum regulis institutus, causam ad nos, utpote ad primatem dyoceseos, detulit. Quarum videlicet nos quoque disciplinis edocti [te][c] a fraterna conpage suspendendum censuimus, nisi ad causam tuam dicendam litteris nostris evocatus intra spatium unius mensis sive duorum [ad][c] minus[d] occurreris, ex ea videlicet die supputandum, qua praesentes acceperis apices. Siquidem nulli fas est metropolitanorum nisi primatibus, quos alias patriarcas novimus appellari[1], dirimendi vel diffiniendi negotia. Quamobrem hos, qui adversus metropolitanos querelam habent, apte sancta[e] universalis Calcedonensis synodus ad primatem dioceseos mittit[2].

Duae itaque causae sunt, quibus prohibiti optatum[f] [tibi][g] pallium[h] conferre nequivimus. Una scilicet, quia, ut praediximus, provectionis tuae primordia valde reprehensibilia referuntur: quod oportet instanti satisfactione purgari, praesertim cum ad personam respiciat, non ad res querimoniae huius obiectum. Altera[i] vero, quia fidei tuae paginam minus quam oporteat continere cognovimus, cum videlicet nullam in ea sanctarum universalium synodorum, in quibus fidei nostrae simbolum continetur, nec decretalium pontificum Romanorum constitutorum secundum morem feceris mentionem, sed nec illam[k] propria subscriptione muniveris nec quod aliquem hanc iureiurando[l] firmandam miseris, penitus indicaveris.

13.

Iohannes VIII papa Williberto Coloniensi archiepiscopo se pallium ei misisse senectutis gratia nuntiat. De criminibus adversus eum prolatis legatum apostolicum se directurum esse. *cf. Jaffé Reg. N. 2988.* *874.*

IOHANNES EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO WILLIBERTO, SANCTAE COLONIAE PLEBIS ARCHIEPISCOPO.

Pallei igitur usum ex largitate beati Petri apostolorum principis solita pietate iuxta morem transmisimus, plurimum quoque interveniente dilectissimo filio nostro domno Ludowico imperatore augusto atque benignissimo eius avunculo Ludowico rege, implorantes omnipotentis Dei misericordiam, ut, sicut exterius huius dignitate splendidior
*fol. 30′. ceteris enitesces, iam oculis *supernae maiestatis vita moribus ac verbo praedicationis clarius circumquaque effulgeas, providentes senectuti tuae inter haec atque infirmitati. De inlatis sane adversus te criminibus accusatorum quorundam proclamatione nostrum Deo auctore curabimus missum dirigere, qui haec apostolica auctoritate audire ac decernere sollicitius[a] non omittat. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere.

---

12. a) *Lemma:* [Agrip]pinensi [archiepiscopo Willi]berto. b) I *suppl. Hampe.* c) *suppl. Bishop.* d) minus *del. Ewald.* e) sanctę *C.* f) optatum — nequivimus *et* quia fidei — miseris *ap. Deusdedit Coll. can. I c. 191 p. 129, Gratiani Decr. Dist. 100 c. 4, Coll. Britann. fol. 188′:* Ex registro Iohannis VIII. Iohannes episcopus Gisleberto Agripinensi episcopo. g) *om. C, add. Deusdedit.* h) non *add. C.* i) Alteram *C.* k) illa *C.* l) iure iureiurando *C.*

13. a) sollicius *T.*

1) *Cf. Decretal. Pseudois. ed. Hinschius p. 121 c. 3.* 2) *C. 9, Mansi Coll. concil. VII, 375.*